




VE RI
TAS



BIBLIOTHECA
SCRIPTORVM GRAECORVM ET ROMANORVM
TEVBNERIANA.

CATVLLI TIBVLLI PROPERTII CARMINA.

ACCEDVNT

LAEVII CALVI CINNAE ALIORVM RELIQVIAE

ET

PRIAPEA.

RECENSVIT ET PRAEFATVS EST

LVCIANVS MVELLER.



LIPSIAE
IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI.
MDCCCXCII.

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM GRAECORUM ET ROMANORUM TEUBNERIANA.

	M. ₰
Aelianus ed. *Hercher*. 2 voll. . . .	9.—
—— —— varia historia	—.90
Aeneae comment. Poliorc. ed. *Hug*	1.35
Aeschines ed. *Franke*	—.90
Aeschyli tragoediae ed. *Weil* . . .	1.50
Singulae tragoediae	—.30
Ammianus M. ed. *Gardthausen*. 2 voll.	7.20
Anacreon ed. *Rose*. Ed. II	1.—
Andocides ed. *Blass*. Ed. II	1.20
Annae Comnenae Alexias ed. *Reifferscheid*. 2 voll.	7.50
Anthimus ed. *Rose*	1.—
Antiphon ed. *Blass*. Ed. II	2.10
Anthologia latina ed. *Riese*. I. 1. 2.	7.50
—— lyrica ed. *Hiller*. Ed. IV . . .	3.—
Antoninus ed. *Stich*	1.80
Apollodorus ed. *Bekker*	1.—
Apollonius Perg. ed. *Heiberg* Vol. I.	4.50
Apollonius Rhodius ed. *Merkel* . .	1.—
Appianus ed. *Mendelssohn*. 2 voll. .	9.—
Archimedes ed. *Heiberg*. 3 voll. . .	18.—
Aristophanes ed. *Bergk*. 2 voll. Ed. II	3.—
Singulae comoediae	—.45
Aristoteles, de partibus animal. ed. *Langkavel*	1.80
—— de arte poetica ed. *Christ* . .	—.60
—— physica ed. *Prantl*	1.50
—— Ethica Eudemia ed. *Susemihl*	1.80
—— —— Nicomachea ed. *Susemihl*	1.80
—— de coelo etc. ed. *Prantl* . . .	1.20
—— de coloribus audibilibus, physiogn. ed. *Prantl*	—.60
—— politica ed. *Susemihl*	2.40
—— magna moralia ed. *Susemihl* .	1.20
—— de anima libri III ed. *Biehl* .	1.20
—— ars rhetorica ed. *Römer* . . .	2.10
—— metaphysica ed. *Christ*	2.40
—— fragmenta ed. *Rose*	4.50
—— oeconomica ed. *Susemihl* . . .	1.50
—— de plantis ed. *Apelt*	3.—
Arriani expeditio Alex. ed. *Abicht*	1.20
—— scripta min. ed. *Eberhard* . .	1.80
Athenaeus ed. *Kaibel*. 3 voll. . . .	17.10
Augustinus iter. ed. *Dombart*. 2 voll.	6.—
Aulularia ed. *Peiper*	1.50
Ausonius ed. *Peiper*	6.60
Autolycus ed. *Hultsch*	3.60
Avienus ed. *Breysig*	1.—
Babrius ed. *Schneidewin*	—.60
Boetius de inst. arithm. ed. *Friedlein*	5.10
— de consolatione ed. *Peiper* . .	2.70
— — comm. in libr. Aristotelis περὶ ἑρμηνείας rec. *Meiser*. 2 voll. .	8.70
Bucolici Graeci ed. *Ahrens*. Ed. II. .	—.60
Caesar ed. *Dinter*. 3 voll. Ed. mai. .	3.—
Singula volumina	1.—
— — Ed. II. min	1.50
— de bello Gallico. Ed. II min.	—.75
—— — civili. Ed. II min. . . .	—.60
Cassius Felix ed. *Rose*	3.—
Catullus ed. *Müller*	—.45
— ***Tibull.***, **Propertius** ed. *Müller*	2.70

	M. ₰
Celsus ed. *Daremberg*	3.—
Censorinus ed. *Hultsch*	1.20
Cicero ed. *Müller*. 5 partes (= 11 voll. = 37 fascc.)	22.35
—— oratt. selectae XXI ed. *Müller*. 2 partes	1.50
—— —— XIX edd. *Eberhard* et *Hirschfelder*	2.—
—— epistolae ed. *Wesenberg*. 2 voll.	6.—
—— —— sel. ed. *Dietsch*. 2 partes	2.50
Cleomedes ed. *Ziegler*	2.70
Commodianus ed. *Ludwig*. 2 voll.	2.70
Cornelius Nepos ed. *Fleckeisen* . .	—.30
Cornutus ed. *Lang*	1.50
Corpusculum poesis epic. ludib. edd. *Brandt* et *Wachsmuth*. 2 voll.	6.—
Curtius Rufus ed. *Vogel*	1.20
Dares Phrygius ed. *Meister*	1.20
Demosthenes edd. *Dindorf-Blass*. 3 voll. (= 6 partes.) Ed. IV min.	4.50
Singulae partes	—.75
—— —— 3 voll. Editio maior . .	7.20
Dictys Cretensis ed. *Meister* . . .	1.50
Dinarchus ed. *Blass*	1.—
Dio Cassius ed. *Melber*. Vol. I . .	4.50
Dio Chrysost. ed. *Dindorf*. 2 voll.	5.40
Diodorus ed. *Vogel*. Vol. I. II. . .	7.20
Dionysius Halic. ed. *Jacoby*. Vol. I-III	9.60
Dracontius ed. *de Duhn*	1.20
Eclogae poet. latin. ed. *Brandt* . .	1.—
—— poet. graec. ed. *Stadtmüller* .	2.70
Epicorum Graec. fragm. ed. *Kinkel*. I	3.—
Euclidis elem. ed. *Heiberg*. 5 voll. .	24.60
Eudociae violarium ed. *Flach* . . .	7.50
Euripides ed. *Nauck*. 3 voll. Ed. III.	5.70
Singulae tragoediae	—.30
Eusebius ed. *Dindorf*. 4 voll. . . .	15.—
Eutropius ed. *Ruehl*	—.45
Fabulae Aesopicae ed. *Halm* . . .	—.90
Fabulae Roman. ed. *Eberhard*. Vol. I	3.75
Florilegium Graec. Sing. fascc. (10)	—.45
Florus ed. *Halm*	1.—
Frontinus ed. *Gundermann*	1.50
Gaius ed. *Huschke*. Ed. V.	2.70
Galeni scripta min. edd. *Marquardt*, *Mueller*, *Helmreich*. 3 voll. Vol. I. II	4.50
Gellius ed. *Hertz*. 2 voll. Ed. II.	4.20
Georgius Cyprius ed. *Gelzer* . . .	3.—
Heliodorus ed. *Bekker*.	2.40
Herodianus ed. *Bekker*	1.20
Herodotus edd. *Dietsch-Kallenberg*. 2 voll. (= 5 fascc). Ed. II . .	2.70
Utrumque volumen	1.35
Hesiodus ed. *Flach*	—.45
Hesychius Milesius ed. *Flach*. . .	—.75
Hieronymi de vir. ill. lib. ed. *Herding*	2.40
Historia Apollonii ed. *Riese*. . . .	1.—
Historici Graeci minores ed. *Dindorf*. 2 voll.	8.25
Historicorum Rom. rell. ed. *Peter*	4.50

CATVLLI TIBVLLI PROPERTII
CARMINA.

ACCEDVNT

LAEVII CALVI CINNAE ALIORVM
RELIQVIAE

ET

PRIAPEA.

RECENSVIT ET PRAEFATVS EST


LVCIANVS MVELLER.



LIPSIAE

IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI.

MDCCCXCII.



LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

CAROLO · HALMIO

MONACENSI

D · D · D

LVCIANVS · MVELLER

L. S.

Trium poetarum elegantissimorum et diutinae nec fortuitae coniunctionis vinculo nexorum Catulli Tibulli Propertii carmina uno volumine edendi cum data esset nobis facultas, auctores fuere amici ut Laevii Calvi Cinnae et siqui extant scriptores Valerio ut temporum spatiis ita studiorum rationibus similes adderemus librorum reliquias: quibus facile sumus obsecuti. Praeterea Priapea quando etiam oportebat inseri huic bibliothecae nusquam alibi melius subiungi posse erat persuasum (etenim integro volumini non sufficiebant) quam in fine operum cantorum Euphorionis, a quorum plurimum pendent imitatione. Ceterum ut hi lusus longe corruptissimi feruntur libris scriptis ita eroticorum de quibus supra memoravi opera tot tantisque sunt mendis depravata, non ut possit expectari fore ut omnes, quibus laborant illa, difficultates iam emissa hac editione tollantur. Augebatur difficultas incepti ea re, quod maior pars eorum qui post Lachmannum haec carmina edidere mihi quidem videbantur non ea usi iudicii sive libertate seu sollertia qua sola posset aliquid profici in opere sanequam arduo. Hinc multa ab Italis saec. XV et qui consecuti eos sunt tempore criticis recte constituta et olim vulgo recepta sed spreta post

Lachmannum suo iam restituimus honori. Ac tamen saepius quam apud priores in nostra recensione invenies obelum adpositum versibus, quo et vitia nondum sanata demonstraremus et aliorum excitaremus criticorum industriam. — Id potius visum quam fucata integritatis specie imponere incautis. Quamquam in hac subsidiorum criticorum tenuitate restabunt utique loci quidam quos ne Aristarchus quidem ab inferis si resurgat ad pristinam possit revocare formam.

Ceterum nova subsidia codicum adfuere nobis etsi non magna, non tamen omnino spernenda. Et e Catulli quidem libris nihil fere aderat nobis instrumenti critici nisi quod Schwabii diligentia comparasset. Tamen ad rectius constituendos quosdam huius pariter et consortium eius versiculos ab Isidoro allatos adfuere nobis variae lectiones a Iosepho Kleinio ex ditissimo quem collegit apparatu magna cum comitate suppeditatae. Nec minus memoranda Martini Hertzii praeceptoris dilectissimi liberalitas qui de quibusdam Gellii locis dubitantem me firmavit. Ad Priapea quattuor quae ultima ordine habentur emendanda adfuere nobis membranae Bruxellenses celeberrimae illae sed saec. XIII vix antiquiores, quas ipsi usurpavimus oculis. Sed enim earum lectiones praeter carmen illud 'quid hoc novist? quid ira nuntiat deum' nuper cum summa fide et cura enotarat Aemilius Grossius Regimontanus in ann. philol. a. MDCCCLXVIIII pag. 275 sqq. Tibulli lusus qui inter epigramma de opusculis iuvenalibus Vergilii et elegias de Maecenate moribundo habetur interpositus omni caret sive inscriptione seu subscrip-

tione. At idem legitur in cod. Monacensi 18059 s. XII addito hoc titulo 'priapeia Maronis incipit.' Huius scripturas ad Lachmanni exemplar collatas propria manu transmisit mihi Carolus Halmius, cuius legitur in fronte huius editionis nomen. Ceterum utriusque membranae lectiones adeo inter se sunt similes, non ut ovum magis sit ovo. Horum quidem cognitis lectionibus eo magis Cuiacianus Scaligeri liber quanta fuisset praestantia nobis apparuit. Sunt enim conpares ferme libris saec. XV et ex eodem plane quo illi fonte deducti, unde et vv. 17. 18 simili modo conflati quo in illis turbatos fuisse eosdem vel scimus certo vel probabiliter coniectamus. Vnde haud sane magnus usus membranarum earum nobis fuit ad emendanda verba Tibulli.

At in elegis eiusdem auctoris praesto fuere mihi excerpta codicis Frisingensis de quo plurimi memoravere. Ea qua par erat cura a nobis descripta — nam Monachio erant transmissae membranae — in praefatione Tibulli exhibentur integra. Praeterea siqua aliter atque in Lachmanni editione factum inveneris notata de codicibus a Scaligero adhibitis in emendandis Albii libris, ea scito me sumpsisse ex Franckenii, Professoris Groningani, libello quodam de quo in Tibulli praefatione dicetur. Idem magna cum humanitate aliquotiens nos dubitantes de scripturis codicis Propertii Groningae qui adservatur firmavit. Denique Guelferbito adlatae adfuere membranae Neapolitanae in quibus etsi paucissima erant relicta, quae Lachmanni et Hertzbergii diligentiam fugissent, illud tamen ut alia taceam commodi nacti sumus collatione denuo instituta, etiam magis quam

ante ut appareret nobis affinia quidem ei bonitate esse editionem Regiensem ac librum Puccii, tamen ut satis longo ea superet ipse intervallo.

Ceterum in tanta membranarum veterum paucitate multo plura subsidia erant repetenda ab ratione et iudicio, quae quidem vel sexcentis codicibus eisque antiquissimis praeferre numquam dubitavimus. — Sed enim critici muneris partes quomodo tutati simus, non erit nostrum diiudicare sed lectorum. Illud tamen cum fiducia adserimus nulla nos quae plerisque offuit horum carminum editoribus superstitione captos neque ira aut studio occupatos in constituenda lectione Lachmanni sensus magis sequi quam verba. Denique monemus editis iam Phaedri Horatiique et eroticorum libris (nam Lucilii qui proximo anno prodibit diversae paullo sunt rationes) quasi specimen haberi operis eius, quo omnes Romanorum poetas praeter scaenicos complectimur.

Q. VALERII CATVLLI VERONENSIS

LIBER.

ACCEDVNT

LAEVII CALVI CINNAE ALIORVM

RELIQVIAE

ET

PRIAPEA.

PRAEFATIO

CATVLLI CARMINVM.

Catulli Tibulli Propertii carminum editiones ut parabiles maxime et commodae tres potissimum hodie doctorum hominum usu teri solent, Henrici Keilii, Augusti Rossbachii, Mauricii Hauptii. Et Keilium quidem olim emissis observationibus in Propertium criticis bene meritum de Sexto omnes norunt: sed enim hactenus a viro eximio dissentire cogor, quod ille pleraque in eiusdem poetae libris anno 1850 editis cum corrupta esse haberet persuasum relinquere intacta quam coniecturis immutare maluit, nos pro nostrae recensionis rationibus contrariam potius viam ingredi e re esse credidimus. — De Rossbachii curis quid statuam, quibus cupido incesserit cognoscendi facile poterunt deprehendere. Hauptium illis, de quibus agitur, poetis operam navasse utilem et luculentam constat inter omnes. Ac tamen multis in locis dissentiendum mihi fuit ab eo, quippe quem nimia cum religione Lachmanni exemplar observasse existimarem.

Quod cum ita sit, huius potissimum viri quae fuerint rationes quodque consilium edendis Catulli Tibulli Propertii libris cum cura erit perscrutandum.

Itaque primum omnium satis constat, etsi fugit plerosque, longe alias fuisse rationes Lachmanni, a. MDCCCXVI cum Propertii libros ederet, et cum MDCCCXXVIIII huius pariter et Catulli Tibullique carmina emitteret. Nempe tum cum primum accederet ad criticam artem exercendam, duplex agitavit consilium, et depellendi tot

interpolationes quae Italorum per saec. XV libidine, mox Scaligeri et aliorum Sexto accesserant librorumque qui ipsi viderentur optimorum adserendi lectiones et recuperatis iam sincerorum codicum testimoniis ac falsorum fraude depulsa emendandi via ac ratione ea, quae corrupta esse ipsi esset persuasum. Hoc autem munere tam egregie functus est, nomen eius ut sit habendum haud dubie inter eos qui plurimum profuere Propertio. Nam etsi Puccii excerptis ex antiquissimo si dis placet codice Bernardini Vallae ductis nimium fidei habuit nec illud perspexit potiorem longe esse librum Neapolitanum Groningano, tamen verba Propertii immensis tunc temporis depravata interpolationibus plurimis in locis ad pristinam formam, laceram quidem illam et mendosam, sed fucata specie veri carentem revocavit. Tum quae depravata viderentur ipsi sive aliorum usus coniecturis sive propriis magna ex parte feliciter cum sanasset, si tamen a vero nonnumquam aberravit, quid mirum in adulescentulo vix viginti annorum?

Duplici autem modo evenit ut quod verum esset haud raro eum falleret. Primum enim codicum sincerorum lectiones, quas diu oblivione mersas ipse magno cum labore eruisset et quasi iure postliminii donasset, a fraude integras illas, ceterum aperte corruptas interdum cupidius est tutatus, cuius studii socios habuit Iacobum et plerosque alios. Deinde hic illic coniecturis indulsit aut non necessariis aut nimis violentis aut talibus, quae melius mutarentur aliorum criticorum inventis.

Sed ab his quas modo exposui rationibus longe diversae illae quas secutus est in eroticorum libris recensendis anno MDCCCXXVIIII. Nam cum probasset iudicibus idoneis viam antea initam confutatis fraudibus Italorum antiquissimam formam scriptorum Latinorum recuperandi, a qua omnis emendandi ars et studium proficisceretur, quas modo Propertio rationes iam Catullo et Tibullo adhibuit idem. Id igitur potissimum voluit efficere editione nova, ut legerentur eroticorum libri non quales ab ipsis auctoribus essent emissi in volgus

sed quali fere tum habitu fuissent cum ad patriam longis a finibus exsules ut est in noto epigrammate redierunt idem. Quod studium quam utile fuerit eis qui tractaturi essent carmina de quibus agitur memorare non attinet. Nam, quod aiunt, primus ad veritatem inveniendam gradus est falsa cognoscere. Ceterum hoc munus, quamquam satis amplum et ipsum, aliis tamen auxit et cumulavit. Nam et coniecturas aliquot addidit proprias easque ex parte praeclaras nec minus multis in locis aperte corruptis priorum criticorum emendationes sive in textum recepit sive in notis proposuit, ne scilicet nimis rudes indigestique viderentur libelli illi elegantissimi sed iniuria temporum depravatissimi utque auctoritate et exemplo posteriores criticos hortaretur ad menda ea quae relicta essent, sane illis quae sublata non pauciora, simili industria removenda.

Has autem, non alias, rationes fuisse Lachmanni in recensione eroticorum a. 1829 in vulgus emissa et Catulli carminum exemplo firmatur et magis Tibulli ac Propertii. Quantum ad Albium, potissimam ac prope unicam laudem editionis Lachmannianae in eo esse positam, quod primus verba huius in quantum potuit fieri ab Italorum interpolationibus vindicata repraesentavit, iam optime monuerunt Franckenius in libello de emendandi Tibulli carmina rationibus scripto — is insertus Academiae Amstelodamensis commentationum literariarum parti X — [pg. 2. sqq.] et paullo post Ritschelius in opusculo de eiusdem poetae elegia quarta libri primi, quod extat in actis societatis literariae Saxonicae a. 1866 editis [pg. 2 sq.]. Et hercule quis credet Lachmannum, commentarii Propertiani Lucretianique illum auctorem, relicturum fuisse intactos in Tibullo tot locos, qui vel a sensu communi vel a pura latinitate plane abhorrerent, si potius aliud quid quam codicum optimorum scripturam tum temporis proponere vellet? Etiam apertior res est in Propertii editione. In qua relictis plerisque, quae ipse olim sagacissime detexerat vitiis nulla fere quam quae pridem ab Italis remota essent menda sustulit, Friderici Iacobi potissimum recensionem

secutus. Quam quod optimam appellavit, agnosces eun Socratica ironia sive Luciliana urbanitate, ut nonnun quam alias, lepidissimo cum ioco usum. Neque enim ull pacto adduci possum, ut credam id eum ex animi senten tia tulisse iudicium, nisi forte statuemus eum, qui quant esset ingenii sollertia et prima declaravit aetate et summ in mediae vitae flore hebetem fuisse atque obtusum. Ete nim de Iacobo aliter iudicandi quam olim in libro d. r. m pg. 52 sq., mox in opere eo quo classicorum apud Neder landos studiorum rationes sum persecutus pg. 226 feci nullam equidem prorsus video facultatem. Eum hic illi in scriptoribus quos edidit tractandis vidisse id quo verum erat concedo: sed aliud est bonum criticum esse aliud observatione aliqua sive coniectura veterum script iuvare, e quibus hoc plerisque, illud contigit paucissimis Nempe in Iacobo praeter summam rei metricae imperitian vix minus agnosces studium abstrusissima quaeque et simplicitate iudicandi alienissima sectandi. Quam pra vitatem probavit et defendendo pertinaciter plurima qua corrupta essent, adhibitis plerumque ad sustentandan traditam lectionem locis item depravatis, et propriis hau raro coniecturis quae si membranarum testimoniis nite rentur, ante omnia essent emendando tollendae. Hin etiam evenit elegantiae cuiusvis poeticae et nitoris con temptus ille, scabritiaeque amor et sordium, quo impulsu pleraque Italorum commenta et siquos Batavi illis e iudicii subtilitate et poetarum peritia similes tulerant immerito habuit contemptu. Accedit, quod mira fati in felicitate eos potissimum auctorum libros sibi sumpsi tractandos, qui difficillimi sane et corruptissimi vel Sca ligeris aliquando et Bentleiis fuerant desperandi, put Propertii, Manilii, eius qui scripsit carmen de Aetna Hinc factum, ut florentissimus elegiacorum tot ac tanti sordibus inquinaretur, saepe ut ferae quam hominis eun diceres similiorem.

Atque haec equidem pro fide nostra et veritatis stu dio, quo toti tenemur exponenda esse censuimus. Ceterun rationes editionis a Lachmanno a. 1829 publicatae cun

minus perspexissent plerique, mirum quantum turbarum errorumque sit commotum inter doctos.

His expositis nihil obstat, quin ad singulos, qui hac editione continentur, eroticorum libros transeamus.

De archetypo codicum Catulli post Hauptium [quaest. Catull. pg. 2—9] Heysiumque [vers. Cat. german. 279—82] et Leütschium [acta erud. Gotting. a. 1855, 1975—78] ac Boehmium [quaest. Cat. a. 1862 Bonnae editis pg. 2 sq.] dixit Schwabius in praefatione libri Catulliani ab ipso a. 1866 editi, ex qua potissima hoc loco bis terve immutata brevibus repetemus verbis [Cf. et Ellisii praef. pg. 21 sqq.].

Itaque saeculo VIIII videtur extitisse in Gallia, quae tum optimorum studiorum potissima erat sedes, codex quidam carminum Catulli, scriptura Langobardica, ut puto, satis quidem ille mendosus ac lacer. Et hunc potius quam exemplar Veronense fuisse paginarum distributione ea quam Lachmannus repraesentavit in editione, modo verum sit eius inventum, rectissime monuit Schwabius pg. XXVIIII. De qua re et mihi duco paucis agendum, cum plerosque hodie iam videam improbare Lachmanni sententiam. Quidam etiam cupidius quam cautius huic viro oblocuti, omnium autem inportunissime Theodorus Heysius, qui in appendice interpretationis Catulli quasi de tripode et neglecta quam Lachmanno debebat verecundia eum graviter errasse asseverat. Idem tamen argumentis ad convincendum illum aptis pepercit, contentus addidisse, sibi prioris partis codicis archetypi paginarum descriptionem esse notam, de posterioris non perinde constare. — Mihi potius videtur in priore libro sive ut apertius rem declarem usque ad c. 50 v. 16 paullo minus certam firmamque esse computationem Lachmanni (ob eam potissimum causam ut opinor quod gravius erat lacunis depravata); sed ab hoc inde res tam clara tamque comperta, nihil ut magis. Neque vero quicquam valet, quod fuit qui miraretur Lachmannum nullum titulis carminum in versuum computatione reliquisse locum: nam potuere additi esse illi margini, ut saepe in vetustis libris factum, nisi potius Schwabio ducerem accedendum qui

eos a librario demum codicis Veronensis putat adiectos. Sunt autem ut obiter hoc moneam inscriptiones istae plane tales quales nuper in praef. Hor. pg. 10 descripsi, hoc est ex primis potissimum carminum versiculis ineptissime conflatae, cuius rei exempla videre est apud Schwabium pg. 20. Hinc et ortus titulus epyllii qui diutissime ei adhaesit Argonautia, quia initio operis de Argonautis erat sermo. Nec pluris est, quod displicuit nonnullis, Lachmanni si computationem sequaris, mirum esse quod Catulli liber tricesimo ultimae archetypi paginae versu conclusus. — Nam etsi ne hoc quidem per se habere cur nimium stupescamus agnoscent illi qui multos versarint codices, statuit sine dubio Lachmannus sicut similiter Heysius in fine libri quaedam excidisse: nec plena nos habere Catulli carmina certo constat.

Iam ut concedam — quod tamen aegre facio — Boehmium in quaest. Catullianis et Westphalium in libro, quo interpretatus est carmina poetae [pg. 14 sqq.], unam alteramve rem attulisse qua accepta semel bisve alienus ab eo quem Lachmannus proposuit archetypi versuum ordo magis commendaretur, tamen in tali computatione is solus omne feret punctum, cui tota constabit ratio, nec vero cuiquam constitit praeter Lachmannum.

Eam rem non est cur longius persequamur, cum Hauptius in quaest. Catull. pgg. 38—49 de eadem tam curiose dixerit, nihil ut videatur posse addi. Excerpam paucula ab eo notata. Itaque nemo nisi qui Lachmanni inventum probarit poterit expedire qui factum sit ut 63, 14 vocabulum *celer* cum ineptissime et everso metro legatur additum iam post sexaginta versus sensui pariter ac numero apte succurrat, utque 50, 16, 17 iterum extent post 30 versus interiectos et post 64, 386 insertus habeatur 67, 21 et post 68, 48 eiusdem elegiae 16.

Neque vero possum Schwabio adsentiri vix ullam utilitatem eventuram recte computato archetypi Catulliani paginarum numero. Nam etsi sane ratio omnibus membranis est potior, plurimum tamen intererit criticorum harum testimonio firmari quae ab illa sint perspecta.

Veluti in c. 63 cum mancus ut paulo ante memoravi ferretur antiquitus versus 74 ita:

roseis ut huic labellis sonitus abiit,

quis eximium ac paene dixerim divinum Bentleii, qui illud *citus* supplendum existimavit post *sonitus,* sperneret inventum (etsi sprevere nonnulli), nisi Lachmannus ex ipso Catulli archetypo vocabulum a poeta adhibitum recuperasset? Quamquam perfecit emendationem Heysius. Neque minus laetabimur, cum Scaliger vidisset iungenda esse interse carmina 87 et 75, iam eiusdem Lachm. virtute originem erroris, quo diducta sunt illa, esse patefactam.

Ceterum ex archetypo in anthologiam quandam Gallicam fluxit c. 62, unde circa a. 900 descriptum idem in cod. Parisino 8071. Eodem ferme tempore Veronae ut putant in patria urbe Catulli fuit liber similiter ex illo archetypo ductus, quem a. 965 Ratherius episcopus legit. Mox idem tenebris rursus et oblivione abditus, donec Petrarcae tempore, h. e. ante annum fere 1330 ex latebris denuo emersit. De qua re notissimum testatur Benevenuti Campesanii epigramma:

ad patriam venio longis a finibus exul.
  causa mei reditus compatriota fuit,
scilicet a calamis, tribuit cui Francia nomen,
  quique notat turbae praetereuntis iter.
quo licet ingenio vestrum celebrate Catullum,
  cuius sub modio clausa papyrus erat.

Ex eo, quem et ipsum Langobardicis literis perscriptum fuisse non abhorret a vero, ab anno inde 1375 (certe de vetustiore exemplari non iam constat, etsi fuit tale in bibliotheca Petrarcae) subinde complures descripti sunt codices, inter quos principem locum obtinet et tempore et pretio Sangermanensis 1165 ipso illo anno exaratus Veronae, alterum Laurentianus, tertium Colbertinus, quartum Datanus. Hi omnes sunt saeculo XV scripti, et recentissime quidem Datanus, h. e. a. 1463. Horum potissimum librorum fide, quibus quintum addidit Hamburgensem Schwabius, sincera in Catulli carminibus nititur lectio. Ceterum archetypus Veronensis quando per-

ierit non satis constat, nisi quod eum apud Guarinorum familiam per saec. certe XV fuisse probabili sane coniectura statuit Lachmannus. Videnda etiam quae dixit Hauptius libelli academ. a. 1857 editi pgg. 5. 6.

Sed temporibus isdem pleraque provenere exemplaria ab Italis grammaticis interpolata, cum studerent pro virili parte poetam suavissimum sed cuius verba mirum in modum essent corrupta, adaptare lecturis. Hi pleraque vitia rara felicitate ingenii sustulerunt; quamquam ne hoc quidem mirum eosdem nondum firmata iudicandi arte in emendandis Catulli verbis saepiuscule aberrasse a vero. Ceterum cum maximo doctorum amore foverentur huius pariter et reliquorum eroticorum carmina, ne insequentibus quidem saeculis defuere critici carminibus Catulli restituendis. Quorum potissimos qua decet brevitate hoc loco percensebimus. Itaque primus nominandus Antonius Muretus elegantissimi iudicii homo aptique Catullo ingenii, porro Achilles Statius, qui item commentariis editis bene meritus est de Valerio pariter atque Albio, melius tamen de illo. Deinde memorandus Iosephus Scaliger, cuius in poetas latinos curae quanti essent aestimandae (nam quidam in laudando eo fuere nimii) nuper in libro de classicis Nederlandorum studiis pg. 224 demonstravimus. Huius ingenium cum magis vetustiorum latinae linguae auctorum quam recentiorum libris emendandis esset aptum, Catullo, qui medius fere est inter utrosque, multum profuit. Nec spernendam sane operam in eiusdem libro vel emendando vel explicando collocavit Isaacus Vossius, immensae vir doctrinae, neque hebetis iudicii, sed saepe minus simplicis, ne dicam perversi. Neque silentio tegenda quae magna illa lumina Batavorum, Nicolaus Heinsius et Iohannes Schraderus, eidem praestiterunt poetae. Nam cuius editionis Broukhusius spem fecerat doctis hominibus, ea vero non pervenit ad finem. Ceterum temporum spatio cum aliae super alias coniecturae essent illatae in poetae Veronensis librum, neque codicum meliorum testimonia iam respicerentur, sensim evenit, ut Catullum in ipso requireres Catullo. Huic in-

commodo obviam iit Lachmannus, de cuius iam supra memoravi editione. Is ex immenso apparatu quem collectum a Laurentio Santenio, qui circa finem saeculi superioris iniquissimo tempore Heinsios et Broukhusios propria aemulatus erat industria, bibliotheca possidet Berolinensis elegit ut sincerae lectionis testes fidissimos et cum quorum alterutro libri non interpolati ubique consentirent codices quos vocavit Laurentianum et Datanum. Quae res quantum commodi attulerit Catullo dici vix potest. Nam etsi nec Germanensis libri lectionum ullam habuit notitiam Lachmannus, et aliquando Datano tribuit nimium, ea tamen dexteritate in deligendis quos sequeretur codicibus fuit, paucis ut locis exceptis Catulli scriptura ea quae fuerat in archetypo Veronensi recuperaretur, unde iam cum commodo posset principium sumero omnis emendandi probabilitas ac ratio. Post hunc multum profuit Catullo Hauptius, de quo etiam diximus. Hoc vix minorem laudem meruit Schwabius, qui quamquam ipse pauca novavit in verbis poetae, multum tamen ei praestitisse censendus est. Primum enim quaestionibus Catullianis a. 1862 editis quae fere de vita et studiis Catulli ratione et iudicio adhibitis possent expediri, feliciter enucleavit, cum contra Westphalius in eadem materia tractanda ita indulserit ingenio luxurianti, ut potius fabulam Milesiam quam historiam veram aut verisimilem composuisse mihi videatur, de qua re et Rettigius dixit in libello academico Bernae 1868 emisso, cui titulum fecit Catulliana, nec minus alii. Deinde idem Schwabius recensione Catulliani libri a. 1866 instituta et archetypi Veronensis exemplaris in quantum potuit fieri pari usus diligentia et sollertia cum fide repraesentavit scripturas (quamquam eum bis terve libro Sangermanensi plus aequo detulisse existimo), nec non in lectione constituenda ex permagna parte idem mihi rectissimo videtur esse usus iudicio. Denique memorandus Ellisius, qui anno 1867 carmina Catulli ditissimo instructa apparatu critico et splendidissimis expressa typis edidit. Idem et strophis versus eius dispescuit, de qua re dissertationem addidit

pgg. 221—304, magis, ut puto, quo demonstraret talibus adhibitis ludibriis, quibus nunc delectantur fere philologi nostri, neque utilitatis quicquam nec iucunditatis accedere poetis, quam quod ipse speraret multis se esse probaturum carminum istam divisionem. Coniecturas, quas proposuit vir doctissimus haud paucas, eo plerumque vitio laborare censeo, quo multi Britannorum philologi conflictantur, h. e. amore non simplicissima quaeque sectandi, sed abstrusissima: bis terve me eis uti memini, nec saepius commentis Heysii.

Iam ne nimium increscat libri huius moles, in afferenda lectionis varietate ea potissimum persequemur, quae aliter ac Lachmannus in editione a. 1829 emissa fecit, constituenda esse censuimus, omissis fere quae ad orthographiam pertinent vel siqua invito illo ex libris scriptis reduximus aliisque rebus leviculis. Notis autem usi sumus isdem quibus Schwabius ut V litera significaretur exemplar Catulli Veronense, Germanense, Laurentianum, Colbertinum, Datanum per G, L, C, D. Sed antequam singula videamus, paucis erit dicendum, qualem probandam existimaverimus scripturam verborum.

Itaque constat inter omnes in archetypo illo plurima fuisse servata vestigia priscae verborum scripturae, paene ut possis suspicari Frontonis tempore, quo veterem orthographiam ambitioso studio repetierunt homines, extitisse grammaticum, qui librum, a quo originem traxit exemplar Veronense, passim corrigendo ad priscam quae Catulli fuit tempore scribendi normam revocaret.

Igitur saepe invenimus, sive integra scriptura expressam sive corruptelis indicatam diphthongum *ei* pro *i* longa, deinde *uo* pro *uu*, porro *quoi* pro *cui*, ut alia omittam. Quamquam quod legitur identidem in codd. Catulli *qui* pro *cui*, falli eos, qui putarint indicari hac scriptura formam vetustiorem adsentientur mihi, quicumque multos versarint libros scriptos. Haec simili modo quo in archetypo extitisse erat persuasum et ipsi repraesentavimus, plane sicut Schwabius et alii, quod contra, ut eadem ratione usi priscam ubique reduceremus scripturam, nisi ubi nimia

erat vitanda inaequalitas ut 22, 7; 39, 4; 45, 1; 23; 99, 2, permoveri non potuimus, inconstantiae potius subituri crimen quam morositatis. Excerpenda tamen haec: scripsi ubique *quoi, ingenuos, aevom, novom, tuos, tuom,* etiam contra libros; quippe hoc modo non alio Catulli aetate scripta fuisse verba ista extra dubitationem erat positum. Erunt, qui existiment retinenda saltem fuisse illa *tuus, tuum, suus, suum*, quae sane ita scripta ubique occurrunt in libris Catullianis, nisi quod 63, 92 habetur *tuo sit* pro *tuos sit* et ib. 9 *tubam* pro *tuom*. Sed etsi minime ignoro, quod Ritschelius in prolegomenis Trinummi pg. 94 dixit videri posse in his formis prius quam in reliquis communis vitae usu substitutum *uu* pro *uo,* tamen ipse vir summus concedet, ut puto, nullis commendari hanc sententiam testimoniis, nisi fide membranarum, quae a septimo urb. c. saeculo distant annis minimum quingentis. Quid autem mirum librarios saeculi p. Ch. quarti vel quinti in vocabulis pervulgatissimis sui magis temporis scribendi consuetudinem quam vel Catulli vel Plauti expressisse? Itaque maioris erit momenti, bis terve si inveniatur in scriptis libris *tuos, tuom*, quam si centies *tuus, tuum*. Ceterum conferenda quae scripsit Brambachius in libro de orthographia latina pg. 87 sqq.

Quod contra intacta reliqui illa quae sunt *metuunt solvunt* similia, in quibus numquam variant membranae, quamquam minime ignoro vel apud Ovidium [cf. Merkel. praef. p. III pg. VIII] et alios posterioris aetatis scriptores hic illic exhiberi vetustis libris *volvont solvont* alia eiusmodi. Sed antiquissimorum Vergilii codicum exempla dum considero, mihi quidem videtur haut dissimile veri in verbis prius quam in nominibus contemptum illum coepisse legis sonorum qua observata caverant plerumque priores, ne *u* vel *i* eadem sequeretur vocalis. Praeterea semper scripsi *voster* pro *vester*, quamquam quod saepe pro illo in codicibus legitur *noster* parvi momenti esse vel nullius ad formam vetustiorem adstruendam fatebuntur qui scient et *noster* et *vester* eodem, primam litteram si excipias, scribi solita esse compendio. Sed videnda quae

dixit Brambachius pg. 101. Accusativi pluralis in is exeuntis exempla nisi quando aperte commendarentur sonorum lege non duxi retinenda, ne turbarent potius intellectum quam iuvarent, cum praesertim in his et maxima inaequalitas et minima sit fides membranarum; nec id mirum cum grammatici iam a saeculo a. Chr. primo terminationes casus quem dixi non pro vivido vulgi usu aut antiquis et non corruptis ingeniorum monumentis sed scholasticis argutiis et ex arbitrio plerumque definierint. Hos si sequendos duxissem, praestabat hercule scribi sicut in edd. saec. XVI factum *omneis tristeis puppeis* similia.

At metrorum legibus stabilitas scripturas praeterquam quod ubique illud *est* et aliquando *es* legitur truncatum exhibemus potissimum has. Omnibus reposuimus locis illa *nequis, siquis, nescioquis, praeternos, praeterte interse, intrase,* similia, de quibus diximus libri nostri pgg. 371, 372. Praeterea id quod est *potis sum* tutius visum uno vocabulo efferri quam duobus. Alia autem quaedam levicula facile ipsi deprendent lectores.

Sed tandem aliquando ad ipsa Valerii verba perveniamus.

1, 1. *quoi* v., *qui* V, *cui* Auson. pgg. 189. 332 ed. Bip. (ita etiam Vossianus liber) et Isidorus VI, 12, 3; ceterum in eiusdem Guelferb. est *novo libello.*

ib. 2. *arida modo pumice expolitum.*

In Catulli libris est illud *arido* atque ita omnes qui afferunt hunc versum grammatici, etiam, si Gaisfordio fides, Atilius pg. 2676, excepto quod in Isidori cod. Parisino 7582 post *o* habetur rasura, ut possit videri prius fuisse *a*. Sed Servius ad aen. XII, 587 adserit, dixisse Catullum pumicem genere feminino, idque verum iudice euphonia.

ib. 9. Schwabium secuti reposuimus id quod ante Lachmannum ferebatur *qualecumque quod o patrona virgo,* addito *o,* quod abest a libris. Cf. 61, 117; priap. 84, 2. 85, 1. Nempe Lachmannus, qui et post octavum versum et post medium nonum lacunam adesse sibi persuasit ea potissimum re perductus ad hanc sententiam videtur de-

scendisse, ut primae paginae legitimum versuum numerum pararet. Sed oblitus est omnes probabilitatis numeros implere titulum operis non, quod ipsi visum est, uno versiculo sed compluribus fuisse exaratum.

2, 7. *ut solaciolum sui doloris; ut* Aldina a. 1502, *et* V. Vulgatam scripturam non intellego qui potuerit Lachmannus tueri v. 7 c. 38.

2, 8 *iam* scripsi, *cum* V; ita 64, 143 membr. *tum* pro *iam; acquiescat* Itali, *acquiescet* V.

3, 10 *pipiabat* Vossius, Schwabius, Hauptius ed. III, *piplabat* V, *pipilabat* v.

4, 4 *nequisse praeterire;* ita v., quod correxi. In parodia huius v. quae legitur in Vergilii catalectis [8, 4] recte exhibet optima membrana *nequisse praeter ire.*

5, 13 *cum tantum sciet esse basiorum. Sciet* Itali, Scaliger ad Priap. 52, 12; cf. et Buechelerus quae dixit m. Rh. XVIII, 401; *sciat* v.

6, 12 *nam nil stupra valet, nihil tacere; nil* Dousa minor, *stupra* et *valet* Scaliger, alii; codd. *nam ni ista prevalet.*

ib. 19, 20 *laeva sive dextera vocaret aura.* Non recte Lachm. ad Lucr. pg. 178 *vagaret;* haec enim verbi forma neoterico poetae non convenit. Male cd. Groninganus in Prop. III, 29, 1 illud *vagarem.*

ib. 22 *litoralibus diis;* ita V, sed cf. d. r. m. 254, 255. Boni poetae non magis usi sunt formis *dii* et *diis* quam illis quae sunt *ii iis iidem iisdem.*

7, 4 *lasarpiciferis* V, Schwabius; *laserpiciferis* v.

8, 15 *scelesta vae te!* Meleager, *sc. ne te* codd.

9, 1 *Verani* Ramlerus; *Veranni* codd.

ib. 4 *anumque* Faernus; *suamque* V.

10, 8 *ecquonam* Statius, *et quoniam* sive *quonam* V.

ib. 13 *faciens* Gronovius, *faceret* V.

ib. 21 *at mi nullus erat nec hic neque illic; nec* priore loco codd., quod reduxi.

ib. 26 *istos: commode enim volo ad Sarapim; commode* Statius, *enim* Handius; codd. *commoda nam.* Ceterum

illud *Sarapim* reduxit Schwabius et exemplis plurimis adseruit Ellisius.

ib. 27 *minime* Pontanus; *mane me* V; alii scripserunt *mane inquii puellae*, durissimo metro.

Post haec verba unius versus lacunam statui cum Lachmanno, secundum Guarini nepotis testimonium, quamquam dissentiente Schwabio.

11, 5 *Arabesve* Ph. Wagnerus, Schwabius; cf. aen. VII, 605; *Arabesque* v.

ib. 11 *horribile aequor* Hauptius, *horribilesque* V.

ib. 23 *praeter eunte* ego; cf. 4, 4; *praetereunte* v.; ib. *posquam* D; ita idem 84, 11.

15, 11 *quem tu qualubet, ut iubet, moveto;* ita codd., et quidem recte; cf. Hor. sat. I, 2, 68; v. *ut lubet.*

ib. 17 *a* V ut videtur, Schwabius; *ah* v. Videnda quae nuper diximus ad Hor. c. I, 27, 18.

16, 1. 14 *pedicabo;* ita ubique iam scripsimus cum Schwabio, Buechelerum [m. Rh. XIII, 153] secuti et Fleckeisenum [ann. ph. LXXXIII, 574].

ib. 12 *quom milia; quom* nos, *que* V, v. *qui* vel *quod.*

17, 6 *Salisubsili* libri, *Salisubsilis* Statius, fort. recte.

21, 1 *essuritionum* Bergkius, *exuritionum* V, *esuritionum* Lchm.; similis varietas scripturae in v. 10. 23, 14.

ib. 7 *insidias mihi instruentem; struentem* O. Ribbeckius, fortasse recte.

ib. 11 *a me me!* Scaliger, *me me* codd.

22, 5 *palimpseston* Lachm., quamquam rectius, ni fallor, se habet, quod placuit N. Heinsio, *palimpsestum*, cum minus videatur probabile in vocabulo pridem usitato vulgatoque Romanos Graecam potius quam Latinam probasse declinationem.

ib. 8 *derecta* Statius, *detecta* V.

ib. 13 *scitius* scripsi, *tristius* V, *tritius* v., quod ab hoc loco alienum.

23, 10 *non furta inpia; furta* Hauptius, *facta* codd. Similiter saepe peccatum in membranis.

ib. 27 *nam sat es beatus; satis* codd., corr. Itali. Eodem modo erratum in Propert. III, 18 b, 30.

24, 4 *Midae* Vossius, *Mi* V.

25, 2 *oricilla* Scaliger, *moricilla* V; cf. et Buecheleri Coniectanea Latina [ind. schol. hibern. Gryphiswald. a. 1868—69] pg. 16. Quamquam is videtur praeferre illud *auricilla.*

ib. 5 *munerarios* Lachm., *mulier aves* vel similia codd.; cf. Schwabii annot.

26, 1 *nostra; vostra* Itali, Schwabius, fort. recte, cf. huius quaest. Catull. pg. 152.

27, 4 *ebriosa acina ebriosioris;* cf. d. r. m. 279.

29, 5 *cinaede Romule haec videbis et feres?* Post hunc versum cum rectissimo iudicio usi addidissent plerique ante Lachm. critici illa *es impudicus et vorax et aleo,* iam post annum 1829 haec verba ab omnibus editionibus exulant. Atqui me quidem si audies, aut Catullus omni ratione et consilio caruit, aut trimeter iste eo loco, quo iam reposuimus, fuit addendus, vel contra librorum fidem, ex quibus mehercule nullam aliam ob causam excidit, nisi quod ut hic versus ab *esi* literis ita proximus incipit ab *eti.* Nam qui in primo carmine negarat Caesaris facinora quemquam posse adspicere aequis oculis, nisi impudicum et voracem et aleonem, eum putabis quasi per soporem tribus versiculis interiectis iam oblitum quod modo dixerat et rursus quasi experrectum e somno versui decimo adicere id quod aut utroque loco addi oportuit aut neutro? Numquam mehercule motus esset loco versus ille, nisi Lachmanni obstitisset auctoritas. Ceterum quam frequens sit Catullus repetendis in simili sententia isdem versibus nemini ignotum.

ib. 8 *aut Adoneus* Statius, *aut idoneus* libri, alii *haut idoneus.*

ib. 13 *vostra;* de pronominibus, quae sunt *vos, vester* positis pro *tu, tuus,* dixit Schwabius in quaest. Cat. 154 sq. Nec solus Catullus amavit hunc usum loquendi. — ib. *defututa* Lachmannus, *diffutura* V. — *Mentula,* cf. Schwabii quaest. Cat. pg. 227 sqq.

ib. 20. Hunc v. quot coniecturis temptaverint docti, videre poterit, cui vacabit, apud Schwabium vel Ellisium;

sed eorum plerosque omnes conatus mitto, cum alii metrum violarint, in quibus etiam Schwabium, Teuffelium, Westphalium fuisse miramur, quidam a sensu sive Latinitate aliena protulerint, pars remotissima quaeque a librorum memoria probarint. Sed plurimis receptum hodie id quod Lachmannus proposuit *time Britannia, hunc timete Galliae,* sive potius quod Hauptius, *timete Galliae, hunc time Britannia.* Tamen horum neutrum id quod verum erat vidisse existimo, ut omittam imperativo modo et sententiae ironicae hic vix esse locum, quoniam revera valde timebant Caesarem tum temporis Gallia et Britannia. Codicum autem scriptura est talis: *Hunc Galliae timet et Britanniae.* Ea certissime apparet, dixisse Catullum quod dicere eum omnino intererat concinnitatis plurativo numero Britannias sicut Gallias, plane sicut est apud eundem 45, 22 *Syrias Britanniasque,* quod frustra fuit qui aliter explicaret. Quare alia, ut puto, emendandi via ingredienda. Et primum quidem metrum ipsum clamat illud *hunc* traiciendum post *Galliae* (neque enim peritus iudex Catullo tribuet *hunce*); praeterea plerique intellexere id quod est *timet et* vitio pervulgatissimo ortum ex *timent.* Iam apparet quod nec ipsum fugit doctos, Catullum debuisse per anaphoram etiam ad illud *Galliae* timendi vocabulum apponere. Hinc sponte colligitur eum scripsisse *timentne,* a quo proximum est quod ante nos posuit Turnebus *timentque.*

ib. 23 *orbis* G. Hermannus, fort. recte; sed enim stare potest optime illud *urbis.* — ib. scripsi *o potissimei* (nam in libris est *opulentissime*), ut genetivum *urbis* etiam ad vocabulum quod reposui pertinere existimem. Erat cum scribendum existimarem *o putissimei,* quod per ironiam esset dictum.

Ceterum hoc carmen, cum sententiis non bene aptis procedere existimarent plerique, alii aliam viam tenuerunt ad tollenda quae ipsis viderentur vitia. E quibus O. Iahnius in Herma II, 240 hoc poema in duo dixit rescindenda, quorum prius desineret in v. 10. Sed vereor, ne hanc sententiam non sit probaturus plerisque, cum praesertim

ultro ipse concedat in posteriore quod statuit carmine quaedam remanere obscura. Alii transponendo versus rem gesserunt, ita quidem nonnulli, ut ultimos duos vel quattuor versus post 16 collocarent. Sed aut omnia me fallunt aut ultimum certe metrum iam Augusti aetate in extremo carmine lectum est; ita quippe conclusit unum de catalectis Vergilius: *ut ille versus usque quaque pertinet, socer generque* (nam ita verissime Spengelius) *perdidistis omnia.* Mirus enim foret casus, vel quod maius putidissimae eruditionis reus esset Vergilius, si aliunde quam a fine carminis sumptum ita ut dictum adhibuisset istum versiculum.

Mihi quidem nihil ad perfectam sententiam rectumque ordinem in hoc carmine videtur desiderari. Immo ne potuit quidem Pompeii aliter nisi in summis versibus inici mentio, quoniam nihil rei erat huic cum Mamurra. Illud tamen non caret probabilitate post v. 15 quaedam excidisse in quibus et nomen Caesaris (nam id nulla necessitate metrica in hoc carmine sileri permirum) et alia sinistrae eius adversus amicos pariter ac semet ipsum liberalitatis exempla fuerint proposita. Nimis sane obscurus et difficilis transitus a versu 15 ad sequentia, ut omittam mutatas personas.

30, 5 *quod tu neglegis;* scripsi *quod*, v. *quae; d* finalis sine dubio sequentis verbi litera initiali hausta. Ceterum versus 4, 5 Lachmannus traiecit in finem carminis, ubi equidem videntur loco poni alienissimo ob repetitam ac pariter debilitatam priorum versuum sententiam; neque obsecutus est ei Schwabius, qui v. 4 scripsit *num,* fortasse recte.

31, 13 *Libuae* Lachmannus, *Lydiae* cdd.

34, 15 *notho's* scripsi, *notho es* v.

ib. 23 *antique ut solita's. Solita's* nos, *solitas es* L, *solita es* v. In eodem versu Klotzius Schwabiusque scripserunt *antiquei*, fortasse vere.

36, 9 *et haec; haec* Itali, *hoc* V.

ib. 12 *Vriosque portus* N. Heinsius, *utriosque* vel *uriosque apertos* V.

ib. 13 *Gnidumque* V, cf. d. r. m. 316.

38, 2 *malest me hercule et est laboriose; et est* verissime Silligius, et ita Schwabius, qui tamen minus recte putat nos in libro nostro pg. 254, ubi id quod Lachmannus coniecit *hercule ei et* refutavimus, proposuisse a metro abhorrens illud *me hercules et*.

39, 11 *aut fartus Vmber; fartus* Vossius, *pastus* idem, et sic Schwabius; *parcus* codd.

ib. 12 *aut Lanuinus; Lanuinus* d. r. m. 252 revocavi ex D, idque in L scriptum testatur Lachmannus, at Schwabius *Lanninus; Lamivinus* G, *Lanuvinus* C, v.

41, 1 *Ametina* Hauptius, *Ameana* cum Froehnero Schwabius qui pro *Amiana* positum putat, nescio an recte; codd. habent *a me an a*.

ib. 8 *solet esse imaginosa;* ita Schwabius (*imaginosa* ıam alii); *solet et imaginosum* V.

44, 20 *non mihi* V, corr. Itali; cf. d. r. m. 156.

ib. 21 *qui tum vocat me, cum malum librum legi; tum* Hauptius, *tunc* cdd. Etsi alibi illa quae sunt *tum* et *tunc* eodem fere modo exhibemus scripta, quo membranae, tamen breviorem formam reponendam censemus, ubicumque sequitur *cum*.

45, 6 *Indiave* scripsi, v. *Indiaque*.

47, 2 *mundi, mundae* Buechelerus l. m. pg. 9.

50, 21 *est vemens dea; vemens* Statius, libri *vehemens*.

51, 11 *geminae* Schraderus, *gemina* cdd.

51, 13—16 cum plerisque ut alterius carminis particulam separavi.

52, 2 *struma* Schwabius, *Struma* v.

54 Qui hoc carmine continentur versus, cum aperte contineant disiecti, quod ait Horatius, membra poetae additis lacunae signis abstinere malui a coniectando sive potius argutando, cui Schwabius et Ellisius et ante eos alii indulserunt.

Ib. v. 2 de coniectura posui literis duabus contractis in unam *Neri;* nam cdd. habent fere *et eri;* ita supra [29, 20] idem *timet et* pro *timent*. Neque vero iambicus ille genetivus habet, quo offendare.

55, 9 *a vel te sic ipse flagitabam;* ita verissime cdd., ertinet enim illud *vel sic* ad proximum *pessimae puellae.* chwabius *avens te* contra metrum: videnda, quae infra e Catulli versibus phalaeciis dicentur.

ib. 11 *nudum sinum reducens* Avantius, *nudum reuce* v.

ib. 13 sqq. Hoc in loco constituendo plane sum secuus Lachmannum, nisi quod cum Handio scripsi *nivea itaque biga,* cdd. enim habent genetivum.

ib. 29 *cunctos* Schraderus, *iunctos* V.

ib. 14 *ten* Muretus, *te in* cdd.

57, 9 *sociei* Scaliger, *socii et* V.

61, 46 *quis deus magis anxiis; anxiis* Hauptius, *amas* cdd.

ib. 68 *cingier* Schraderus, *nitier* alii, *vicier* V.

ib. 77 *ades* Schraderus, *adest* V.

ib. 79 *tardet ingenuos pudor;* illud *tardet,* quod venit tardendo rectissime V, *tardat* Itali. — Post hunc verum huius systematis Pherecrateum, cum tribus insequenis Glyconeis excidisse arbitror. Mirum illud, quod Lachiannus plaudentibus plerisque versum *quem tamen magis udiens* ex loco opportunissimo traiecit in alienissimum. pparet enim in versibus post 79 interceptis dixisse Caullum *virginem cunctabundam iterato clamore esse evocaam.* Neque ad paginarum versuum numerum, quem intituit Lachmannus, defendendum illa traiectione opus est.

ib. 82, 83 *non tibi Arunculeia periculumst.*

Servavi cum plerisque illud *A-runculeia,* quod praeent cdd., alii *Aurunculeia.*

ib. 94 *vide ut faces;* ita rectissime Itali. Nam simillie v. 77 dixerat Catullus *viden ut faces,* ex quo in illum llatum est *viden.* Minus recte Lachmannus ad Lucr. pg. 97 cum aliis *viden faces,* adductus quidem grammaticoum veterum quorundam argutiis, qui affirmant particuam *ut,* si idem valeat quod *quomodo*, acuto accentu eferri. Cf. Ritsch. prol. in Trin. pg. 220, 21.

ib. 99 *probra* Itali, *proca* V.

ib. 102 *quin* Itali, *que* V.

ib. 107 *o cubile quod omnibus,* post hunc versum tres glyconeos excidisse existimo.

ib. 120, 121 *o hymen hymenaee io, o hymen hymenaee;* cdd. ubique initio versuum horum et sequentium barbare *io,* cf. c. 3, 16 et Statii theb. XI, 391.

ib. 123 *lotatio* V, corr. N. Heinsius.

ib. 167 *intus* Statius, *unus* V.

ib. 182 *vos bonae senibus viris; vos* add. Itali, *viris* Statius, *unus* V.

ib. 183 *bene* Itali, *berve* V.

ib. 201 *Africei,* cf. Schwabii praef. pg. 19.

ib. 205, 6 *qui vostri numerare volt multa milia ludei.* Ita infra 66, 78 *unguenti Suriei milia multa bibi.* Mirum dicendi genus, quod tamen placuit simiae Catulli, auctori Ciris, qui v. 247, 48 *omnia* inquit *me potius, digna atque indigna, laborum milia visuram* et 520, 21 *deum rex omnia qui imperio terrarum milia versat;* quos locos carminis huius editores plerique cum non fuissent, ut saepe, memores Catulli, coniecturis temptarunt pessimis. Paulus in historia Langobardorum [pg. 806 Grot.], si vulgata scriptura recte se habet: *multa milia frumenti navibus ab Aegypto dirigens.*

ib. 216 *semhiante, semihiante* v., cf. d. r. m. 259, 60.

ib. 226 *fama Penelopeo; Penolopeo* V, quam formam et in Groningano Propertii libro et alibi saepe me legere memini. Quae num forte vitanda κακοφωνίᾳ placuerit Romanis amplius quaerendum.

ib. 229, 30, 31 *bene vivite et munere adsiduo valentem exercete iuventam;* ita Itali; cdd. sinceri *bone vite* sive *vite et,* ac mox *adsidue.* Sed scribendum potius esse *bene vivite munere adsiduo et valentem* in opusculo de metris Catulli ubi de glyconeis numeris et pherecrateis agitur monui.

c. 62. Hoc epithalamium ex deperdito Sapphus carmine ductum, quod videtur, cum aperte parte versuum suorum sit truncatum, mirum quot modis temptarint homines docti ut integritati suae restituerent, utque strophas invicem respondentes, nunc quidem luxatas illas, pro virili parte restaurarent. Quorum conatus, qui volent,

apud Schwabium et Ellisium invenient relatos. Nos pro huius tenuitate ingenii quique, ut Lachmanni in re simili verba [ad Lucr. I, 1069] adhibeamus, vaticinari nec didicimus nec cupimus, illud monuisse contenti erimus, quod cum Hermanno plerique statuerunt versibus ab 11 ad 19 ut proodo respondere in fine positos quasi epodon 59 sqq., nullo videri pacto probabile et quidem ob eam causam quod admissa hac divisione iam oportet iuvenes duas continuasse strophas, a v. 49 ad finem, id quod nobis videtur ab omni similitudine veri alienissimum. Ceterum ad hanc aequalitatem partium tuendam quidam statuerunt post 59 excidisse unum versum, id quidem perperam, quoniam anaphorae, quae est in illis *pugna pugnare,* vigor omnis deperit interiecto inter 59 et 60 alio hexametro: alii cum id recte perspexissent, similem lacunam post 65 deprendisse sibi visi sunt, ubi potest quidem excidisse versiculus, quamquam quantum ad sensum attinet ne una quidem literula desideratur. Nos ne in re incerta anquirenda nimium absumamus temporis satis habebimus breviter significare, qualis nobis fuisse videatur integri forma carminis. Ceterum ad quaestionem hanc promovendam plurimum utilitatis afferet, id quod neglexerunt plerique omnes, exempla epithalamii praecedentis et similium carminum respexisse. Itaque omni pignore affirmamus post 31 esse lacunam incerto versuum numero, sed haud sane parvam, in qua primum mentio facta sit virginis advenientis, de qua dictum erat v. 4 *iam veniet virgo* (cf. et 61, 77—118). Deinde sine dubio ut ubique simili occasione iuvenis et puellae, qui iam erant inituri coniugium, laudes fuerunt adiectae; etenim in frgm. quod extat de utroque ne verbum quidem, nisi quod in integro opusculo mentionem admodum honorificam iniectam fuisse sponsi apparet v. 59: *at tu ne pugna cum tali coniuge virgo.* Potuere et alia inesse in versibus perditis, quae facile ipsi agnoscent lectores.

Deinde monemus post illud *Hesperus e nobis aequales abstulit unam* excidisse verba puellarum querentium de iniquitate sideris, et mox iuvenum idem defendentium.

quippe quo oriente vesperi pariter ac mane nullus sit locus male faciendo.

Quantum ad strophas et partium aequalitatem quam adfuisse minime negamus, suspicamur, lacuna illa, quae fuit post v. 31, haustos esse et novem versus, quibus puellae responderent eis, quae cecinerant iuvenes v. 11 sqq., nec non octo alios pariter a puellis et iuvenibus cantatos, qui concordarent illis, quos similiter ab utrisque relatos in ultimo legimus carmine. Reliqua omnia mihi quidem videntur incerta.

ib. 14 *nec mirum, penitus quae tota mente laborent;* hunc versum add. Thuaneus cod., om. V. Expulere quidam, sed iniuria, neque enim aliam ob causam excidit, quam quod proximus ab eadem qua ipse litera incipit.

ib. 15 *divisimus; dimisimus* Itali, qui quidem retinent versu 17 *conmittite*, pro quo nos cum Vossio et aliis recepimus ex T *convertite.*

ib. 35 *Eous* Schraderus, *eosdem* V, *eospe* T; cf. Ciris 352.

ib. 40 *convolsus* T, *contusus* V.

ib. 41. Post haec excidisse versum intellexere plerique.

ib. 53, 55 *bubulci* Al. Riesius ann. phil. 91, 303; *iuvenci* v.

ib. 55 *coluere* Itali ex v. 53, *acoluere* vel *accoluere* libri.

ib. 63. Etsi in hoc v. constituendo Froehlichii vel potius Hauptii sententiam sumus secuti, veremur tamen ne id perperam fecerimus. Mirificum certe in modum displicet pauculorum versuum [60—64] spatio septies repetitum illud *est.* Nec vero id quod praebet V *tertia pars patri data, pars d a t a tertia matri* habet cur merito offendaris; cf. d. r. m. 237. Idem iudicandum de 110, 3.

c. 63. Huius carminis metrum olim quam fuerit incognitum plerisque, etiam qui alias Dauniae Camenae non essent incuriosi, siquis discere volet, legat quae attulit Santenius ad Terentiani v. 2901. His meliora probavere Santenius, Lachmannus, postremo nos pg. 159 sq. Sed tamen a. 1861 huius metri leges, quas observavit Catullus, nondum plene perspexeramus. Ac primum quidem

monendum, id quod facile concedent plerique, non e Varronis, ut durioris poetae, aut e Maecenatis, ut molliculi, fragmentis sed ex ipsius Valerii carmine normam, quae placuerit huic, metricam esse repetendam. Itaque apparet quod et Santenius persensit nusquam ionicum a min. purum reperiri in hoc carmine. Nam v. 18 ex eo, quod praebent fere membranae, *hilarate crocitatis* non eliciendum, etsi placuit plerisque, *hilarate aere citatis* sed *erae citatis;* nam et ad sententiam longe melius habet. Porro v. 60 videtur quidem indicari librorum corruptelis, id quod est *gymnasiis;* sed reponendum haud dubie *guminasiis;* cui coniecturae haud sane parum ex eo accedit praesidii, quod antiquam addit orationi gravitatem, cuius quam fuerit studiosus Catullus in Atti, epithalamio Pelei, elegia ad Allium, coma Berenices aliisque maioris spatii carminibus, inter omnes constat. Ceterum etiam posteriore longe tempore *guminasium* dixit Varro d. r. r. I, 55, 4. Videnda quae dixit de hac forma Ritschelius op. II, 483. 499. 500. 517. 520.

Restat v. 54: *et earum omnia adirem furibunda latibula.*

Ex hoc quidem insolentiam metri facillimo remedio usi removerunt plerique scribendo *et earum ad omnia irem;* sed corruptum potius est ipsum illud *omnia,* quod quam languidum sit quamque alienum a maiestate huius carminis, dicere non attinet. Itaque reposuimus *operta* (hoc est opta pro oĩa), potuimus etiam *opaca* (ut est v. 3), quod omissa ultima syllaba et ipsum facile potuit abire in *omnia.*

Ceterum ex his apparet, quam sit a probabilitate alienum, quod Lachmannus v. 75 scribendum esse persuasit plerisque *geminas matris ad aures,* qui quidem cur traditam scripturam *geminas deorum ad aures* ineptissimam vocarit, equidem diu meditatus reperire non potui. Nam illud *geminae aures* cum formulae sit instar, nihil habere, quod ineptum sit, ultro concedent omnes. Porro quid mirum Attis querelis adlatis ad deorum aures nullum ex his gravius commoveri eius dictis, nisi solam, ad quam

pertinebant, Cybelen? Exciderant, puto, illis, qui Lachmanni coniecturam probarunt, quae leguntur 64, 189 sqq.

Nec prius a fesso secedent corpore sensus,
Quam iustam *a divis* exposcam prodita multam,
Caelestumque fidem postrema conprecer hora.
Quare facta virum multantes vindice poena,
Eumenides, —
Huc huc adventate, meas audite querelas.

et porro

Sed quali solam Theseus me mente reliquit,
Tali mente, *deae,* funestet seque suosque.

His praemissis quid aliud fore exspectes, nisi ut iam Eumenides inducantur, sed in alia omnia abit poeta, qui subicit illa

Adnuit invicto *caelestum numine rector,*

nimirum quia ad Iovem quamquam antea non nominatum etiam magis quam ad furias pertinebant preces Ariadnae.

Deinde etiam monendum numquam posterioris hemistichii primam arsin resolvi. Nam quod legitur v. 74 *roseis ut huic labellis sonitus abiit celer,* id Lachmanni novatum arbitrio; nos Heysium secuti scripsimus *sonitus celer abiit,* idque vel ob eam rem probabilius, quod addita post *celer* in codd. nota *i* significatur sine dubio hoc vocabulum non ultimae sed mediae cuidam parti fuisse addendum.

Restat v. 91 *dea magna, dea Cybebe, dea domina Dindymei.* Sed ea verba verissime Sc. mutata loco dicit per correctores legendumque *Didymei* sine *n* ut supra *typanum.* Recte ut puto ad hanc formam tutandam affertur a Scaligero Martialis illud [XII, 43, 3] *quales nec Didymi sciunt puellae.* Praeterea in glossis Lugdunensibus legitur [ms. L. Voss. F. 82] *Dydima mons Frigiae.* Quis enim putabit Catullum semel in cultissimo carmine admisisse quod nonagies bis vitasset?

ib. v. 5 *devolsit* Hauptius, *devolvit* V; *ilei* Bergkius, *iletas* V; *pondera silice* Itali, *pondere silices* V. Mire Lachmannus *devolvit* (*devolsit* ut memoravi Hauptius) *ile acuto sibi pondere* (*rodere* Hauptius) *silicis.* Quo enim pacto is, qui evirat sese, potest dici ile sibi demere?

ib. 9 *tuom, Cybebe,* Lachmannus, *tubam Cybeles* libri.

ib. 16 *rabidum* verissime Bergkius; nam ut alia mittam simile oportuit addi epitheton ad *salum* atque ad id quod sequitur *pelage. Pelage* Victorius, *pelagi* cdd.

ib. 31 *animam agens* Lachmannus, *anima gens* V.

ib. 42 *excitam* Lachmannus, *excitum* libri.

ib. 45 *ipsa* Itali, *ipse* V.

ib. 51. Non bene siquid sentio cum Froehlichio scripsit Schwabius *misera;* nam ipse Attis vel post amissam virilitatem, cur feminam hic se diceret, non erat. Infra v. 69 'ego Maenas, ego mei pars, *ego vir sterilis ero?*'

ib. 63 *ego puber* Scaliger, ut puto recte; nam mulierem tum demum dicere sese licebat Attin, cum virilitatem perdidisset [v. 68. 69]; etiam ob rationes metricas.

ib. 64 *ego guminasi;* V *gymnasti.* Vid. quae supra diximus de v. 60.

ib. 68 *ego nunc deum ministra et Cybeles famula ferar.* Nihil suspectius lectione tradita; quorum enim, amabo, deorum ministra erat factus Attis? An ulli praeter Cybelen castratos desiderabant sacerdotes? Ceterum id vitium facile potuit tolli, etsi auctum est insecuta *m.* Nam scripsisse existimo Catullum:

ego nunc *Rheae* ministra et Cybeles famula ferar?

Ita supra *rabidum salum tulistis truculentaque pelage* et porro *patria o mei creatrix, patria o mea genetrix.* Et mirum certe foret, si in hoc carmine, ubi toties variatur Cybeles appellatio, ne semel quidem occurreret nomen omnium paene usitatissimum. Immo aut vehementer fallor aut idem restituendum concinnitatis ergo v. 20

phrygiam ad domum Cybebes, phrygia ad nemora *Rheae;*

et 3 scribendum existimo *Rheae;* ubi etiam legitur *deae,* nimis ἀκύρως. Nec est cur moneam quam fuerint saepe constantes librarii in nominibus propriis ad appellativa similis soni deflectendis.

ib. 78 *agitet* add. ed. Cantabrig. a. 1702, Lachmannus, om. cdd.

ib. 78, 79, 82 *fac* libri, v. *face;* sed cf. d. r. m. 343.

ib. 88, 89 *teneramque, illa* Lachmannus; *tenerumque, ille* cdd.

ib. 91 Hunc versum mira interpunctione turbarunt Lachmannus cum plerisque scribendo ita:

dea, magna dea, Cybebe, dea, domina Dindymei.

Apparet autem ad id quod est *dea* ter repetitum epithetorum instar addi illa *magna, Cybebe, Didymei domina;* nam Cybele ut omnes di deaeque gaudet et ipsa πολυωνυμίᾳ; ceterum cf. etiam Lucilii frgm. 1, 3 ed. Dous.

64, 13, 14 *incanduit — canenti;* libri *candenti,* corr. Schraderus. Infra [18] *de gurgite cano;* itaque auctor Ciris [514] *cano de gurgite;* idem [320] *candentes praetexat purpura canos;* et Tibullum [I, 10, 43] secutus Prop. [III, 18, 5] *quid mea si canis aetas candesceret annis,* ubi optima membrana habet illud *canesceret.* Vid. etiam quae Dousa minor ad hunc locum notavit pg. 584 ed. Graev. — ib. *freti* Schraderus, *feri* cdd.

ib. 16 *illa atque alia* cdd.; non recte Lachmannus *illa si qua alia,* elisione longae in brevi facta eo loco ubi non permittitur in continuis hexametris sensuque ut puto a Catulli simplicitate alieno; Schwabius *illac hautque alia,* ubi et abundat *haut alia* et, me quidem si audies, mirificum in modum languet. Nos traiectione verborum, qua aliquando metra Catulli iuvanda esse constat, pariter atque immutatione lenissima facta reposuimus quod non veremur ne deterius videatur vulgatis *atque illic alma.* Nam particula *atque* quam bene huic loco conveniat, dicere non attinet.

ib. 21 *sanxit* Itali, *sensit* v.

ib. 23b *o bona matrum progenies salvete iterum.* Mirum fuisse qui asseverarent illa *o bona matrum progenies* esse corrupta. Quantum ad versum 23b, quem a Catulli libris alienum ex parte supplevit schol. Vergilii Veronensis ad aen. V, 80, non credo verum vidisse eos, qui putarent post id quod est *salvete iterum* tertiam heroum salutationem fuisse additam. Triplex enim repetitio eiusdem verbi neque gratiae habet quidquam nec dignitatis hoc loco neque solet illa adhiberi simili condicione a poetis

praeter comicos. Nec vero intellego qui potuerint ad sententiam illam tuendam comparari versus Ciris 195—200; quorum plane est alia ratio. Id quod nos de coniectura supplevimus, etsi incertum, non tamen, ut spero, videbitur inelegans.

ib. 24 *vos* pro altero *post* Bergkius, fortasse recte.

ib. 28 *Nereine* Hauptius, *nectine* vel *neptine* V.

ib. 31 *quae simul — luces*. Quaenam, amabo, luces hoc loco significantur? nam antea de die nuptiali ne verbum quidem. Itaque de coniectura scripsi *quoi*, quae quam saepe a librariis Catulli depravata sit forma, nemo nescit. Et iam proximo versu positum illud *domum* habet, quo apte referatur. Quamquam non nego me dubitare plerumque, an melius etiam sit, quia propius abest a libris scriptis *queis*, quod pariter ad Peleum et Thetin pertingat.

ib. 41, 40 Rectum horum versuum ordinem restituit Ritschelius et ante Ramlerus.

ib. 64 *velatum* sine dubio corruptum, neque tamen hactenus apte emendatum, etsi non displicet, quod protulit Fea *bullatum*. *Vesanum* Riesius, quod cum per se habeat bene, non tamen convenit cum eis, quae sunt *flavo vertice, lactantes papillas*.

ib. 65 *lactantes* Guelferbitanus et Sangermanensis Isidori XVIIII 33, 3, *lactentes* Monacensis, *lactentis* cdd. Catulli, *cincta* Isidorus.

ib. 73 *ferox quom robore* Ritschelius (*robore* iam Froehlichius), *feroxque et tempore* V.

ib. 100 *quam tum* Faernus, *quanto* V; *fulgore* corruptum.

ib. 107 *indomitum* D, *turben* Spengelius ex Servio ad aen. VII, 378; *turbo* cdd. Catulli, qui et praeter Datanum *indomitus*.

ib. 109 *late qua est impetus* Lachmannus, *lateque tumieius* V; idem ut vid. *omnia* vel *obvia*.

ib. 121, 22 *rati* Lachmannus, *ratis* cdd.; *venerit* ab eodem add. de coniectura.

ib. 140 *vane* Mitscherlichius, *voce* v.

ib. 143 *iam iam;* libri *tum iam,* corr. Itali. Vulgo

scribunt *nunc iam*, quod mirum nonnullos defendisse Ovidii fast. 3, 475.

ib. 148 *meminere* Iulius Czwalina in sententiis controversis dissertationis de Euripidis studio aequabilitatis, Bonnae a. 1867 editae, *metuere* quod e versu 146 irrepsit v.

ib. 178 *Idomeneosne* Itali, *Ydoneosne* vel *Idmoneosque* V, cf. d. r. m. 275.

ib. 179 *ponti* Itali, *pontum* cdd.

ib. 205 *quo motu* Heysius, *quom tunc* V.

ib. 212 *castae* Itali, *classi* V.

ib. 216, 217 Ordinem versuum apte immutavit Aemilius Behrensius, bonae spei adulescens, cuius aliquot recepimus coniecturas.

ib. 235 Etiam hoc loco, nisi insignem in modum fallor, docti plerique auctoritate Lachmanni permoti Catullum fraudavere versiculo, qui siquis alius eo dignus est. Etenim Nonius pg. 546 cum tribuisset Catullo Veronensi verba haec *lucida qua splendet carchesia mali,* sagacissime perspexerunt Faernus et Muretus, quos plurimi secuti sunt critici, hunc versum, quem pleniorem affert Isidorus XVIIII, 2, 10 et ex eo petitum schol. Lucani ad 5, 418, addendum esse post 235. Nam apparet plurimum interfuisse Aegei, ut summa pars mali potissimum candido velo tegeretur, quippe quam visurus esset primam. Neque illud mirum excidisse versum istum ex archetypo Catulli quod lacunosum fuisse haud raro inter omnes constat, cum praesertim et hic et prior a similibus inciperent vocabulis. Certum autem Nonii auctoritatem esse gravissimam nec de errore aut ipsius aut eius a quo sumpsit exemplum facile posse cogitari, cum addiderit illud 'Veronensis', quod utique ductum ex inscriptione codicis alicuius archetypo nostrorum codicum, de quo supra dictum, simillimi. Omnino Nonii in afferendis nominibus auctorum fides, si et multitudinem exemplorum respexeris et quaedam librariorum peccata exceperis, plane est singularis. Non ignoro equidem in exemplaribus eius perperam Catulo sive Catullo tribui versiculum qui certo est

Sereni [pg. 517 s. v. *properiter*]. Sed ibi vereor vehementer ne sit turbatum a librariis, neve Catulli nomen pariter cum versu omisso pertinuerit potius ad lemma praecedens *miseriter*. Nam legitur 63, 49 *patriam allocuta maestast ita voce miseriter.*

Hactenus de Nonio. At Isidori quanta sit levitas in citandis auctoribus vel hac re apparet, quod in eodem libro XVIIII c. 33 etiam alium versiculum ex hoc ipso epithalamio petitum (65) tribuit Cinnae.

Quae cum ita sint, non iam veremur, ne quis nos novandi studio versum, de quo agitur, restituisse dicat Catullo, in quem recepimus ex scholiis Lucani illud *summi,* nam apud Isidorum est minus recte *alti.* Idem habet *confulgent;* at scholiasta Luc. *cum fulgent.* Denique apud illum libri Guelferbit., Sangerm., Monac. *carceria,* at Nonii Leidensis secundus *carthesia.* Quod contra Guelferbit. eiusdem ubique exhibet *carchesia.*

ib. 243 *infecti* Itali, *inflati* V.

ib. 274 *increbescunt;* ita recte cdd. iudice euphonia. In Ciri v. 25 Helmestadiensis liber *concrebuit.*

ib. 280 *quoscumque* Itali, *quodcumque* V.

ib. 287 *Minosim,* ita libri, *Naiasin* Hauptius, *Minyasin* Scaliger, quod sane placeret, modo syllabae primae quantitas ne respuere videretur. Dativo graeco in *sin* exeunte iam Varro usus. *Crebris* Lachm., *doris* V.

ib. 296 *Scythicis* N. Heinsius, *silici* libri.

ib. 309 *annoso* E. Schulzius, *at roseo* libri. Ut defendant lectionem vulgatam, frustra provocant ad Ciris v. 122, cum auctor huius carminis potius versu 511 imitatus sit nostrum locum, ubi est *purpureas flavo retinentem vertice vittas;* neque ibi illud *purpureas* quidquam ad rem nostram facit.

ib. 320 *haec,* cf. d. r. m. 386. *Pectentes vellera;* ita verissime Statius, videnda et quae disputavit Hauptius in prooem. Berol. lect. sem. aest. pg. 13. Male alii *vellentes* (libri habent *pellentes*), alliterationis genere a cultioribus poetis alieno.

ib. 322 *arguet* libri, *arguit* Lachmannus, fort. recte.

ib. 334 *conexit* Lachm., *contexit* V.

ib. 344 *Phrygii* — †*tenen,* ita V; fortasse *Phrygiae* — *tempe,* cf. v. 35; *Phrygii campi* v.

ib. 367 *madefient* Itali, *madescent* V. Apud Prop. II, 13, 7 illud *stupescat* habetur in ed. Regiensi pro *stupefiat;* ib. 7, 2 in Neapolitano *stemus* pro *flemus.*

ib. 378 Recte suspectarunt Itali.

ib. 387 *residens* Behrensius, *revisens*, quod huc illatum ex v. 384 *invisere,* cdd.

ib. 388 *cum* Itali, *dum* V.

ib. 389 *tauros* Itali, *currus* V.

ib. 392, 393. Haec sana esse nullo modo posse cum rectissimo iudicio usi perspexissent priores, non tamen apta remedia adhibuerunt ad corruptelam, quae quidem in aperto est, removendam. Nam etsi constat Delphos cum Parnaso non minus Baccho quam Apollini fuisse sacros, de qua re videnda quae dixit Prellerus myth. graec. I, 172 ed. I, tamen apparet, neque Apollinem deorum post Iovem et Minervam principem potuisse omitti hoc loco, et haud dubie hiare orationem post 391. Quid enim? Liber dum Thyiadas, Delphis oriundas, fanaticis agitat furoribus, eodem tempore Delphorum incolae reliqui deum totum intentum in orgia sua celebranda fumantibus acciperent aris? Immo ne deo quidem licet duobus simul vacare negotiis. Itaque mihi quidem videtur certum excidisse post v. 391 versiculos quosdam, quod eo facilius potuit accidere, quoniam sine dubio etiam incipiebant ab illo *saepe.* Verba ipsa praestare non possum, sed sensus hic aut similis fuerit oportet:

Saepe oculos licuit mortales cernere Phoebum,
Pythia visurum aut adytis oracla daturum.

ib. 404 *penates* Itali, *parentes* V.

65, 9—14. Hos versus Haasius post 101, 6 inserendos esse statuit, quem deinde complures secuti sunt. Quam tamen sententiam quantumvis ingeniosam nobis quidem nullo modo probavit. Mitto quod per se videbitur permirum quanam causa sit effectum, ut versus illi tam longe aberrarent a sua sede. Sed quod dixerunt quidam eosdem

si retinerentur in carm. 65 nimis retardare orationis cursum, obliti sunt illi similes parentheses et alibi et maxime in elegis Catulli occurrere complures. Et iniecta memoria fratris, cuius omni occasione cum maxima pietate celebravit memoriam, eum paullo longius aberrasse ab argumento carminis quid hercule hoc loco magis mirum quam in c. 68 [19—26. 89—100]? Omnino notandum cantores Euphorionis Alexandrinis poetis obsecutos longiores digressiones adeo non reformidare, ut potius vehementer probent. Similes eis ex parte Augusti aequales. Cf. Cat. 65, 19—24; 68, 109—118 (ne de Ariadnae episodio in epyllio eiusdem dicam), nec minus Tibulli II, 5, 23—38.

Ceterum apparet v. 9, ubicumque ponatur non posse intellegi recte, nisi statuemus quaedam ante eum lacuna esse hausta, cum ad id quod est *alloquar* neque adverbium *numquam* ex proximis apte possit suppleri, et minus etiam illud *tua facta loquentem*. Quare suo iure fecit Lachmannus, quod post v. 8 quaedam excidisse existimavit. Quos ille ad damnum hoc resarciendum ex aliis Catulli carminibus adsumptos addidit huic loco versus, etiamsi recipere in ordinem verborum sumus veriti, aptos tamen esse minime negamus.

ib. 9 *facta* add. Itali.

ib. 19—24. Hanc partem rectissimo iudicio usus cum Lachmanno et plerisque continuandam esse priori statuit Schwabius quaest. Cat. pg. 273. Videnda quae diximus ad v. 9.

66, 6 *aerio,* cf. praef. Hor. pg. XX.

ib. 7 *in lumine* Vossius, *numine* libri.

ib. 9 *cunctis* Hauptius, *multis* cdd.; *deorum* Itali, *dearum* V.

ib. 16 *salsis* Heysius.

ib. 21 *an* Itali, *at* cdd.

ib. 23 *quam* Bentleius (fuerat sine dubio *cam*), *cum* cdd.

ib. 45 *peperere* Itali, *propere* cdd.

ib. 48 *Chalybon* Politianus, *celitum* V.

ib. 53 *nictantibus* Bentleius, *nutantibus* cdd.

ib. 54 *Locridos* Bentleius, *elocridicos* V.

ib. 55 *avolat* Canterus, *advolat* cdd.

ib. 59 *hi dii ven.* Locus desperatus. Illud tamen videor mihi probe perspexisse litteras *iven* nihil esse nisi *ibei*, cui in archetypo emendandi causa additum fuerit quod sequitur iam in codd. *ibi*, et trochaeum, qui dest initio versus, eliciendum ex his, quae sunt *hi di*, unde tamen illud efficere, quod et dignum esset Catullo nec nimis remotum a traditis nemini, opinor, hactenus contigit.

ib. 63 *uvidulam a fletu* Itali, *viridulum a fluctu* V.

ib. 66 *iuncta Lycaoniae* Itali, V *iuxta Licaonia*.

ib. 77 Reposui illud *curis* quod antiquitus si scriptum fuerat *quoris*, ubi *s* hausta est sequente *f* (nam *ri* et *n* in archetypo Catulli vix potuere dignosci) librarii ut verbum efficerent latinum videntur partem posteriorem crassa Minerva supplesse.

ib. 78 *unguenti Surii* Àuratus (*Suriei* Hauptius), *unguentis una* cdd.

ib. 79 *quom* Hauptius, *quem* V, *quum* v.

ib. 80 *prius* (hoc est *p̄*') Itali, *post* (*p*') cdd.

ib. 93 *corruerent* Ellisius, *corruerint* Lchm., *cur iterent* V.

67, 12 *verum istud populi, fabula, Quinte, facit. Istud — fabula* Lachmannus, *isti — ianua* libri. Pro *ianua* Scaliger *naenia,* fortasse recte. *Quinte* idem, *qui te* cdd.

ib. 27 *quaerendus is unde* Lachmannus, *quaerendus unde* V.

Versus 29—34 Catullo, 35, 36 ianuae tribui.

ib. 32 *Cycneae supposita speculae* Vossius, *chinea suppositum specula* V.

ib. 35 Scripsi illud *et* (*sed* cdd.), quod tamen vehementer deprecamur ne pro *etiam* accipiatur.

V. 37—40 Schwabium secutus Catullo dedi.

ib. 44 *speraret* Itali, *speret* V.

c. 68. In hoc carmine constituendo omnino Lachmanni sententiam sequendam esse existimavimus, atque idem placuit Hauptio. Alii, mihi quidem ut videtur, satis

importune, certe nulla cogente necessitate, in duas diviserunt partes, quarum prior finiretur v. 40.

ib. 2 *epistolium*, ita cdd., sicut alibi *epistolicus*, cf. Fleckeis. theses orthograph. pg. 17.

ib. 11 *Mani* Lachmannus, *manli* D, *malli* L, *mali* GC.

ib. 28 *quivis* Lachm. ad Lucr. p. 287, *quisquis* cdd.

ib. 29 *tepefecit* Itali, *tepefaxit* Lachmannus, fortasse recte, *tepefacit* V.

ib. 30 *Mani* Lachm., V *mali*.

ib. 60 *sensim* Hauptius, *densi* cdd.

ib. 66 *Manlius* cdd., corr. Lachmannus.

ib. 74, 80, 105 *Laudamia, Laudomia* ubique V; fuerat antiquitus traditum haud dubie *Laudamia* (o superscr.).

ib. 85 *quod scibant Parcae* cdd., sine sensu, *scibat* Lachm. Sed neque notum fuit Laudamiae tam cito coniugem ipsius esse obiturum, nec placet illud *Parcae longo tempore*, licet dixerit Silius 5, 404 *longam Clotho*. Quae cum ita sint scripsi *scirant*, quod duceretur a sciscendo; ita supra Catullus 66, 91 dixit *siris* et Lucilius apud Charisium p. 55 *cum illi in fora irant*. — ib. *abisse* cdd., corr. Schraderus.

ib. 91 *quaene etiam* N. Heinsius, cf. 64, 180, 183 *que vetet id* V.

ib. 101 *simul* add. Itali, om. V.

ib. 102 *Graeca*, immo *Graia*, ut infra 109, supra 66, 58. Neque enim Catullus magis quam plerique poetarum in mythis huius populi referendis Graecorum vocabulo usus est.

ib. 118 *durum domitam* Lachmannus, *tuum* vel *divum domitum* V.

ib. 128 *quam quae* Itali, *quanquam* V.

ib. 139 *quotidiana* cdd., *concoquit iram* Lachm. (*conquoquit* Schwabius). Qui servata codicum scriptura vel post Lachmannum statuerunt ante v. 140 esse lacunam, eos fugit, ut alia mittam, tres priores syllabas vocabuli *quotidianus* explere amphibrachum nec licere in metro heroico hunc pedem poni pro dactylo.

ib. 141 *atquei* Schwabius, *atqui* Itali, *atque* V.

ib. 145 *muta* Heysius, *mira* cdd.

ib. 147 *unis* Schwabius ex V, *unus* Itali, Lachmannus.

ib. 149 *qua* scripsi, sed recte fortasse habet quod est in V, puta *quod,* si sit positum, ut saepe, pro *quoad.*

ib. 156 *ipsi in qua* Itali, V utrum *in qua* an *ipsa in qua* habuerit non constat.

ib. 157 *te tradidit* Mitscherlichius, *terram dedit* cdd., cf. Hor. sat. I, 6, 44. — ib. *Anser* Heysius, satis probabiliter ut in re incerta, *aufert* cdd.; ita ap. Prop. III, 34, 84 Neapol. cod. habet *auseris* pro *Anseris.*

ib. 158 *primo mi* Itali, *mi* om. V. — ib. *bona* idem, *bono* V.

71, 1 *si quoi iure* Palladius, *si qua viro* V. — ib. *sacer alarum* Itali, *sacrorum* V.

ib. 3 *mirifico est fato* G. Hermannus, *mirifice est a te* cdd.

73, 4 *prodest* add. Guietus. — ib. *immo* L, C. — *taedet obestque magis* Aldus, *tedet obestque* (et *stetque*) *magisque magis* V.

75, 76 cum Scaligero et Lachmanno post 87, 4 traiecimus.

77, 4 *ei* i. e. *hei* scripsi; ita Paris. 7989 ap. Tib. III, 6, 33 habet *si mihi* pro *ei mihi; ei,* qui esset dativus pronominis, Lachmannus. *Hei* Ellisius.

82, 4 *seu quid* rectissime cdd., *si quid* Statius, quod cum concinnitatem huius carminis prorsus evertat, miror placuisse Schwabio.

85, 1 *nunc* cod. Cuiacianus, *huc* V. — *diducta* Lachm., *deducta* V.

86, 9 *omniaque* recte membranae, cf. Prop. I, 3, 25; 17, 4; v. elisione sat insuavi *omnia quae.*

ib. 11 *offirmas,* plures cdd. *affirmas; istinc teque* N. Heinsius, *instinctoque* V.

88, 6 *Nympham* simpliciter pro aqua dici a bonis poetis alienum, unde lenissima facta mutatione scripsi *lympharum.*

89, 5 *attingat* libri, corr. Scaliger.

90, 5 *gnatus ut accepto veneretur carmine divos.* Ita scripti et editi, quam miror lectionem a nemine esse sollicitatam. Nam illud *gnatus,* cum praecesserit v. 3 *magus ex matre et gnato gignatur oportet,* mera est tautologia, ut omittam non satis eleganter verbo quod est *gnatus* hic loci alium significari quam versu 3. Quod cum ita esset, haud cunctanter reponendum erat *navos,* pro quo fuit sine dubio in archetypo Catulli *gnavus* unde labem traxit. Neque enim satis dignum est poeta scribi *gratus.*

93, 1 *belle* H. Vsenerus, vir doctissimus, m. Rh. XXI, 426, recte, ut videtur, *velle* v.; cf. Laev. frg. 25.

95, 9 *sodalis* add. Avantius, om. cdd.

97, 2 *utrumne* Itali, *utrum* V.

ib. 5 *dentis os* Itali, *hic dentis* V.

ib. 6 *ploxemi* Lachmannus, sed vid. Schwabii annotatio.

100, 6 *per facta exhibita est* Lachmannus, *perfecta est exigitur est* V.

101, 6. Post hunc versum excidisse quaedam apparet, quae tamen non satis apte supplentur additis c. 65 vv. 9—14, quos a multis huc traiectos esse supra memoravi.

ib. 7 *haec* Itali, *hoc* V.

107, 1 *si quoi quid* Ribbeckius, *si quicquid* V. *quid* iam Itali repererunt.

ib. 3 *nobisque est* Hauptius, *nobis quoque* V.

ib. 8 *hac res optandas* Lachmannus, *me est* vel *hac est optandus* libri sinceri.

108, 1 *si, Comini, populi arbitrio* Itali, *sic homini popular arbitrio* V, alii cum Lachmanno *si Comini arbitrio populari* omisso illo *tua.*

109, 5 *producere* Itali, *perducere* V.

ib. 6 *alternum* Itali, *aeternum* v.

110, 3 vide quae diximus ad 62, 63.

ib. 4 *et fers* Itali, *nec fers* V.

111, 4 *efficere* add. Itali.

112, 1 *homo es* Itali, debebat potius scribi *homo's; homo est* V. — ib. *homo est qui* idem (*homost* Schwabius), *homo sed que*, ut videtur, V.

113, 2 *Mucillam* Pleitnerus, Schwabius, cuius videnda egregia disputatio in quaest. Cat. pg. 211; *meciliam* V. Videtur antiquitus fuisse exaratum *moecillam*. *Maeciliam* Lachmannus, quod verbum si descendit a Maecio, ut haud dubium, non potest non producere antepaenultimam.

ib 4 *singula* Itali, *singulum* V.

114, 1 *Firmano saltu* Aldus, *firmanus salius* V.

ib. 6 *dum domo ipse egeat* Lachmannus ad Lucr. pg. 196, non recte; certe hoc unicum in literis Latinis esset exemplum hiatus in altero pentametri hemistichio admissi. Quare cum in libris sit *modo,* addidimus, quae facillime potuit excidere, voculam *eo.*

115, 1 *habet* cdd., corr. Lachmannus.

ib. 2 *maria* libri, *varia* scite Behrensius.

ib. 7 *ipse 's* scripsi, *ipse si* V, *ipse es* Italus quidam, quem secutus est Lachmannus.

116, 4 *telis infestis* Froehlichius; — ib. *icere mi usque* Itali, *telis infesta mitteremusque* V.

Ad fragmenta, quae sequuntur, reliquorum Euphorionis cantorum, siqua digna viderentur notari cum ipsis poetarum verbis subiecerimus, nihil nobis iam restat, quod addamus praeter haec.

Ac primum quidem proferenda nova duo Laevii fragmenta, quae serius animadvertimus, quam ut alio loco praeter hunc possent promi. Nempe auctor Anacreontei versus, qui fertur apud Atilium Fortunatianum pg. 319 G.

mea Vatiena amabo,

non fuit Lepidus sed Laevius, sicut paulo post, ubi repetuntur haec verba, cod. Vaticanus habet 'ex leviano metro' non 'ex Lepidiano'. Fuit autem petitus hic versiculus ex erotopaegniis, quibus et metro et sensu quam bene conveniat nemo non videt.

Praeterea excidisse Laevii nomen in his quae apud scholiastam Veronensem adnotata sunt ad aen. IIII, 146: *pictique Agathyrsi.* 'Asper pictos stigmosos ut [georg. II, 115] *pictosque Gelonos*, in Protesilaodamia (Protesilaodamiae cd.) *de papyrin ..... haec terga habeant stigmata*' — recte monuit Henricus Keilius. Verba ipsa fragmenti temptare supersedeo.

Deinde casu nescio quo neglexi monere versus qui sunt 'antipathes illud quaeritor, philtra omnia undique inruunt' inverso ordine legi in libris Appuleianis, quem primum immutavit Salmasius. Porro propria coniectura illud 'quaeritor' scripsimus pro 'quaeritur'. In v. 3 aliquando dubito an rectius habeat quod codicibus fertur 'trochiscili, ungues' quam quod Scaligeri quantumvis ingeniosam coniecturam secuti reposuimus 'trochisci, iynges'. Illud tamen certum id quod placuit Salmasio 'trochus, pili, ungues' barbarum et alienum a Laevio.

Ceterum cum tam multum de poeta hoc quaesierint docti, placet addi hic quae Porphyrio quaeque Ausonius de eo tradidere, quamquam nullo fere sunt usu. Itaque ille ad Horatianum quod est 'carmina non prius audita Musarum sacerdos virginibus puerisque canto' haec adnotat: 'carmina non prius audita; a Romanis supple, quamvis Laevius lyrica carmina ante Horatium scripserit, sed videntur illa non Graecorum lege ad lyricum characterem exacta'. His similia tradit Acro. Quae ab omni parte sunt falsissima. Nam lyrici carminis gravitatem et imitationem Alcaei Laevius non magis quam reliqui cantores Euphorionis quibus suppar est aetate sustinuit, quem non nisi amatoria et convivalia carmina scripsisse, alienissima quidem a cothurnato illo 'odi profanum volgus et arceo' ipse titulus erotopaegnion demonstrat. Nam nec Alcestim Inonemve seu Protesilaudamiam vel cetera mythici argumenti opuscula epyllia potius fuisse quam idyllia, referta quidem illa digressionibus ac diverbiis iam in libro de re metrica pg. 75 monuimus. Neque versuum arte ac nitore destitutum eum fuisse iam post curas nostras apparebit. Ceterum cum ob difficultatem metrorum simul atque au-

daciam dictionum (qua quidem in re convenit ei cum Varrone) pariterque ob materiae proprietatem numquam lectores nisi paucissimos nactus sit Laevius, non est hercule cur miremur quod ab Horatio huius non magis quam reliquorum eius aequalium et consortium studii iniecta est mentio ubi proprii carminis meminit. Nam eum Lucretii et Varronis tempore floruisse hoc est a. a. Chr. n. 60 eis qui librum primum nostrum de re metrica legerint extra controversiam erit positum. Quis enim putabit Laevium si Attii et Lucilii esset aequalis aut voluisse aut potuisse uti tanta et varietate metrorum et elegantia, quali usum esse demonstravimus?

Praeterea Ausonius ubi centonis nuptialis excusat lasciviam haec habet: 'nam quid Anniani Fescenninos, quid antiquissimi poetae Laevii erotopaegnion libros loquar?' Cuius ut mediocris litteratoris verbis etsi non multum inest ponderis, tamen nulla extat causa cur aliud eum tempus Laevii quam quod supra diximus significare voluisse credamus. Ceterum non possum adsentiri Keilio qui refragante codice Neapolitano Charisii Iliadis Cypriae auctorem esse Laevium adsensus est Schottio. Ibi pro eo quod est in libro scripto nevius potius Ninnii nomen restituendum existimo: simili quippe modo peccatum in Prisciani libro X [pg. 866]. Nam hercule propius abest a fide Ninnium Crassum qui Homericam interpretatus sit Iliada etiam Cypriam vertisse quam Laevium, quem neque aliter aut de Graeco quidquam transtulisse aut epici fuisse carminis studiosum ullo modo constat.

Denique ad Calvi frg. 3 conferenda quae dixit Buechelerus Musei Rhenani XIIII, 448. In 16 fortasse scribendum *furva* pro *fulva*.

PRAEFATIO PRIAPEORVM.

Catulli cantorumque Euphorionis libri ut plurimum valuerunt ad formandos poetas eos, qui fuerunt Augusto imperante, ita quod saepe ab isdem cum honore commemorantur, non erit mirum. Quidam etiam longius aequo progressi eorum admiratione. Vnde Horatius invehitur in simium illum, qui nihil praeter Catulli Calvique libros cantare sit doctus. At aliter Vergilius:

Nam neque adhuc Vario videor nec dicere Cinna
Digna, sed argutos inter strepere anser olores;

et Lygdamus:

Sic cecinit pro te doctus, Minoi, Catullus,
Ingrati referens impia facta viri;

et porro Ovidius in epicedio Tibulli:

Obvius huic venias hedera iuvenalia cinctus
Tempora, cum Calvo, docte Catulle, tuo.

Idem et alibi, quanti fecerit Catullum cum consortibus studii, identidem declarat, nec vero minus Propertius.

Sed praeterquam quod laudes Euphorionis cantorum occasione data inseruere carminibus proximi temporis poetae, etiam imitatione eorum presserunt vestigia. Huius studii testimonia haud pauca ut extant alibi, ita tota ad aemulationem illorum invenies composita epyllia Culicem et Cirim, tum Copam et Moretum et Diras idyllia, postremo libellos Priapeorum et Catalecton et epigrammaton, quae cuncta a Donato tribuuntur Vergilio. Quamquam epigrammata videntur fuisse ab initio paucissima, nec fere nisi illa, quae in vitis Vergilii antiquis ei recte seu secus tribuuntur, ut puta *monte sub hoc lapidum, nocte pluit tota, hos ego versiculos, Mantua me genuit.*

Ceterum quod appellantur in his carminibus Messalla, Octavius, Plotius, Varius, agnosces studiorum consortes eos, quos habes in Horatii sat. I, 10, excepto quod qui in Ciri appellatur [v. 36. 54] iuvenum doctissimus Messalla filium potius oratoris celeberrimi, Messalinum volgo vocitatum, de quo extat carmen Tibulli, tangi adsentior Teuffe-

lio. Nec enim de fraude ac ficto nomine cogitandum. Ea autem ipsa re, quod pleraque horum opusculorum Vergilii amicis essent inscripta, evenit ut tam cito ipsius esse putarentur huius. Nec abhorret a probabilitate Priapea potissimum ex horum virorum sive amicorum villis esse collecta. Certe Tibullus, cuius duo sunt carmina, quam fuerit familiaris Messallae nemini ignotum. Et Ovidius, qui filio eius Messalino coniunctissimus fuit, haud dubie eodem usus est amico. Accedit quod Messallam inter eos, qui lasciva carmina composuerint, refert Plinius in ep. V, 3. Mox fortasse ex ipsa hac studiosorum hominum cohorte extitit homo perelegantis ingenii, per quem non licuit perire istis Euphorionis cantorum studii monumentis. Itaque is et Vergilii opuscula quae iam feruntur coniunxit nec minus collegit Priapea quae quidem a doctis auctoribus isdemque Catulli studiosis venisse, ut alia mittam, ipsis metrorum quibus usi sunt generibus apparet. His igitur praefixit compositum ab ipso, quod praefationis esset instar, carmen primum.

Priapeorum qui fuerint auctores, hodie, tria si exceperis, plane ignotum; et fortasse is ipse, qui confecit syllogen, ignoravit nomina multorum. Eundem vix adducor ut credam statuisse reliqua, quae supra enumeravi, carmina omnia a Vergilio esse scripta; et hercule non huius auctoritate permotus collegit illa, sed quia imitationem Catulli et aequalium huius prae se ferrent. Quippe Ciris et Culex simillima epithalamii Pelei Iusque ac Zmynae. Quantum ad Moretum, Sueius poeta, quem etiam Caesaris dictatoris aequalem fuisse plurimos habet numeros probabilitatis scripserat carmen eodem titulo parique argumento et metro. Eundem etiam vel alios eius temporis poetas similia pleraque idyllia composuisse sat constat, quos secuti sunt saec. p. Ch. II et III Annianus et Serenus. Congrua autem carmina agnosces in sylloge nostra Copam nec minus Diras, quas quidem is qui composuit hanc anthologiam pariter cum omni antiquitate unius videtur carminis instar habuisse. Et notanda in hoc carmine apertissima cantorum Euphorionis imitatio vel ea

re, quod in versibus 183 habes tres spondiazontas; omnino ars metri par ei, quae in epithalamio Pelei.

Denique Priapea et Catalecta argumentis ipsis simillima epigrammatis Catulli non est quod dicam; nec vero metra aliena nisi quod epodos habes in Catalectorum c. 5, qui quidem quin Horatii imitatione provenerint vix dubium.

Ceterum etiam magis quam materiae ac versus imitationem Euphorionis cantorum testantur dictiones. Nam Ciris vix aliud quam cento ex Catullo Vergilioque conflatus. Quid autem dicam de Priapeis et Catalectis? quae quantum traxerint ab illo, vel mediocriter harum literarum eruditus statim intelliget. Quamquam exempla imitationis Catullianae in tribus quae dixi operibus etiam plura potuerunt notari, quam adscripsere docti.

Nec dest, e Calvo quod videatur ductum; etsi in tanta reliquiarum huius paucitate quod unum modo eius rei certum extat exemplum quid mirum? Id notavimus ad frgm. eius 3. Ita et Cinnae et reliquorum studii eiusdem consortium facile deprehenderemus imitationem, nisi illorum intercidissent libri. Habes tamen illud *multum vigilata,* quod legitur in Cinnae frg. 3 repetitum in Ciris v. 46.

Sed haec hactenus. Quaeritur iam, quinam fuerint auctores sylloges illius. Eam Donatus, ut alios testes omittam, tribuit Vergilio. Id testimonium, quod statuere plerique Suetonii niti auctoritate, mihi quidem videtur veri dissimillimum. Neque enim ullo modo adducor, ut credam criticos primi p. Ch. n. saeculi adeo caecutisse in aperta luce, ut totam hanc collectionem, quae clamat paene diversorum se esse auctorum uni tribuerent scriptori eique Vergilio. Concedo de Culice, carmine non invenusto, quamquam ob metricas rationes a Marone certissime alieno, etiam de Diris, Moretoque et Copa, etsi Diras alterius esse auctoris recte iam consentiunt docti. In Moreto certe hoc notandum, quod legitur v. 96 illud *abicit* correpta prima, cuius aliter usus apud dactylicos prima exempla in Ovidii vel verius Manilii libris inve-

niuntur. Nequaquam autem evenire potuit, ut Priapea quae plurimorum esse auctorum agnoscet vel puer, unius putarentur poetae saec. p. Chr. n. primo, ut omittam disertum Senecae rhetoris de uno eorum testimonium. Etenim longissime a vero aberrarunt, qui statuerent, ad tria tantum Priapea eaque ultima operis, quae extant in libro Brux., pertinere Donati testimonium, quippe et codicum plerique omnes constanter totam syllogen tribuunt Maroni et in libro Monac. 18059 carmen *quid hoc novist,* quod Tibulli esse certo constat, adscribitur eidem. Et quantum ad tria opuscula, quae supra memoravi, ea diversorum esse scriptorum, ita quidem, ut altero contineatur παρῳδία tertii, nemo puto negabit.

Ceterum ad hoc ipsum respicit Diomedes, qui dicit pg. 512 Vergilium in prolusionibus suis hoc est iuvenalis ludi libello usum esse metro Priapeo. Nam versus, quem affert,

incidi patulum in specum procumbente Priapo

sensu ineptus ac suspectus ob metrum et haud dubie ut pleraque tertii libri exempla (non secundi) ab ipso confictus.

Sane carmen illud '*hunc ego o iuvenes*' quamquam suavissimum alienum a Marone, qui numquam elisit cretica in brevi.

Sed Catalecta, quae paenultimo loco totius fuere sylloges posita (nam claudebant agmen epigrammata ut diversis poetae temporibus scripta) quamquam fortasse non omnia sunt profecta a Vergilio, tamen nihil habent, quod tam aperte sit ab eo alienum, ut oportuerit criticum saec. p. Ch. n. I ea abiudicare ab illo. Itaque quin iam ab eo, qui confecit syllogen huic sint tributa, non est cur dubitemus. Qui ut praefatione donavit Priapea, ita epilogo ornavit Catalecta. Neque enim ulla est causa, cur tersissimum epigramma, quod in Brux. codice aliisque subicitur Catalectis, indignum eius elegantia putemus. Est autem scribendum ita:

Vate Syracosio qui dulcior, Hesiodoque
Maior, Homereo non minor ore fuit,

Illius haec quoque sunt divini elementa poetae.
Erudit en vario carmine Calliope.

Idem num epyllia et idyllia Maronis esse putarit, non iam licet certo definiri.

Ceterum hac potissimum subscriptione decepti posterioris temporis a tertio inde sive quarto saec. grammatici videntur tribuisse totam syllogen Vergilio, iuvenalis fortasse ludi titulo inscriptam. Quid quod nonnulli adiecere Aetnam, quod cum Claudii demum aut Neronis tempore provenisset carmen, multo etiam minus quam reliqua opuscula, quae Augusti certe tempore sunt scripta, potuit Suetonio videri Vergilianum. Quid enim? nonne eum censebimus in operibus nobilissimi poetae proponendis grammaticorum huic aequalium testimonia respexisse? A quibus ne potuit quidem ulla mentio Aetnae inici. Porro notum, quam severe idem Suetonius de elegis epistulaque quadam Horatio suppositis iudicarit.

Ceterum ne Donati quidem tempore defuisse qui dubitarent num Aetna esset Vergilii sat apparet verbis eius quae sunt haec: *scripsit etiam de qua ambigitur Aetnam.* E quibus sine ulla causa nec adiutum membranis Hagenum nostrum illa quae sunt *de qua ambigitur* seclusisse nuper monui.

Igitur labente demum antiquitate et vanescente eruditione pariter ac iudicio totam hanc syllogen Vergilio adscriptam censeo. Ceterum per cursum saeculorum etiam alia plurima eaque ex parte ineptissima tribuere eidem, qualia sunt elegiae de Maecenate, rosetum, carmen de est et non, de viro bono, similia pleraque, quae ne mentione quidem digna sunt, cum praesertim farraginis huius maiorem partem medio demum aevo ad explendas paginas opusculis Vergilianis a librariis esse additam persuasum habeam.

Iam sylloges Augusto imperante factae apographon, cuius primae parti Aetna accesserat, ultimae elegi de Maecenate et quaedam alia, cum extaret tempore Caroli Magni in Gallia sive Italia, id haud minoribus fatis est agitatum quam eadem aetate codex ille qui Tibulli libros vel qui

Ovidii carmina amatoria continuit. Ex eo saec. VIIII ac X descripta aliquot exemplis Aetna et Culex et, quae propter brevitatem facilius multiplicabantur, Moretum cum Copa et Diris. — Etiam Ciris et elegiarum de Maecenate tum temporis singula videntur descripta esse exempla, quae mox oblivione pressa non nisi ab Italis saeculi quartidecimi vel sequentis grammaticis ex tenebris rursus sunt eruta. Mox autem ingenti damno affectus codex ille. Nam amissa priore parte usque ad Ciris v. 454, etiam Copa Moreto Diris et priapeis praeter ultima quinque est orbatus, neque epigrammata in fine sita et siqua alia per interpolationem accesserant carmina retinuit exceptis elegis de Maecenate. Quae servata erant saec. XII vel potius XIII codicis Bruxellensis scriba in suum exemplar transtulit omissis opusculis Tibullianis e quibus tamen posterius animadverso errore epigrammati catalectis adiecto subiunxit. Idque fortasse separatum extitit in vetustiore illa scheda: certe et in Monacensi libro singillatim propagatum est et in Guelferbitano quodam a. 1450 conscripto [nr. 703] post c. 80 legitur ultimum. Idem ille librarius quin ex eis quae sequebantur catalecta nihil nisi carmina de Maecenate habuerit quod describeret vix videtur dubium. Nempe alia si fuissent praesto ea potius addidisset quam opusculum P. Annii Flori cui inscriptum *Vergilius orator an poeta,* cum ipse ut videtur in margine addiderit (idem certe omnino atramenti color) hanc scripturam in alio quaternione ex integro sese habere. Ceterum praeter Bruxellensem etiam alter ex eodem truncato archetypo ductus codex unde reliqua quae iam extant exemplaria saec. XV scripta originem trahere videntur.

Sed Priapeorum exemplaria, quae saec. XIIII vel XV provenere ducta sunt e codice, cui dessent, ut memoravi, quinque postrema carmina, quae quidem in membranis quibusdam recentissime scriptis extant, sed praeterea ex parte etiam in vetustioribus, h. e. Brux., Monac., Scaligeri codice Tibulliano, cuius diversa a reliquis origo. Neque tamen possum assentiri Buechelero, qui hanc ob causam illa opuscula a ceteris Priapeis separavit.

Immo haec cum illis omnino fuisse coniuncta antiquitus apparebit ultro, si recte disputata videbuntur, quae de origine et fatis huius sylloges supra proposuimus. Quantum ad auctores carminum, tertium fuisse Ovidii Senecae rhetoris constat indicio, porro 81 et 82 a Tibullo profecta gravissima Cuiaciani libri asseritur auctoritate, cuius testimonium qui neglexerunt neque lusus istos recte aestimasse et hodiernorum vatum placita antiquis dicendi sunt tribuisse. Exciderant opinor eis pleraque quae Ovidius quaeque Plinius refert nomina poetarum, quibus etiam lasciva pagina, vita proba fuit.

De reliquorum auctoribus nihil constat, nisi quod et doctissimos fuisse homines et Augusto aequales videtur certum. Neque illud sat apertum, isne qui collegit hanc syllogen ipse omiserit nomina siqua ei innotuerant, an librarii ab eo inde tempore, quo totum opus Vergilio adscribi coeptum est. Imitantur ut plurimum Catullum, ex aequalibus Vergilium, fortasse etiam Tibullum et Horatium. Neque pauca mutua auctorum aemulatione ex ipsa hac sylloge expressa. Saepe eis cum Ovidio convenit; nec tamen ubique certum, Naso illos ut plerumque aequales eroticos an hunc expresserint ipsi. Quod contra dubio caret saepe Priapeorum exempla obversata Martiali. Aliter ea per antiquitatem observari excepto fortasse uno alterove anth. latinae carmine ut 923, 1074 non memini.

Pleraque argumenti sunt obscaeni, ut vel in hac parte similitudinem agnoscas Catulli. Neque tamen talia ex huius temporis placitis sed illius quo provenere metienda rationibus ac iudiciis. Quae qualia fuerint optime docemur versiculis notissimis Catulli

nam castum esse decet pium poetam
ipsum, versiculos nihil necessest,
qui tum denique habent salem ac leporem,
si sint molliculi ac parum pudici.

Praeterea videnda quae praefatus est ille qui collegit Priapea.

Idem quod dixit haec carmina incompta id vehementer

errabit qui rettulerit ad versuum aut sermonum artem labantem, sed voluit auctor prohoemii, id quod passim ipsi indicant poetae, adesse in his lusibus ut Nasonis verbis utar rebus nomen ac pudorem nominibus sive ut est apud Aristophanem τὴν σκάφην σκάφην λέγεσθαι. Quamquam hic illic reperiri voculam plebis potissimum usu frequentatam equidem minime negarim.

Postquam saec. XV ex tenebris diuturnis rursus emersere haec opuscula (nam quod XIIII scriptum esse certo pignore posset adfirmari, mihi quidem non innotuit), plurimos cito nacta sunt lectores, sed paucos eos, qui eadem feliciter emendarent. Et menda quidem haud pauca sustulere grammatici Itali, alia numero tamen non ita multa Ios. Scaliger. Ad interpretationem eorum plurimum contulit Casp. Scioppius. Sua N. Heinsio et Burmanno Minori merita. Postremo Fr. Buechelerus in appendice Petronii et in m. Rh. [XVIII, 381 sqq.] navavit isdem operam utilem et luculentam. Quamquam quod etiam ab hoc dissentire identidem e re visum nobis, quid mirum in carminibus, quibus vix invenies magis depravata, cum diversissimis mendorum generibus, h. e. et corruptelis nimiis et interpolationibus immodicis laborent.

Ceterum librorum scriptorum subsidia praeter ultima quinque carmina non adfuere nobis nisi quae Burmanno, Meyero, Buechelero.

Iam Meyeri, cuius exemplar dedimus operis describendum, variantium lectionum potissimas et siqua alia memoria videbuntur digna qua par erat brevitate perstringemus.

1, 1, 2 Imitatos esse hoc distichon et Martialem I, 4 sic '*contigeris nostros Caesar si forte libellos terrarum dominum pone supercilium*' et Ausonium in idyllio 7 ut puta '*carminis incompti tenuem lecture libellum pone supercilium*', annotarunt plerique. Horum alterutrum expressit Eugenius Toletanus in praef. editi ab ipso carminis Dracontii:

Principis insignem faciem visure libelle.

2, 7 *Pierium* duo cdd. Medicei, Buechelerus; *Pieridum* v.

3, 9 V. quae diximus ad Cat. 16, 1.

6, 1 *quom sim* scripsi, *quod sum* v.

7, 1, 2 *te pe dico* cdd., Buechelerus, *te paedico* M.

9, 2 *quaere* nos d. r. m. 51, Buechelerus, *quaero* v.

11, 1 *prendare* Buechelerus, *prensare* cdd. plerique, *prensere* alii.

12, 1 Addidi illud *hau* (alii *haud*), quod facillime potuit absorberi syllaba praecedente; om. libri.

ib. 9 Scripsi *ecscreavit*, apertissimas codicum corruptelas, quas videre est ap. M., secutus.

ib. 11 *russa* ut nos cod. Lindenbrogii, *rufa* M.

13, 1 *perscindere* ego, sicut semper *scindere* dicitur in re simili, *praecidere* vel *percidere* v.

14, 9 *ergo quilibet.* Illud *qui* rectius pro dativo accipi quam pro nominativo sensit iam, qui librum Vat. scripsit, quem secuti sumus cum Burmanno.

15, 4, 5 apud nos sicut ap. Buechel. qui in editione Meyeri 5, 4. Et firmatur illa traiectio codicibus quibusdam.

ib. 6 *perscissum* ego, *praecisum* v.

16, 4 *Nausicaan* scripsi, ut coeuntibus vocalibus a a, quae non solent in latinis verbis iugari, graecanica forma servaretur integra. Cdd. plerique *Nausicam* vel similia. *Nausicen* liber Faurianus; v. *Nausicaam.*

ib. 7 *talia quinque* cd. Rhedigeranus, Lessingius, Meyerus, cf. 53, 6; *talia cumque* v.; *domini* ego, *dominus* libri.

19, 1 *ecquando* Scaliger, atque ita M, *hic quando* membranae.

ib. 3 *sistris* Buechelerus, *extis* vel *festis* vel similia cdd.; *acriusque* ego, *altiusque* vel *aptiusque* scripti plurimi; *motat* Forbergius, *movet* cdd.

ib. 5 *possit* nos, *posset* v.

21, 1 *copia deperiit;* libri *copia me perdit*, quod cum ita tueatur Buechelerus, ut dicat haec verba esse furis, qui pondere surreptorum pomorum oppressus eorum partem dedicet Priapo, nullo possum pacto ei adsentiri. Nam alienum a probabilitate omni est auctorem Priapei huius, plane sicut reliquorum ingenuum hominem et liberaliter eruditum, servili se probro respersurum furis induisse per-

sonam, neque magis crediderim eum poma rapta Priapo acerrimo furum et inquisitori et castigatori fuisse positurum. Itaque sensu caret illud *copia me perdit*, pro quo quod olim [d. r. m. 254] probavi Antonii inventum *copia mi periit*, iam agnosco illud *mi* pro *mihi* ab horum carminum elegantia esse alienum. Itaque de propria coniectura scripsi *copia deperiit*, h. e. funditus periit. Id quod sequitur *vernacula* non significare *propria* sed potius in ipsius poetae horto nata, demonstrat ut supra dicta mittam locus Ovid. a. am. 2, 263 sqq., qui aperte thema praebuit huic epigrammati nisi fuit ipse eius cum recordatione compositus. Cf. et annotatio Burmanni.

22, 1 *virve puerve* sensu exigente revocavi ex Ov. ep. ex P. IIII, 9, 96:

Femina de nobis virve puerve queri.

24, 3 Scripsi *caveas*, libri *habeas*. Nam in hoc carmine non magis quam in reliquis Priapus inducitur poenam exercens sed minitans, idque ipsum asseritur epigr. Leonidae, ex quo expressum esse latinum plerique annotarunt.

26, 3 *totis* — *noctibus* i. e. omnibus.

ib. 7 *ecfututus* Buechelerus, librorum scriptorum secutus vestigia, *effututus* v.

ib. 9 *vigens* scripsi, *valens* cdd., quod irrepsit ex eo quod legitur in fine proximi versiculi *valentes*.

ib. 10 *fures scindere* ego, *f. caedere* v.; vide quae diximus ad 13, 1.

29, 4 Illud *ostendis* reduxi ex cdd. compluribus, *ostendas* v.

30, 4 *cur* Buechelerus ex libris scriptis, *quas* v. Idem in fine versus reponi vult *aquam*.

31, 1 *mihi* v., *mei* et similes corruptelas cdd.

ib. 4 *cunno* Scioppius, *culò* v.

32, 7 *est putusque pumex* ego, cdd. plerique *usque putris pumex* vel *ut putrisque p.*

ib. 12 *larualem*, cf. d. r. m. 260.

ib. 13 *insulariusque* Burmannus, *insularis aeque* cdd.; cf. Buechel. m. Rh. XVIII, 392. Proximo versu idem re-

vocavit e Wittiano cod. (nam de ceteris siletur) *lanternae.* Ceterum in fine carminis aut ante v. 13 quaedam videntur excidisse.

33, 2 *quoi — subaret* ego; *quo — subiret* cdd. sine sensu.

ib. 6 *mihi* Buechel., *manu* v.

35, 2 *si deprensus eris* recte M. ex cod. vestigiis eruit, *si prensus fueris* v.

36, 3, 4. Hos versus locum interse mutare iussi.

ib. 3 *ravo* Hauptius, *glauco* Antonius, fort. recte, cf. Burmanni annot.; *flavo* cdd.

ib. 5 *frontem caprinos* scripsi, cdd. *fronte crinitos* vel similia.

37, 9 *Lar* scripsi, *par* libri; alii *pars.*

40, 2 *puta* verissime Guelf. 703, *puto* v. At hercule Telethusam, vel quicumque pro ea votum solvit, scire oportebat, quanam de causa solveretur, Priapum, nisi rem edoceretur, nescire.

44, 1 *sic ligneus astem* Dorvillius, *sim ligneus, hastam* cdd.

ib. 4 *nervi viribus* ego (*viribus* iam Ouwensius), *veris usibus* scripti.

45, 3 *Maurae similis puellae;* ita proximi epigrammatis initio *o non candidior puella Mauro.* Apparet alterius opusculi auctorem alterum esse imitatum; nimirum ex eodem haec duo carmina dei sacello fuere descripta.

46, 5 *Indicisve bracis* Buechelerus, *Indicisque braccis* v., *Indicis libratis* cdd.

ib. 6 *manda scilicet, ut libet, perennis* ego, *manes hic licet ut libenter ires* cdd.

50, 2 *fucosissima* Guietus, *ficosissima* libri.

ib. 6 *sutilibus, Priape, noster* N. Heinsius, *similibus* codicum pars, alii per interpolationem *cum paribus;* praeterea scripti *nostris* vel *nostrae.*

51, 12 *quae vocatur Albana* Scaliger, *quae vocatur alna* vel similia cdd.

ib. 13 *purpureo* scripti, corr. Burmannus; cf. d. r. m. 244 sq.

ib. 14 *ferre glorior* idem, *fero gloriosior* vel simillima cdd.

ib. 23 *nostro quamquam habemus* scripsi; cdd. *nostro quamvis habeamus* sive *quamvis nostro habeamus* (etsi de hac lectione minus constat) praeter alias corruptelas sive interpolationes, quas videre est apud Burmannum et Meyerum; edd. veteres *ut habeamus*. Videtur antiquitus fuisse traditum *quam habemus*, id quod postea crassa Minerva correxerunt. Vulgo scribitur elisione sat ineleganti *quae cuncta quamvis nostro habemus in saepto*.

ib. 28 *hoc vos et ipsum* Santenius, *vos hoc et ipsum* nos d. r. m. 343, *et vos hoc ipsum* cdd.

52, 10 illud *mutuniatus* pro *mutoniatus* ex cdd. corruptelis primus restituit Buechelerus.

ib. 12 cf. quae diximus ad Cat. 5, 13; etiam praecedens versus est ductus ex Cat. 35, 7.

53, 2 *capiunt* scripsi, *capiant* v.

ib. 3 *defit* Broukhusius, cod. Vat., quae forma et ap. Verg. extat, *desit* v.

54, 1 *CD* Buechelerus, *ede* scripti.

55, 1 *possit* revocavi e Guelf. 703, *posset* v.

ib. 2 *surripuere* ex cdd. restituit Buechelerus.

ib. 5 *multabor* v., *mutabor* N. Heinsius, fort. recte.

57, 2 *turba putida facta saeculorum; putida* potius quam *putrida* erat scribendum propter apertam imitationem versus Horatiani, quem et adfert Buechelerus, 'rogare longo putidam te saeculo.'

ib. 4 *Priamive Nestorisve* scripsi; vulgo minus recte '*Priamique Nestorisque*'. Quod contra sat bene se habet 77, 4 illud *Tithonum Priamumque Nestoremque*.

ib. 6 *desit* v., Meyerus, *desim* cdd., Buechelerus; sed enim v. 7 apparet anum illam petisse rem plane extra facultatem Priapi positam.

ib. 8. Hunc versum a sciolo per interpolationem adiectum esse priori carmini adsentior plerisque; ut tamen eum omni tempore fuisse in nostra sylloge existimem.

58, 1 *quicumque nostram fur fefellerit sedem; sedem*

ego, *fidem* plerique libri, alii aperta fraude *curam*. Ita 63, 1 quidam scripti etiam *fidem* pro *sedem*.

ib. 2 *verminet* Vossius, *imminet* cdd.

ib. 4. Cf. d. r. m. pg. 151.

59, 2 *exis* Vossius, *eris* scripti.

63, 1. Cdd. exhibent illud *parum est mihi quod hic fixi sedem* sive *fidem*. Iam ob rationes metricas certissime cum appareat et post *hic* et post *fixi* esse lacunas, quas ita explevimus, ut aperte sensus flagitat, nihil praeterea novantes nisi quod illud *mihi* traiecimus ut ex numero scilicet fieret metrum (nam et pronomen nullo modo cum *parum* posse coniungi vv. 4 et 6 demonstrant), hodie ut olim [d. r. m. 227] omni pignore spondemus initium carminis antiquitus fuisse tale:

parumst, quod hic cum fixerint mihi sedem.

ib. 9. Libri ferme *huc adde quod me terribilem fustc,* excepto quod illud *me* abest ab uno Guelf. Minus iam placet quod olim [d. r. m. 151] proposui explendae lacunae *h. a. q. t. et e rudi fuste,* quoniam ea scazontum horum legis est severitas, ut exclusa sit ab eis semiseptenaria. Suspicor antiquitus fuisse traditum illud *h. a. q. me bilem fuste,* tum ad sensum fulciendum simul et resarciendi quoquo modo numerorum damni causa repositum id quod est *terribilem*, male recordatis ut puta 56, 4; 20, 6. Quod cum ita se habere videatur, iam metro pariter et sententiae optime consulemus scribendo

huc adde quod me *vilem et e rudi* fuste.

ib. 15. Omnino reponendum quod neminem vidisse miror *ad haec* (libri *ad hanc*); nam apparet vv. 15—18 ultimum summumque malorum quibus urgeatur Priapus describi.

ib. 18. Ex librorum corruptelis ut puta *non admovetis, non ad inventis, non inventis* similibus facili opera elicui *non adnuente;* minus enim placebat *innuente.* Eodem versu id quod est *pruriosa*, omnibus firmatum codicibus, reliqui, cum videatur poeta formam vulgi consuetudine breviatam in suum usum convertisse, ut similia plebei ser-

monis vestigia hic illic occurrunt in Priapeis. Nec tamen displicet quod Buechelerus proposuit *nos perosa.*

65, 1 *mersit* cdd., corr. N. Heinsius.

ib. 4 *posthac* Buechelerus, *facias* v.

66, 3 *nil mirum* scripsi, *nimirum* v., *a mirum* Buechelerus.

68, 4 *cogor Homeriacas* Heinsius, *carpsi meracas, coris meracas* vel similia membranae. Videnda quae Bentleius quaeque nos notavimus ad Hor. ep. II, 3, 120. Ceterum forma quae est *Homereus* legitur in epigrammate anthologiae Meyerianae 834, v. 2, de quo supra dixi carmine.

ib. 7. Male spreverunt editores quod legitur in codicibus μερδαλέον — *merdalea est;* excepto quod posterius reduxit Buechelerus. At oportuit aut utroque aut quod quidem metro vetatur neutro. De forma μερδαλέος cum apte disseruerit Buechelerus, nil habeo equidem quod addam. Illud tamen certum auctorem Priapei in adhibenda illa secutum esse eos grammaticos qui apud Homerum metri ergo legendum existimarent Κάμανδρος, de qua re conferenda quae notantur in scholiis Venetis ad Il. I, 1.

ib. Cdd. *nisi* vel *in se,* corr. Weberus; nam iure optimo dubitat Priapus, sitne revera μερδαλέον id quod *res non munda.*

ib. 11 *nota* libri, corr. Heusingerus; cf. Ov. rem. am. 779, 80.

ib. 17 *nata* Scioppius, *nota* cdd. Malim tamen *mota,* quia illud *nata* iam legitur v. 11 et exemplo Ovidiano; nam in metam. VIIII, 355 habes *ira feri motast.*

ib. 23 *Calypson* libri, quod reduxi, cf. d. r. m. 391.

ib. 30 cf. Buechel. m. Rh. XVIII, 408.

ib. 31 *e quibus ut scires quicumque valentior esset.* Neque *quicumque* praebet ullum sensum nec vero *valentior.* Nam valentissimus omnium a Penelope expetebatur. Itaque haud cunctanter reponendum *qui quoque*, quod librarii per neglegentiam acceperunt, quasi esset *quiquomque.*

ib. 35 Illud *qualem* omni sensu carere consentiunt docti; ex quo lenissima mutatione fecimus *quem iam.*

Proximo versu id quod est *virum* significat *virili robore praeditum.*

ib. 38 *natus* recte cod. Holsteinii; cf. c. 33; *factus* v.

69, 4 Scriptorum lectionem reduxit Buechelerus, quem secuti sumus. Vid. quae idem dixit l. m. pg. 409.

70, 8 *rigenti* scripsi, cf. vv. 12, 13, *rigendo* v.

ib. 10 *famelicarum* recte lib. Faurianus, cf. v. 6, *famelicorum* v.

ib. 12 *neu* scripsi, ut vitaretur in carmine elegantissimo scabrities orationis, *ne* v.

71, 2 *quid doleam* cdd., corr. N. Heinsius.

72. Haec verba aut prodigiosum in modum sunt corrupta, aut potius semper ab omni versu fuere aliena. Suspicor enim ea venisse ab eodem interpolatore, qui post c. 32 adiecit hexametrum, qui in Guelf. 705 legitur, diversum ab horum carminum rationibus hunc: *pene nates fodias, si vis servire Priapo.* Fortasse idem successu sane quam infelici voluit quandam versuum Hipponacteorum adumbrare speciem. Illud enim non possum probare, quod statuit Buechelerus, ab eo qui confecit hanc syllogen ea quamvis pedestria recepta esse ad explicandum sequens epigramma, quod quidem tali interpretatione minime eget. Et abhorret ab antiquitatis more ita immisceri solutam orationem ligatae.

73, 1 *movear* cdd. quidam, quod retinui; alii *moneam* seu *moneat.*

ib. 2 *bracchia macra* scripti; locus obscurus; vid. tamen quae dixit Buechelerus l. m. 410 sq.

74, 4 *arvum* ego, quod quo pertineat, nemo non videt; *aram* vel *arram* cdd.

ib. 75. Hos versus verissime a superioribus seiunxit Scaliger, cf. c. 13. 22.

76, 2 *Mycena* Aldus, *Mycene* scripti; *ditis* Buechel., quod cur non sit ausus in textum recipere, non video; cf. d. r. m. 384; cdd. *dites, dives* v.

ib. 15. Versum interpolatum *mortales tibi Lampsacum dicarunt* loco movit Buechelerus.

77, 3, 4 traieci post 7. Nam priorem partem carmi-

nis a posteriore divelli, sicut visum Buechelero, mihi quidem nullo pacto probatur; cf. v. 19.

ib. 5 *cietis* Burmannus, alii *movetis, videtis* cdd.

ib. 15 *quod* scripti, h. e. *quot.*

ib. 17 *nunc* Buechelerus, *non* cdd.

ib. 18 *clusus* — *abstinentem* idem, membranae *lusus* vel *elusus;* eaedem *abstinerem* sive *abstineret* sive *abstinemur.*

78, 2 *amicae* Aldus, *amicas* cdd.

ib. 5 *landicae* Munckerus, *landices* vel similia cdd.; cf. Buechel. pg. 413.

79, 4 *es* Scaliger, *est* scripti.

80, 9, 10. Hos versus miror Scaligerum a prioribus segregasse, cum quibus apertissime cohaerent. Agitur enim de eo, qui quod primum sibi non successisset in re venerea questus versibus 1—8 iam recuperata spe orat Priapum, ut proximum ipse secundet conatum. Est autem thema Ovidianum. Cf. am. III, 7.

Ceterum hoc carmine ut in reliquis fere libris ita in Guelf. 703. 704. 705 finiri syllogen, excepto quod in primo eorum etiam habetur epigr. 83, de qua re supra dixi, docuit nos magna cum comitate Heinemannus bibliothecae Guelferbitanae praefectus.

81, 2 *Respectus* Reinesius, *Perspectus* v.

c. 82. Varietatem librorum Bruxellensis et Monacensis potissimam afferri non putavi alienum a re, quo perspiceretur eos consimiles plane et conpares vulgatis Priapeorum sylloges exemplis.

82, 5, 7, 13, 32, 37 *capud* ubique B.

ib. 9 *Tripalle* liber Cuiacianus, *Triphalle* v., *Priape* BM.

ib. 16 *callidus* BM, *pallidus* C; cf. Luc. XXX, 41 G.

ib. 17, 18 ita habet scriptos M *canisve sevus fabricabit oblitum latus,* at B *canisve sevus lutosus adfricabit obliquum latus;* cf. adnot. Scal.

ib. 19 *o cave* scripsi, *o cui* Cuiac., B et M exhibent metrum tale *at o* (*at hos* M) *sceleste* (*scelesti* M) *penis o meum malum.* Alii minus bene *sceleste penis o meum malum grave.*

ib. 20 *tege noxias* BM.

ib. 23 *ante* BM.

ib. 28 om. BM, ex C add. Scaliger. Ceterum scribendum illud *patet* pro *latet;* cf. 12, 13. 46, 5.

ib. 29 *vacuaque* BM cum C, *vagaque* v.

ib. *annuo* C, *inguinum* BM.

ib. 30 *forem* BM, quod reduxi ut rarius, simul ne toties sibilaret *s*, *fores* v. incerto auctore.

ib. 31 *parantur* BM.

ib. 33 *angue lentior* C, *angue lenior* BM.

ib. 34 *a* BM.

ib. 37 *merserit* BM; *luto capud* B; et sic nisi fallor edi oportuit; certe alias ubique in fini versus locatum *caput*.

ib. 38 *pigetque* BM.

ib. 42 *recente* ego, *rigente* C, quod falsum esse v. proximo apparet, *repente* BM, quod vocabulum a Tibullo alienum est; ib. *nervos excitet libidine* BM.

ib. 43 *inguen erigat* B, *inguine erigit*, ut videtur, M.

ib. 44 *possit* BM, *cesset* C.

In carminibus quae claudunt syllogen tribus minus circa metra curiosi fuere doctorum plerique. — Ceterum facile apparet cur eadem iuncta fuerint ab editore Priapeorum, nimirum ob eam causam persimplicem, quod in singulis enumerantur dona quae pro anni temporum diversitate tribuuntur Priapo.

83, 3 *vereor ne lintieus ignem* m. 1 B, quod correxi; *ne ligneus ignem* B m. 2, v.

ib. 4 *ei* vel potius *heu* nos, *hic* v. — ib. *praebear* Vossianus 78, *praebeat* v.

84, 2 *o* dest in B.

ib. 3 *sinister* hoc est *malevole*, *invide,* quod ad illud *viator* referendum, scripsi de coniectura, *sinistre* B. — ib. *ante* v. *tante* B.

ib. 4 *villam* B, *villulam* v.

ib. 5 *tuor* v, *tueor* B. — *malaque furis arceo manu,* ita optime membranae. Maro, ut similia pleraque mittam: *suscipite Aenean et tandem arcete periclis.*

ib. 9 *mihique* Muretus, *mihi* B. — ib. *glauca oliva, cocta frigore* ego; Brux. habet *oliuo* (correctura facta a m. 2) *duro cocta frigo* (*frigore* v). Apparet verbum *duro* non provenisse nisi infelici conatu emendandi illud *olivo* quod librarius archetypi accepit pro *divo*.

ib. 14 *teneraque* v, corr. Dorvillius.

ib. 17 *sursum* cum reliquis libris B, quod reduxi.

ib. 18 *trux* Vossius, *crux* libri. — *stat hasta* ego, *vestat* B; in marg. add. m. 2 illud *ecce* quod ex proximi versus loco eodem arcessitum per interpolationem foedissimam facile apparet.

c. 85 Mollissimum omnino hoc carmen, quo suavius neque apud Graecos scriptores neque apud Latinos legere me memini. Libenter tribuerem Maroni, nisi obstaret creticum vocabulum v. 7 in brevi syllaba elisum. Ex hoc autem expressum epigramma praecedens.

ib. 1 *ego* cdd., *ego o* Lachm. ad Prop. pg. 289. Cet. cf. infra 19; 84, 2.

ib. 3 *formicata* B, corr. Schraderus, cf. 84, 1.

ib. 4 *nutrivi ut* Gruppius, *nutrior* B, *nutrivi* Rehdigeranus. — ib. *sit* Vossius, *ut* cdd.

ib. 6 Illud *adulescens,* quo ceteri libri carent, add. B.

ib. 7 *colens* libri, quod irrepsit e v. 5; ego correxi.

ib. 8 *vepresque* ego, *asper* B. — ib. *sit* B, *sint* Rehd.

ib. 9 *manu ferens*, ita B, v. *ferens manu*. — ib. *saepe* verissime Schraderus, cum ob metrum, quia semper pherecratei basis in hoc carmine est trochaica, tum ob sensum, quippe adulescenti pro paupertate patris ne licebat quidem semper offerre deo nova munera, quin saepe poneret, nihil obstabat.

ib. 12 *lacteumque*, ita B.

ib. 13 *pallentesque* cdd., *palantesque* N. Heinsius, qua admissa coniectura omnis epithetorum concinnitas turbatur.

ib. 15 *sanguinea* cdd., corr. Vossius; cf. 70, 3; 7.

ib. 16 *cornipesve* v., cdd. perperam *cornipesque;* nam

abhorret ab omni probabilitate dominos tam tenues duplici victima placare solitos esse Priapum.

ib. 17 *sic* ego, *hoc* cdd. sine metro. Illud *sic* idem valet quod saepe, ut puta *qualis est praesens rerum status.*

DE METRIS CATVLLI.

Iam antequam ad enarrandam eroticorum artem versuum accingimur, illud velim lectores praemonitos non nisi potissimas quasque leges metrorum his proponi opusculis, cum et illi qui plura noscere velint de rebus isdem, facile possint petere reliqua ex libro nostro, et verendum sit ne aliis qui sensus magis quam numeros in carminibus spectant vel pauca haec quae proferemus videantur esse nimia.

Itaque et regulae metri latini et exceptiones quotquot inveniuntur, simul et diversa poetarum aeque bonorum isdem de rebus placita septem potissimum contineri videntur causis. Quarum prima venit ab ipsa ratione metrorum et secreta pulchri lege, altera a vocabulorum quibus utuntur poetae plerorumque condicione, tertia a sensuum vi seu proprietate, qua aliquando invertuntur leges versus, quarta a progressu, quem in arte faciunt subinde poetae, quinta a novitate metrorum, sexta ab optimorum exemplorum, quorum praevalet auctoritas, differentia, septima a diversitate carminum.

I. Igitur cum prima potissimaque lex sit versus Latini — nam apud Graecos non perinde servatur — ut cuiusvis ordinis metrici finis proprios sibi referat numeros, at initia ferme habeantur indifferenter, iam apparet sponte his ob illud ipsum maiorem evenire libertatem. Constat

autem finis ordinis in medio versu desinentis singulis fere pedibus, at in ultimo duobus aut uno ac dimidiato. Praeterea dignissimum est memoria legitimo quodam progressu et augeri et minui diversarum partium licentiam, ita quidem ut priores loco etiam libertate sint potiores. Veluti in hexametro dactylico semiquinaria caesura praedito secundi et tertii semipedum, quibus prior ordo concluditur, minus firmiter observatur norma quam, quibus posterior finitur, pedum quinti ac sexti. Porro primus dactylus cum proxima arsi etiam maiore fruitur licentia quam cum tertii pedis parte altera quartus. Haec tamen in universum quamquam se habent rectissime, ne error oriatur, duae res erunt monendae. Primum enim nullius, ne primi quidem pedis, tam eximia potest esse libertas ut ideo principales rationes versus et aeternae leges pulchri inmutentur. Deinde potest fieri aliquando in metris logaoedicis, nullo ut pacto partes eae, quae extra fines ordinum sunt positae, possint percipere libertatem legitime permissam ipsis. Id ubi evenit, transfertur licentia eis concessa ad proximum versus membrum. E contrario pedes in exitu metrici ordinis collocati aliquando ob certas et non mutabiles ipsorum leges, qualis est ut puta quinti in hexametro dactyli, qui perraro cedit spondeo, exceptionibus patent talibus, quibus propria eorum qualitas efficitur.

Deinde haec notanda, quo quis longior est versus, eo plures admittere eum exceptiones.

Porro licentiae a pedum proprietate descendentis hic est modulus plus ut habeant libertatis dactylici versus et anapaestici quam trochaici et iambici, his autem minus etiam logaoedici. Ceterum vel eorum metrorum, quae uno eodemque in perpetuum continuato pede decurrunt, augetur severitas, tum cum exclusi sunt numeri tales, quos alias substituere legitime sit permissum. Id evenit e. g. in Catulli hoc 'phaselus ille quem videtis hospites', a quo exulat spondeus.

II. Deinde late patens licentia numerorum oritur a spatio ac proprietate verborum quibus constant versus.

Ac primum quidem liberius habentur voces plurimo usu communis sermonis adhibitae et quasi detritae, quales sunt coniunctiones, praepositiones, adverbia, pronomina. Deinde perspicuam ob causam facilius mutantur leges carminis in multarum syllabarum quam unius seu duarum vocabulis. Nam quo erit minus apta numeris pars orationis, eo promptius excitabit licentias quibus accommodetur metro suo. Sed plurimum ab Homeri et Hesiodi inde aetate usque ad Georgium Pisiden et Eugenium Toletanum versibus evenit libertatis a nominibus propriis quae dicuntur. Nam cum optimo quoque tempore eorum vel quantitatem vel formam inmutari haberetur nefas cumque delectarentur isdem poëtae veteres mirum in modum, varia artificia ac praestigias inveniri oportuit, ut illa aptarentur versui. Igitur primum quidem non erit mirum in ipsis nominibus metrorum saepe reperiri licentias; simili tamen ac pari libertate fruuntur verba proxime praecedentia, aliquando et postposita. Omnino facilius ars metri violatur in eis versibus quibus inest nomen proprium. Praeterea simili fruuntur exceptione vocabula graeca quaelibet et termini technici quos vocant.

III. Tertium genus libertatis evenit carmini ab oratoria sermonis concitatione gravique animorum affectione. A qua remissior ars et numeri neglegentiores adeo non sunt alieni, interdum ut plurimum faciant ad elegantiam versus. Ceterum plerumque sermo commotior indicatur verborum aut cumulatione aut iteratione sive oppositione. Praeterea in oratione quantumvis leni minimeque incitata tamen a multarum rerum enumeratione quaedam etiam oritur libertas metri.

IIII. Et haec quidem exceptionum genera ipsa natura versus et sermonis oriuntur. Alia vero a progressu artis sive defectu temporumque intervallis et diversitate poëticorum operum repetenda. Qua in re eo potiores fuerunt Romani, quod apud ipsos pleraque metra legitimo successu venerunt ad perfectionem, cum apud Graecos qui vetustissimi auctores artis ex parte sint et praestantissimi. Praeterea posterioribus horum offecit nimia Homeri au-

ctoritas, quem sane ea veneratione sunt prosecuti, quam εἰδωλολατρείαν vocant ipsi. Contra in latino metro rarissime evenit, ut simplicis elegantiae leges prae Ovidii Vergiliique placitis spernerentur.

Ac primum quidem monendum diversas pro temporum varietate singulis poëtis adfuisse rationes metricas. Quamquam huius rei iudicium lubricum saepe et ambiguum, primum quod plerorumque auctorum veterum libri quonam ordine sint conpositi ignoratur, deinde quod omnino veterum scriptorum prima ars a summa non eo distat intervallo, quod optinet ferme inter initia ac fines neotericorum. Ceterum etsi verum est poetas, quo longius procedunt in studiis, eo magis artem intendere, aliquando tamen contrarium accidit.

V. Nec non refert permultum, novisne an pridem vulgatis numeris utantur auctores, quoniam ut in vita ita in arte plurimum iuvamur exemplis, quae vel si mala sunt ad verum inveniendum viam muniunt. Quid ab omni prope parte si perfecta?

VI. Igitur ubi corroborata post medium a. u. c. saeculum VIII latini versus arte non invenire nova sed retinere parta interfuit plerorumque, tum vero quasi tumultu facto in diversa discessere auctores, pro varietate ingeniorum alius aliud Augustei aevi exemplum imitatione prementes. Et maxima apud recentiores auctoritate viguerunt Vergilius et Ovidius. Quippe hos non similis modo materiae scriptores, sed omnes quotquot fuerunt poëtae quam religiosissime observarunt. Quare haud ita magnum locum melicorum versuum et satiricorum arte constituenda optinuit Horatius, nec multum valuit exemplo Tibullus. Propertium qui sint secuti non invenio. Sed gravissimum inde evenit discrimen poetis posteris, quod quidam Vergilium, Ovidium alii magis probavere ducem. Iam quamquam uterque sectatores habuit sat multos, potiores tamen aemulati sunt Nasonem, facile ut possit concludi huius magis normam gentis Romanae indoli et subtilium ingeniorum proprietati convenire. Nempe Ovidium sunt secuti fere Lucanus, Columella, auctores Priapeorum, Ho-

merus Latinus, Calpurnius, is qui scripsit panegyricum ad Pisonem, Seneca, Martialis, Nemesianus, Palladius, Claudianus, Rutilius, Merobaudes, Avianus, Sedulius, Arator, Boetius et plerique poetarum minorum; Vergilio accesserunt Persius, Valerius, Statius, Silius, Ausonius, Prudentius, Paulinus, alii. Quidam ambigui ut Manilius et Iuvenalis aut pro varietate operum diversi ut Corippus. Ceterum vel qui magis probaverunt Maronem, longe pluribus rebus Ovidium quam quibus hic placuit illum observavere.

VII. Praeterea pro materiae diversitate et spatio librorum oriuntur metrorum licentiae. Quippe apparet non decere admitti idem breviculo carmine quod multis milibus versuum constante. Nam tale dum legimus, animus ad finem properans seu devinctus varietate rerum non nimium inmoratur taxandis vitiis, at pusilla atque exigua circuitu oportet excellere elegantia et subtilitate, quibus solis valent virtutibus. Tum similis ambitus opera multum interest quodnam ad genus poesis pertineant. Quippe graves et severi cum tragicis et melicorum plerisque epici, remissi satirici et ut quisque humilia argumenta sectatus, medii didactici et elegiaci. Hinc pro varietate librorum diversa normae metricae firmitas. Fatendum tamen magis id pertinere ad Graecos, quibus ipsa natura adesset longe maior et artis varietas et copia licentiarum.

At Romani ab antiquissimo inde aevo vel in hac parte servantes indolis proprietatem similiter omnes studuerunt elegantiae et concinnitati.

His praemissis iam singula videamus.

Itaque Catulli rationes metricae cum non ita faciles sint et expeditae, vix poterit esse mirum et antiquo tempore et magis novello extitisse plerosque qui aversis nati Musis cum tamen ferrentur ad poetae verba emendanda corrumperent potius quam corrigerent eius versus. Talium commentorum haud pauca quod in apparatu critico exhibuit Schwabius, vir alioqui optime meritus de Valerio, onerasse verius quam ornasse editionem suam est existimandus. Igitur Laevius et Varro in parte utique carmi-

num cum adeo non fuissent contemptores artis veteris Latinae, ut illam potius novella elegantia perpoliendam quam penitus abiciendam existimarent, Catullus cum Cinna Calvoque et Bibaculo et siqui fuere studiorum consortes ut dictionum ita metricae antiquae apertissimum declarant taedium. Igitur non varietatis magis metrorum quam concinnitatis ac nitoris ubique fuere studiosi, toti quidem conformati illi ad imitationem Graecorum, et Alexandrinorum poetarum ut plurimum prementes vestigia. Congruum autem horum evenit curis, quod severitatis eius, qua mox Horatium et Vergilium cum reliquis aequalium videmus excellere, prima apparent apud Catullum vestigia, quodque extant quae hic vel maiore quam illi gesserit cautione.

Metra autem habentur apud eum talia:

I. hexameter dactylicus [c. 62. 64]

⏑́ ⏖ ⏑́ ⏕ ⏑́ | ⏖ ⏑́ ⏖ ⏑́ (–)⏑⏑ ⏑́ ⏓
⏑́ ⏖ ⏑́ (|) ⏖ ⏑́ ⏖ ⏑́ | ⏕ ⏑́ (–)⏑⏑ ⏑́ ⏓

Peliaco quondam prognatae vertice pinus
quas ego vae! misera extremis proferre medullis.

II. distichon elegiacum [c. 65—116]

⏑́ ⏕ ⏑́ ⏕ ⏑́ ⏖ ⏑́ ⏖ ⏑́ (–)⏑⏑ ⏑́ ⏓
⏑́ ⏕ ⏑́ ⏖ ⏑́ | ⏑́ ⏑ ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ ⏑́.

nec potis est dulcis Musarum expromere fetus
mens animi; tantis fluctuat ipsa malis.

Pedum observantiae quae essent in metris Romanorum dactylicis docuimus libri nostri volumine altero pg. 137—167.

Notum in prioribus quattuor locis hexametri indifferenter pro dactylo poni spondeum. His pedibus mixtis interse et confusis optima evenit species ea quam habes talem

– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – – – – – ⏑ ⏑ – ⏓

arma virumque cano, Troiae qui primus ab oris.

Apud Graecos tamen pro mollitia dialecti Ionicae praevalet dactylus, at apud Romanos pro insita genti indole spondeus. Adde quod Catullus cum Lucretio nondum firmata arte durioribus utitur numeris. In quinto loco legitimus est dactylus, quamquam Catullus cum suis imitatione Alexandrinorum saepiuscule, extra hymenaeum tamen, fecit locum spondeo [cf. et Cic. ad Att. VII, 2]. Quid quod ille in epyllio semel tres continuavit spondiazontas [64, 78—80], cum alibi ne duos quidem tales iunctos in metro Latino meminerim. Omnino vicies quinquies admisit loco paenultimo spondeum, et quidem haud raro neglecta lege, ut praecederet dactylus, ut puta

Phasidos *ad fluctus et fines Aeeteos.*

Semel etiam habent versum exclusis omnino dactylis [116, 3]

qui te lenirem nobis neu conarere.

Cf. d. r. m. pg. 141 sq.

Vltima autem syllaba pro natura metri habetur indifferenter exceptis versibus eis qui tenentur lege synaphiae. Fatendum tamen magis amasse Graecos et Romanos terminare hexametros simul et pentametros longa syllaba, ita ut vigor conciliaretur numeris, aut certe brevi ea quae in consonam excurreret. Ceterum pentametri optima species habetur haec:

– ⏑ ⏑ – – – – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ ⏓

vix Priamus tanti totaque Troia fuit.

De caesuris in metro latino diximus l. III pgg. 177—205.

Incisio in hexametro longe frequentissima penthemimeres sive semiquinaria

– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – | ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑

Vesper adest iuvenes ; | consurgite. Vesper Olympo.

Hanc quo quis magis elegantia carmina conposuit et tenella, eo saepius adhibuere. Praeterea eadem tantum non semper invenitur, ubi quintus pes

optinetur spondeo. Alterum locum dignitate occupavit hephthemimeres sive semiseptenaria.

— ◡ ◡ — ◡ ◡ — ◡ ◡ — | ◡ ◡ — ◡ ◡ — ◡

infandum regina iubes | renovare dolorem.

Eius autem sunt complures species, elegantia et usu diversae illae. Quippe satis amoena ducitur, cum aut quintus semipes etiam verbo finitur (nempe post septimum finita sententia), aut post tertium saltem inciditur oratio; quo facto auxiliaris oritur caesura cui nomen trithemimeris sive semiternariae

oscula li*bavit* natae; | dehinc talia fatur.
despiciens | mare velivolum | terrasque iacentes.

Sed longe usitatissimus solet esse is modulus hephthemimeris, cum addita trithemimeri etiam post tertium trochaeum vox finitur:

infandum | re*gina* iubes | renovare dolorem.

Trithemimeris si absit, ubi tamen tertio trochaeo cluditur verbum, diligenter cavendum, ut pes secundus cum trochaeo tertii uno constat vocabulo ut puta

labitur *exanimisque* tremens | procumbit humi bos.

At longe deterrimus versus, tali occasione si etiam alter trochaeus plena orationis parte contineatur, ut

una Eu*rusque* No*tusque* ruunt | creberque procellis.

Paullo minus durum metrum, excluso sede altera et tertia trochaeo ubi item exsulat trithemimeris:

haec dum Dardanio Aeneae | miranda videntur.

Itaque semiseptenariae species evenere sex quas sub unum iam dabo conspectum, eo quidem ordine, ut quae elegantiores ponantur priores

infandum | re*gina* iubes | renovare dolorem.
oscula li*bavit* natae. | dehinc talia fatur.
despiciens | mare velivolum | terrasque iacentes.
labitur *exanimisque* tremens | procumbit humi bos.
haec dum Dardanio Aeneae, miranda videntur.
una Eu*rusque* No*tusque* ruunt | creberque procellis.

Praestantissimus quisque Romanorum versificator primo potissimum et secundo vel aliquando tertio hephthemi-

meris sunt usi genere, exclusis aut raro adhibitis reliquis. Ex ceteris quinta apud Catullum non extat, sexta cum robore ac spiritu careat semel tantum reperitur in continuis hexametris, quorum numeri lenius fluunt quam distichorum, et quidem in formula [405]

omnia fanda nefanda malo permixta furore.

Etiam τομὴν κατὰ τρίτον τροχαῖον admittit aliquando Catullus sed raro [64, 21; 115; 141; 206; 291; 66, 41; 68, 39; 116, 7]. Eius exemplum elegantissimum et ex Homerica imitatione ductum habes [c. 64, 205 sq.]

quo motu tellus atque horrida contremuerunt
aequora concussitque | micantia sidera mundus.

Caesura bucolica, post quartum quae fit dactylum, in versu Latino nulla.

Tertio pede hexametri dactylicum vocabulum sive spondiacum adesse fere nefas [cf. d. r. m. 217], secundo dactylicum admisit Catullus quater [64, 141. 67, 25. 97, 3. 5].

De rhythmis numerorum legitimis egimus l. III pgg. 205—229.

Exeuntis hexametri ea norma est, ut constet aut vocabulo in dactylum excurrente cum trochaico aut in trochaeum finiente cum amphibrachico, excepto quod finalis syllaba habetur indifferenter. Licet tamen distrahi pedem ultimum in monosyllaba, nec minus dactylum praecedentem. Potest etiam idem constare monosyllabo verbo cum pyrrichiaco sive in trochaeum cadente cum monosyllabo. Ceterum rarissime evenit apud bonos poetas ut admissa hac licentia tria concurrant monosyllabo.

Itaque legitimae species metri heroici sunt hae

— ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ | — ⏑
— ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ | ⏑ — ⏑
— ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ | — | ⏑
— ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ | — | ⏑ ⏑ | — ⏑
— ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ | ⏑ | — ⏑
— ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ | — | ⏑ | ⏑ | — ⏑

in nova fert animus mutatos dicere | formas
est domus alta. iacent penitus defossa | talenta
cum loquor una mihi peccatur littera; | nam | te
nam neque Parnasi vobis iuga | nam | neque | Pindi
arma virumque cano Troiae qui primus | ab | oris
cederet aut quarta socialiter. | hic | et | in | Atti.

Catullus tamen nondum firmata arte haud ita raro, quamquam plerumque adhibitis nominibus propriis vel Graecis sive alia parata venia has leges violat. Nam et monosyllabum praecedente plusquam monosyllabo admittit ultimo metro et tetrasyllabum sive pentasyllabum, nec non disyllabum in quinta thesi praemisso plusquam monosyllabo. Reliqua videnda libri nostri pgg. 210 sq.

Spondiazontes optime cluduntur verbo tetrasyllabo; trisyllabo finitos habes 64, 44. 74. 96. 252. 291. 297. 65, 23. 66, 57.

In pentametro semper adhibendam caesuram semiquinariam constat inter omnes, a qua regula neque Catullus nec vero posteriorum quisquam deflexit. Dactylica sive spondiaca verba secunda parte metri posita habes 76, 26; 91, 6; 92, 2; 93, 2. Saepe cluditur versus vocabulo plusquam disyllabo; semel etiam monosyllabo praecedente plusquam monosyllabo sed iure enclisis excusata licentia [76, 7, 8]:

nam quaecumque homines bene cuiquam aut dicere possunt
aut facere, haec a te dictaque *factaque sunt.*

Ceterum disticha cum ante Catulli aetatem non ita multum adhibita essent poetis latinis, Augusti demum tempore legitimum nacta sunt nitorem.

Ordines metricos, qui caesura finiuntur sive exitu versus, et logicos, qui ferme interpunctione indicantur, quatenus dissentire interse vel concordare voluerint scriptores Latini, l. III d. r. m. pgg. 229—240 demonstravimus.

Itaque, ut pauca hic excerpam, interest elegantiae, ne aut post primam sive arsin seu thesin aut ante ultimam

interstitium sententiae incidat. Similes circa caesuram existunt observantiae. Fatendum tamen Catullum nondum adulta arte quaedam aliter instituisse quam insequentes. Ita notandum illud [112, 1]

multus homo's Naso, neque tecum multus homost, qui descendit.

Quid quod hendecasyllabum probavit talem [24, 7]

qui? non est homo bellus? inquies *est*.

Idem quod caesuram hexametri (non finem) saepe in monosyllabis coniunctionibus sive praepositionibus instituit addita plerumque elisione, plurimorum poetarum defenditur exemplo. Porro memoria dignum eundem disticha nulla interpunctione conclusa nec parata venia de qua diximus in libro nostro pg. 231. 32 aliquando admittere ut 68, 28; 64; 70; 74; 82; 106; 126.

III. Trimetri puri [c. 4. 29]

⏑ – ⏑ ⏑́ ⏑ | ⏑́ ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑́
⏑ ⏑́ ⏑ ⏑́ ⏑ | ⏑́ ⏑ | ⏑́ ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑́
⏑ – ⏑ – | ⏑ – ⏑ | – ⏑ – ⏑ ⏑́

phaselus ille, quem videtis, hospites
nequisse praeter ire, sive palmulis
opus foret volare sive linteo.

Ab hoc versu non minus alienus spondeus sive anapaestus quam tribrachys. Ceterum vix credibile quam saepe illud metrum, quo ne fingi quidem potest facilius, everterint coniectando homines vel doctissimi.

IIII. trimetri Archilochii [c. 52]

⏓ ⏑́ ⏑ ⏑́ ⏓ | ⏑́ ⏑ ⏑́ (–) ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑́

per consulatum peierat Vatinius.

V. trimetri Hipponactei [c. 8. 22. 31. 37. 39. 44. 59. 60]

⏓ (⏑́⏑) ⏑ (⏑́⏑) ⏓ | (⏑́⏑) ⏑ (⏑́⏑) ⏑ ⏑́ – ⏑́
⏓ (⏑́⏑) ⏑ (⏑́⏑) ⏓ | (⏑́⏑) ⏑ | (⏑́⏑) ⏑ ⏑́ – ⏑́
⏓ (⏑́⏑) ⏑ (⏑́⏑) | ⏓ (⏑́⏑) ⏑ | (⏑́⏑) ⏑ ⏑́ – ⏑́

miser Catulle desinas ineptire
hoc quid putemus esse? qui modo scurra
et quod vides perisse, perditum ducas.

Hoc metrum ab aetate inde cantorum Euphorionis (nam hi primi novarunt) valde fuit populare Romanis, donec saeculo p. Chr. n. II in desuetudinem abire coepit.

Solutae arsis exempla tria [22, 19. 37, 5. 59, 3], nec nisi in vocabulis plus quam disyllabis, ut excerpantur quidem ea quae dactylo clauduntur omnino, quae tribracho hactenus, quod in horum ultimas duas syllabas licentiam illam cadere nefas.

Caesura et in hipponacteo trimetro et in archilochio longe saepius penthemimeres; hephthemimeres non incidit nisi finita seu post tertiam thesin (hoc est post quartam si interpungatur) seu post arsin alteram voce.

Semel tmesis instituenda [29, 22]

nisi uncta de| vorare | patrimonia.

Videnda quae nuper diximus m. Rh. XXIIII pg. 314 sqq.

Tertium pedem spondiaca voce constare nefas; monosyllabum in fine trimetrorum positum non habes nisi illud *est* et legitima sub venia [29, 16. 44, 2].

VI. septenarii iambici [c. 25]

⏓ –́ ⏑ –́ ⏑(–) –́ ⏑ –́ | ⏓ –́ ⏑ –́ ⏑ –́ ⏓

cinaede Thalle mollior cuniculi capillo.

VII. versus phalaecii [c. 1—3. 5—7. 9. 10. 12—16. 18. 23. 24. 26—28. 32. 33. 35. 36. 38. 40—43. 45—50. 53—58].

–́ ⏓ –́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ –́ ⏑ –́ ⏓
⏑ –́ –́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ –́ ⏑ –́ ⏓

arida modo pumice expolitum
cui dono lepidum novom libellum
meas esse aliquid putare nugas.

Hoc metrum a Laevio et Varrone novatum adeo placuit poetis Latinis ut citius Romani imperii quam ipsius honos periret. Quam fuerit populare vel ea re apparet, quod plerumque simplici hendecasyllaborum nomine memoratur.

In basi trochaeus et spondeus cum iambo habentur promiscue.

Praeterea in carmine 55 mira licentia, cuius tamen causam retulimus libri nostri pg. 166 (eam primus intel-

lexit Lachmannus), pro dactylo saepius posuit Catullus spondeum ad hunc modum:

ora*mus*, *si* forte non molestumst.

Id ubi accidit, basis semper habetur et ipsa spondiaca. Ceterum apte multiplicatos spondeos adhibuit Catullus opusculo quod dixi ad describendos labores molestiasque quibus conflictatus fuerit in conquirendo Camerio.

Caesura huic versui ut breviculo certa adest nulla. Aliquando in fine monosyllabum positum est praecedente plus quam monosyllabo [5, 5. 7. 7. 13, 1. 24, 7. 55, 13].

VIII. glyconei [c. 34. 61]

⏒ ⏒ ⏒ ⏑ ⏑ ⏒ ⏑ ⏒

(⏑ ⏒ ⏒ ⏑ ⏑ ⏒ ⏑ ⏒)

VIIII. pherecratei [c. 34. 61]

⏒ ⏒ ⏒ ⏑ ⏑ ⏒ ⏒

(⏑ ⏒ ⏒ ⏑ ⏑ ⏒ ⏑)

Iambum in basi glyconei habes 34, 2; in pherecratei ib. 4, qui versus propria excusatione tuti; spondeus in eodem loco metri huius reperitur 61, 201. 231.

Semel spondeus pro dactylo positus ita [61, 25]

nutriunt umore.

Vide quae diximus d. r. m. pg. 166.

Glyconeis et pherecrateis non nisi per systemata synaphia iuncta usus Catullus. E quibus id quod habetur in c. 34 quaternis decurrit versibus, at duplex est in 61 trinorum et binorum, ut post tertium quemque versum admitti possit syllaba anceps vel hiatus. Itaque species extant tales in priore opusculo:

— ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ —
— ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ —
— ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ —
— ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏒

in posteriore

a

— ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ —
— ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ —
— ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏓

b

— ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ —

— ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑̄

Haec utrum Sapphus an Anacreontis imitatione probarit Valerius, non satis liquet.

Synaphia ubicumque optinet, post ultimam partem metri elisio admittitur sine offensione ut puta

saltuumque recondito*rum*
amniumque sonantum.
sola cognita sed mari*to*
ista non eadem licent.

Semel etiam nomen proprium, alias metro ineptum, in duos versus divisum:

flere desine; non tibi A-
runculeia periculumst.

Bis terve monosyllabum in fini versus collocatum. In carminis 61 prioris systematis cuiusdam fine utrum posuerit illud 'et' addita etiam elisione Catullus necne, plerumque dubito. Habent ibi quidem libri Germanensis et Datanus vv. 229—31 ita scriptos

coniuges bone vite (sive vitei) et
munere assidue valentem
exercete iuventam.

Sed omittunt illud 'et' Laurentianus et Colbertinus, ut non alienum sit a probabilitate scripsisse Catullum

coniuges bene vivite
munere assiduo et valentem
exercete iuventam.

X. Glyconio metro si iunxeris Pherecratium, oritur versus mollis ac delicatus aptusque deo cuius honori dicatus est, Priapeus [c. 17. frgm. 2. 3]. Eius species est talis:

⏗ ⏑̄ ⏗ ⏑ ⏑ ⏗ ⏑ ⏗ | ⏗ ⏑̄ ⏗ ⏑ ⏑ ⏗ ⏑̄

O Colonia, quae cupis ponte ludere longo.

Iambum tamen initio partis secundae positum habes in fragm. 3. Septima semper longa sit oportet syllaba et finita utique parte orationis. Nec hiatus in ea habet locum, quod falso statuit Lachmannus ad Ter. Maur. 2756.

Elisio tamen quin post eam incidat, nihil obstat nisi arcana lex pulchri [17, 4]:

ne supinus eat cava*que* in palude recumbat.

Atque ita ter [11. 24. 26].

XI. versus asclepiadei maiores [c. 30]

– – – ⏑ ⏑ – | – ⏑ ⏑ – | – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑́

Id metrum binorum versuum systematis Sapphonem aemulatus dispescuit Catullus. Videnda quae nuper diximus in praef. Hor. pg. 65, 66.

Numeri duriusculi et omissa aliquando caesura post primam partem nec minus post alteram.

XII. systema sapphicum [c. 11. 51]

– ⏑ – (⏑)– – ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏓
– ⏑ – (⏑)– – ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏓
– ⏑ – (⏑)– – ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏓
– ⏑ ⏑ – ⏓

Constat versu sapphico hendecasyllabo et adonio. In illo trochaeum habes secunda sede 11, 6. 15. 51, 13. Caesura incidit seu post sextam syllabam

ille mi par esse | deo videtur

sive post quintam

ille si fas est | superare divos.

Eadem neglecta 11, 6. 7. 11. Rhythmi vel in hoc metro est ubi displiceant. Elisionem synaphiae iure institutam post ultimam versus hendecasyllabi partem habes 11, 19. 22. In eodem opusculo semel pari condicione diducta vox

Gallicum Rhenum horribile aequor ulti —
mosque Britannos.

XIII. galliambi [c. 63].

Hi a gallis sacerdotibus Cybelae traxere nomen eiusque fuerunt laudibus dedicati. Sunt autem de genere ionicorum a minori. Vnde principalis eorum species fuit haec (nam ultimus pes catalecticus)

⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑́

Sed ea numquam usus Catullus. Admissa quippe anaclasi probavit talem

⏔ ⏗́ ⏑ ⏗́ ⏑ ⏗́ ⏗́ | ⏔ ⏗́ ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ ⏓́,

super alta vectus Attis celeri rate maria

resoluta fere ut vides arsi paenultima.

Praeterea in priore parte distraxit aliquando et primam arsin et secundam; numquam tertiam cum quarta. Semel etiam, non saepius, duos habes trochaeos solutos, modo mendum absit, ita [63]

ego múlier égo adulescens ego ephebus ego puer.

Id etsi gravi concitatione animorum et multiplicato illo *ego* (nam recurrit septies) potest videri excusatum, videnda tamen quae supra notavimus ad h. l.

Ceterum cum trochaei huius metri sive iambi non sint veri sed vicarii loco ionicorum, soluta arsis nusquam fit obnoxia eis legibus quas supra in scazontibus observavimus. In posteriore hemistichio sine fraudis suspitione habes aliquotiens iambum loco paenultimo ut puta

iamiam dolet quod egi iamiam*que pae*nitet.

Priori tamen arsi diduci non licet, ob id ipsum quod altera, ut mollius nempe et magis enervatum sonent numeri, legitime resolvitur. Quare alienum a Catulli arte metrum velut tale:

roseis ut huic labellis soni*tus ab*iit celer.

Videnda quae supra in praefatione ad hoc carmen monuimus.

Caesura numquam neglecta; et omnino summa cum arte carmen totum, maius quidem laude nostra illud, excultum, licet bis terve in fine ordinis metrici posita inveniatur vox monosyllaba praecedente plusquam monosyllaba.

D e s y n i z e s i h o c est d e c o n c u r s u v o c a l i u m i n m e d i i s v e r b i s f a c t o e t d e d i h a e r e s i d i x i m u s l i b r i n o s t r i pgg. 242—276.

In primis notandum non solere fere sermone latino copulari condicione ista vocales *a* vel *o* cum qualibet vo-

cali insequente, nec omnino *e* cum *e*, et porro vix magis, liberae certe reipublicae temporibus, *i* cum *i*, *u* cum *u* iungi, sive consona sit alterutra seu vocalis. Etiam illud displicuit quadamtenus iugari *u* cum *i*.

Synizesis exempla quae notari mereantur apud Catullum sunt haec.

Habes 40, 1 illud 'Ravide' disyllabum; cf. d. r. m. 271; dativum 'ei' monosyllabum 82, 3; nec recte Lachmannus in 38, 2 eandem voculam de coniectura illatam iambi instar esse voluit; v. libri nostri pg. 272. Porro coactis syllabis reperitur 64, 120 *praeoptarit*.

I in consonam duratam habes semel 55, 10, metro phalaecio [d. r. m. 257]

Camerjum mihi pessimae puellae.

Graecanica synizesis Catulli primum tempore novata observatur in his quae sunt Idomeneos [64, 178] Peleo [336]; minus huc pertinent quippe vulgi pridem usu coacta ante Catullum Thesei [64, 120] Erechthei [ib. 229] Pelei [ib. 382].

At dihaeresis evenit in illis quae sunt 'soluit' [2, 13] 'soluunt' [61, 53] 'dissoluo' [66, 38] 'evoluam' [66, 74] 'pervoluent' [95, 5]; atque ita ex more meliorum poetarum trisyllabum leguitur 'Gaius' [10, 30]. Cf. d. r. m. 260.

De elisione et hiatu monuimus pg. 276—312.

Vocabulum si exeat in vocalem sive in litteram m incipiente proximo a vocali vel spiritu, iam hiante et quasi laborante oratione accidit, ut finalis prioris verbi vim in metro non retineat. Eam vulgo vocitant elisionem. Quae quidem facillime evenit in brevi, minus commode m littera terminante: durior multo quae in longa vocali et maxime in diphthongo *ae* admittitur. Porro notandum facilius cum insequente vocali coire *e* vel *i* quam *a o u* finales.

Praeterea polysyllaba promptius eliduntur quam monosyllaba, spondiaca vel anapaestica saepius quam cretica sive iambica, trochaica vel tribrachica citius quam dactylica vel pyrrichiaca. Est et in Graecis finalibus vel in eis

f*

quas praecedit vocalis quaecumque sive i consona quaedam elisionum cautio, de qua re diximus pg. 278. 279.

Deinde melius coeunt vocales longa posteriore quam brevi, et quidem hoc aptius, si ea quae initio verbi est posita accentu aut nullo sit instructa aut gravi (qui evenit in monosyllabis pronominibus, adverbiis, coniunctionibus, praepositionibus) quam si aut acuto sit praedita aut circumflexo.

Nec non refert permultum, qua in parte versus accidat elisio; quae ut durissima vitatur plerumque et in prima metri syllaba et in ultima. Minus severa fit observantia circa caesuras.

Haec postquam in universum monuimus, iam potissima summatim attingere satis erit, reliqua cum facile ipsi possint supplere lectores.

Itaque Catullus, ut nondum adulta arte, habet elisiones nec paucas (nam quinque in uno c. 73 v. 6 reperiuntur) et ex parte sat duras. Nam et aliquando cretica (extra hexametros tamen) et saepius spondiaca elidit in brevi exemplis circiter XXXX, nec minus iambica in gravi. Nam in acuta vel circumflexa seu brevi non magis quam reliqui e poetis dactylicis sustinuit elidere eadem: quippe et pyrrichiaca in m quae exeunt plerique eadem condicione elidere sunt veriti exceptis particulis ut puta 'enim' 'quidem' similibus.

Quare quod legitur 12, 2 'non belle uteris in *ioco adque* vino', 101, 10 'atque in perpetuum frater *ave adque* vale', diducendum per tmesin fuit illud 'adque'. Nota praeterea idem vocabulum sicut *ipse iste ille* omissa ob sequentem vocalem e habere accentum gravem.

Monosyllaba in brevi non elidit Catullus nisi ea quae legitima flexione carent, qualia sunt *tu te se*. De qua re videnda quae diximus libri nostri pgg. 283, 84.

Elisione duos versus iugari non licet nisi eos qui aut debent aut possunt necti per synaphian, puta glyconeos et sapphicos, quos dum enarramus, exempla huius usus attulimus. Praeterea in hexametris ex perversa Homerici *exempli imitatione* [d. r. m. 294] evenit aliquando ut et

Alexandrini poetae et secuti eos Latini elisionem admitterent post sextam thesin. Id apud Catullum in continuis hexametris factum 64, 298, 9 'sancta cum coniuge natis*que* advenit' et in distichis 115, 5, 6 'saltusque paludes*que* usque ad Hyperboreos'; admissa synaloephe ista ut plerumque in enclitica *que*.

Sed in ultima metri syllaba non probavit Catullus elisionem (de qua re iam a. 1856 quid statuendum esset monuimus) excepto ubi potest esse synaphiae locus ut in illo

flere desine non tibi A-
runculeia periculumst.

Et in prima sede numeri eandem adhiberi durum, quam tamen ille in XIIII versibus et quidem diversis metris sprevit normam.

Quantum ad cetera, in continuis hexametris a quinta inde thesi veritus est elidere longas. Idem tamen admisit synaloepham et ante caesuram versuum elegiaci et galliambici et post eandem ut puta

quam modo qui me u*num* at*que* unicum amicum habuit
ego nunc Rheae mini*stra* et Cybeles famula ferar.
piger hic labante lango*re* oculos sopor operit.

Reliquas autem, ne nimii simus, elisionis observantias addi hic loci non placet.

Hiatum in arsin admittit Catullus longa finali et quidem in caesura legitima hexametri 66, 11. 107, 1. Idem an in pentametri incisione similem adhibuerit licentiam non satis constat. Cf. d. r. m. 310. 332. Sane quae feruntur exempla 66, 48; 67, 44; 68, 158; 97, 2 facili potuere opera removeri.

In thesi ter probavit hiatum solito modo ac permisso hoc est aut in monosyllabis sequente brevi aut addita longa in creticis, 55, 4; 97, 1; 57, 7.

Praeterea notandum ex interiectionibus illas *a*, *o*, *io* manere integras ante vocalem, in arsi si sint positae, *o* etiam, si in thesi. Similiter longa utique priore habentur *a a*, *heu heu*.

De positionis quae dicitur et in mediis vocabulis et in ultimis legibus egimus l. n. pgg. 313—321.

Nec vero severitatem normae sprevit Catullus nisi semel Homerico exemplo in vocabulo alias inepto numeris dactylicis et sede quinta hexametri [64, 357]

testis erit magnis virtutibus un*da Scamandri.*

Male libri alio loco [ib. 298]

inde pater divom sancta cum con*iuge gnatisque.*

Idem tamen frequentius quam probatum bonis poetis produxit breves finales insequentibus binis consonis ad hunc modum:

et inde tot per *inpotentia freta*
nulla fugae ratio, *nulla spes*, omnia muta.

Eius licentiae prostant exempla 4, 9; 18; 17, 24; 22, 12; 29, 4; 44, 18; 63, 53; 64, 186; 67, 32.

De productione finalis ea quae arsis vi efficitur disseruimus pgg. 321—333.

Itaque plerique poetae eam non admittunt nisi aut in caesura legitima aut sequente vocabulo proprio vel Graeco, nec nisi cum consona cluditur verbum. Nam vocalem brevem in fine positam condicione illa produci non magis usitatum quam eandem manere integram per hiatum. Ceterum Catullus ter non saepius venia illa usus in hexametro exeunte ita [62, 4. 64, 20. 66, 11] 'iam dice*tur hymenaeus*', 'non despe*xit hymenaeos*', 'novo auc*tus hymenaeo.*'

Reliquorum Euphorionis cantorum, quorum subiunximus reliquias, rationes metricae cum sint tam similes Catullianis, non ut lac magis lacti, praeter ea quae subinde in commentariis adnotavimus, verbum addi non oportet.

DE METRIS PRIAPEORVM.

Priapeorum metra etsi non alia reperiuntur, quam quae in poematis Catullianis, proprio tamen opusculo tractari placuit, quo melius pleniusque ars eorum ac nitor, quibus plurimum superant cantores Euphorionis, ab omnibus perspicerentur. Ceterum quod fuere pauca numero, congruum id fuit rationibus poetarum Augusto aequalium, cuius aetate lusus illi provenere. Habes autem haec ac talia:

I. Disticha.

⏖ ⏔̄ ⏖ ⏔̄ ⏖ ⏔̄ ⏖ ⏔̄ ⏖ ⏑ ⏑ ⏖ ⏓
⏖ ⏔̄ ⏖ ⏔̄ ⏖ ⏖ ⏑ ⏑ ⏖ ⏑ ⏑ ⏒́

Caesurae hexametri sunt aut penthemimeres aut hephthemimeres et quidem tales:

– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – | ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑
– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – | ⏑ ⏑ – | ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑
– ⏑ ⏑ – | ⏑ ⏑ – ⏑ | ⏑ – | ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑

carminis incompti | lusus lecture procaces
vilicus ae*rari* quondam, | nunc cultor agelli
falce minax | et *parte* tui | maiore, Priape.

Ceterum longe praevalet penthemimeres [d. r. m. 197]. — Porro nusquam pes secundus vocabulo continetur dactylico, nec in fine versus usquam turbatum, unde nullas exeuntis metri habes species nisi has, quas legitime admitti memoravi supra, dum Catulli artem enarro:

nec Mavors illum per quem valet *occulit ensem*
cur obscaena mihi pars sit sine *veste requiris*
cum loquor, una mihi peccatur littera: *nam te.*
obscure poteram tibi dicere: *da mihi*, quod tu
quae si perdidero, patria mul*tabor et* olim.

Pentametri optimus finis is est, ut cludatur vocabulo iambico, praecedente eo quod exeat in trochaeum vel binis monosyllabis:

nec quae de patrio vertice *nata deast.*
ad fontem propero; dic mihi, *qua sit iter.*

Aliquando, sed perraro, sermone trisyllabo tetrasyllabo pentasyllabo finitur versus:

hunc tu — sed taceo scis puto quod *sequitur*
esses antiquo ditior *Alcinoo*
conveniens Latio pone *supercilium.*

II. Iambi.

a) iambi puri [c. 82. 84]

⏑ –́ ⏑ – ⏑ | –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ ⏓
⏑ –́ ⏑ – ⏑ | –́ ⏑ | – ⏑ –́ ⏑ ⏓
⏑ –́ ⏑ – | ⏑ –́ ⏑ | – ⏑ –́ ⏑ ⏓

Hic versus spondeum non magis aut anapaestum quam solutam arsin recipit. Praeterea semper habes in fine vocabulum plus quam monosyllabum.

Caesura plerumque penthemimeres; hephthemimeres ubi optinet, cavetur ut aut post arsin alteram aut post tertiam thesin verbum finiatur. Vnde tmesis instituenda bis [82, 18. 25]

lutosus adfricabit oblitum latus.
fovebit adprimetve lucidum femur.

Semel sine vitii suspitione neglecta regula duplicatis polysyllabis [ib. 35]

triplexque quadruplexque conpleas specum,

non ut opus videatur traiectione verborum tali *s. t. q. c.*

b) iambi hipponactei [c. 31. 36. 47. 51. 58. 63. 78. 79]

⏓ (⏑́⏑) ⏑ (⏑⏑) ⏓ | (⏑́⏑) ⏑ (⏑⏑) ⏑ –́ – ⏓́

Hi anapaestum numquam, bis terve praeter quintum pedem vel sextum solutam arsin recipiunt ea lege quam severissimi auctores artis instituerunt, plane sicut apud Catullum. Nota quod ultima syllaba metri reperitur saepius producta quam correpta. Minime omnium placet hipponacteus brevi vocali finitus. Eadem et apud alios poetas observantia.

Caesura ubique penthemimeres.

Finis numeri semper constat vocabulo plusquam monosyllabo praeter 36, 11:

deus Priapo mentulatior *non est*,

ubi binis monosyllabis, sed altero enclitico finitur metrum. Cf. d. r. m. pg. 227.

III. Versus phalaecii.

´ – ´ ⏑ ⏑ ´ ⏑ ´ ⏑ ´ ⏓

In basi semper habetur spondeus, excepto quod semel sine vitii suspitione iambus occurrit [4, 2]

dicans ex Elephantidos libellis.

Videnda quae diximus d. r. m. 162. 163.

Vltimam thesin monosyllabo constare si praecedat plusquam monosyllabum nefas.

V. Versus priapeus.

´ ⏓ ´ ⏑ ⏑ ´ ⏑ ´ | ´ ⏑ ´ ⏑ ⏑ ´ ⏓

Videnda quae disputavimus de eodem supra in libello quo Catulli metra descripsimus.

Synizesis exemplum quod notetur dignum non memini nisi illud [2, 10]

templi *parietibus* tui notavi;

cf. d. r. m. 257.

Porro monendum plurima illos qui Priapea composuere cura usos esse circa elisiones, quas et paucas fere adhibuerunt nec inelegantes.

Vnde semel habes imminutum vocabulum iambicum [83, 1]

vere rosa, autumno pomis, aestate frequentor.

Id sumptum ab exemplo Catulliano, sicut iambus in basi hendecasyllabi. Vnde plerumque permoveor ut inprobandum ducam quod Lachmannus proposuit ut scriberetur 'vere rosa, pomis autumno'. Cet. cf. d. r. m. 285. — Semel etiam verbum cretico quod finiretur eliditur in brevi [85, 7]

alter adsidua cavens dili*gentia*, ut herba.

Non magis quam cretica commissa cum vocali brevi dactylica ea quae m littera terminarentur.

Ne spondiaca quidem elisa condicione eadem nisi semel bisve et semper extra disticha. Ita habes, sua quidem venia tutum, illud [52, 4]

alternis ine*undo* et exeundo.

Alia autem quaedam exempla eiusdem inelegantiae quae ferebantur 51, 23; 84, 9 iam vides remota. Nec probatur longas elidi in acuta: tamen habes in carmine Priapeo, in quo modo illud offendimus 'diligentia, ut herba' metrum tale: 'praestare et domi*ni hor*tulum vineamque tueri'.

Praeterea vix est quod addam caveri cum cura ne aut initio metri aut fine aut medio pentametro adhibeatur elisio. Eam tamen habes opusculo modo memorato circa exitum hemistichii prioris [85, 13. 21]

pallentesque cucurbi*tae et* suave olentia mala.
inde sumite. semi*ta haec* deinde vos feret ipsa.

Ceterum similes plerasque modo propositis observantias in eisdem opusculis quae optinent ipsi facile agnoscent lectores.

Hiatus licentia nulla. Vocalem brevem in fini sermonis positam incohata proxima voce a binis vel pluribus consonis non sustinuere producere auctores Priapeorum nec magis corripere, praeterquam ubi sequeretur muta cum liquida extra gn.

Productio brevis caesurae vi effecta nulla.

Q. VALERII CATVLLI

LIBER.

I.

Quoi dono lepidum novom libellum
Arida modo pumice expolitum?
Corneli, tibi: namque tu solebas
Meas esse aliquid putare nugas,
Iam tum cum ausus es unus Italorum
Omne aevum tribus explicare chartis
Doctis, Iuppiter, et laboriosis.
Quare habe tibi quidquid hoc libelli,
Qualecumque, quod o patrona virgo,
Plus uno maneat perenne saeclo.

II.

Passer, deliciae meae puellae,
Quicum ludere, quem in sinu tenere,
Quoi primum digitum dare adpetenti
Et acris solet incitare morsus,
Cum desiderio meo nitenti
Carum nescioquid libet iocari
Vt solaciolum sui doloris,
Credo ut iam gravis acquiescat ardor:
Tecum ludere sicut ipsa possem
Et tristis animi levare curas!

* * *

Tam gratumst mihi quam ferunt puellae
Pernici aureolum fuisse malum,
Quod zonam soluit diu ligatam.

III.

Lugete, o Veneres Cupidinesque,
Et quantumst hominum venustiorum.
Passer mortuus est meae puellae,
Passer, deliciae meae puellae,
Quem plus illa oculis suis amabat:
Nam mellitus erat suamque norat
Ipsa tam bene quam puella matrem
Nec sese a gremio illius movebat,
Sed circumsiliens modo huc modo illuc
Ad solam dominam usque pipiabat.
Qui nunc it per iter tenebricosum
Illuc, unde negant redire quemquam.
At vobis male sit, malae tenebrae
Orci, quae omnia bella devoratis:
Tam bellum mihi passerem abstulistis.
O factum male! io miselle passer!
Tua nunc opera meae puellae
Flendo turgiduli rubent ocelli.

IIII.

Phaselus ille, quem videtis, hospites,
Ait fuisse navium celerrimus,
Neque ullius natantis impetum trabis
Nequisse praeter ire, sive palmulis
Opus foret volare sive linteo.
Et hoc negat minacis Adriatici
Negare litus insulasve Cycladas
Rhodumque nobilem horridamque Thraciam
Propontida trucemve Ponticum sinum,
Vbi iste post phaselus antea fuit

omata silva: nam Cytorio in iugo
.oquente saepe sibilum edidit coma.
ımastri Pontica et Cytore buxifer,
Tibi haec fuisse et esse cognitissima
Ait phaselus: ultima ex origine
Tuo stetisse dicit in cacumine,
Tuo imbuisse palmulas in aequore,
Et inde tot per inpotentia freta
Erum tulisse, laeva sive dextera
Vocaret aura, sive utrumque Iuppiter
Simul secundus incidisset in pedem;
Neque ulla vota litoralibus deis
Sibi esse facta, cum veniret a marei
Novissime hunc ad usque limpidum lacum.
Sed haec prius fuere: nunc recondita
Senet quiete seque dedicat tibi,
Gemelle Castor et gemelle Castoris.

V.

Vivamus, mea Lesbia, atque amemus,
Rumoresque senum severiorum
Omnes unius aestimemus assis.
Soles occidere et redire possunt:
Nobis cum semel occidit brevis lux,
Nox est perpetua una dormienda.
Da mi basia mille, deinde centum,
Dein mille altera, dein secunda centum,
Deinde usque altera mille, deinde centum.
Dein, cum milia multa fecerimus,
Conturbabimus illa, ne sciamus,
Aut nequis malus invidere possit,
Cum tantum sciet esse basiorum.

VI.

Flavi, delicias tuas Catullo,
Nei sint inlepidae atque inelegantes,

Velles dicere, nec tacere posses.
Verum nescioquid febriculosi
Scorti diligis: hoc pudet fateri.
Nam te non viduas iacere noctes
Nequiquam tacitum cubile clamat
Sertis ac Syrio fragrans olivo,
Pulvinusque peraeque et hic et ille
Attritus, tremulique quassa lecti
Argutatio inambulatioque.
Nam nil stupra valet, nihil, tacere.
Cur? non tam latera ecfututa pandas,
Nei tu quid facias ineptiarum.
Quare quidquid habes boni malique,
Dic nobis. volo te ac tuos amores
Ad caelum lepido vocare versu.

VII.

Quaeris, quot mihi basiationes
Tuae, Lesbia, sint satis superque.
Quam magnus numerus Libyssae arenae
Lasarpiciferis iacet Cyrenis,
Oraclum Iovis inter aestuosi
Et Batti veteris sacrum sepulcrum,
Aut quam sidera multa, cum tacet nox,
Furtivos hominum vident amores,
Tam te basia multa basiare
Vesano satis et super Catullost,
Quae nec pernumerare curiosi
Possint nec mala fascinare lingua.

VIII.

Miser Catulle, desinas ineptire,
Et quod vides perisse perditum ducas.
Fulsere quondam candidi tibi soles,
Cum ventitabas quo puella ducebat
Amata nobis quantum amabitur nulla.

Ibi illa multa tum iocosa fiebant,
Quae tu volebas nec puella nolebat.
Fulsere vere candidi tibi soles.
Nunc iam illa non vult: tu quoque, inpotens, noli
Nec quae fugit sectare, nec miser vive,
Sed obstinata mente perfer, obdura.
Vale, puella. iam Catullus obdurat,
Nec te requiret nec rogabit invitam:
At tu dolebis, cum rogaberis nulla.
Scelesta, vae te! quae tibi manet vita!
Quis nunc te adibit? cui videberis bella?
Quem nunc amabis? cuius esse diceris?
Quem basiabis? cui labella mordebis?
At tu, Catulle, destinatus obdura.

VIIII.

Verani, omnibus e meis amicis
Antistans mihi milibus trecentis,
Venistine domum ad tuos Penates
Fratresque unanimos anumque matrem?
Venisti. o mihi nuntii beati!
Visam te incolumem audiamque Hiberum
Narrantem loca, facta, nationes,
Vt mos est tuus, adplicansque collum
Iocundum os oculosque suaviabor.
O quantumst hominum beatiorum,
Quid me laetius est beatiusve?

X.

Varus me meus ad suos amores
Visum duxerat e foro otiosum,
Scortillum, ut mihi tum repente visumst,
Non sane inlepidum neque invenustum.
Huc ut venimus, incidere nobis
Sermones varii, in quibus, quid esset
Iam Bithynia, quo modo se haberet,

Ecquonam mihi profuisset aere.
Respondi id quod erat, nihil neque ipsis
Nec praetoribus esse nec cohorti,
Cur quisquam caput unctius referret,
Praesertim quibus esset inrumator
Praetor, non faciens pili cohortem.
'At certe tamen, inquiunt, quod illic
Natum dicitur esse, conparasti
Ad lecticam homines.' ego, ut puellae
Vnum me facerem beatiorem,
'Non' inquam 'mihi tam fuit maligne,
Vt, provincia quod mala incidisset,
Non possem octo homines parare rectos.'
At mi nullus erat nec hic neque illic,
Fractum qui veteris pedem grabati
In collo sibi collocare posset.
Hic illa, ut decuit cinaediorem,
'Quaeso' inquit 'mihi, mi Catulle, paulum
Istos. commode enim volo ad Sarapim
Deferri.' 'minime' inquii puellae;

* * *

'Istud quod modo dixeram me habere,
Fugit me ratio: meus sodalis
Cinnast Gaius, is sibi paravit.
Verum, utrum illius an mei, quid ad me?
Vtor tam bene quam mihi pararim.
Sed tu insulsa male ac molesta vivis,
Per quam non licet esse negligentem.'

XI.

Furi et Aureli, comites Catulli,
Sive in extremos penetrabit Indos,
Litus ut longe resonante Eoa
Tunditur unda,
Sive in Hyrcanos Arabesve molles,
Seu Sacas sagittiferosve Parthos,

Sive qua septemgeminus colorat
Aequora Nilus,
Sive trans altas gradietur Alpes,
Caesaris visens monimenta magni,
Gallicum Rhenum, horribile aequor ulti-
mosque Britannos,
Omnia haec, quaecumque feret voluntas
Caelitum, temptare simul parati,
Pauca nuntiate meae puellae
Non bona dicta.
Cum suis vivat valeatque moechis,
Quos simul conplexa tenet trecentos,
Nullum amans vere, sed identidem omnium
Ilia rumpens:
Nec meum respectet, ut ante, amorem,
Qui illius culpa cecidit velut prati
Vltimi flos, praeter eunte postquam
Tactus aratrost.

XII.

Marrucine Asini, manu sinistra
Non belle uteris in ioco atque vino:
Tollis lintea neglegentiorum.
Hoc salsum esse putas? fugit te, inepte:
Quamvis sordida res et invenustast.
Non credis mihi? crede Polioni
Fratri, qui tua furta vel talento
Mutari velit: est enim leporum
Disertus puer ac facetiarum.
Quare aut hendecasyllabos trecentos
Expecta aut mihi linteum remitte,
Quod me non movet aestimatione,
Verumst mnemosynum mei sodalis.
Nam sudaria Saetaba ex Hibereis
Miserunt mihi muneri Fabullus
Et Veranius: haec amem necessest
Vt Veraniolum meum et Fabullum.

XIII.

Cenabis bene, mi Fabulle, apud me
Paucis, si tibi di favent, diebus,
Si tecum attuleris bonam atque magnam
Cenam, non sine candida puella
Et vino et sale et omnibus cachinnis.
Haec si, inquam, attuleris, venuste noster,
Cenabis bene: nam tui Catulli
Plenus sacculus est aranearum.
Sed contra accipies meros amores
Seu quid suavius elegantiusvest:
Nam unguentum dabo, quod meae puellae
Donarunt Veneres Cupidinesque,
Quod tu cum olfacies, deos rogabis,
Totum ut te faciant, Fabulle, nasum.

XIIII.

Ni te plus oculis meis amarem,
Iocundissime Calve, munere isto
Odissem te odio Vatiniano:
Nam quid feci ego quidve sum locutus,
Cur me tot male perderes poetis?
Isti di mala multa dent clienti,
Qui tantum tibi misit inpiorum.
Quod si, ut suspicor, hoc novum ac repertum
Munus dat tibi Sulla litterator,
Non est mi male, sed bene ac beate,
Quod non dispereunt tui labores.
Di magni, horribilem et sacrum libellum
Quem tu scilicet ad tuum Catullum
Misti, continuo ut die periret,
Saturnalibus, optimo dierum!
Non non hoc tibi, salse, sic abibit:
Nam, si luxerit, ad librariorum
Curram scrinia, Caesios, Aquinos,
Suffenum, omnia colligam venena,
Ac te his suppliciis remunerabor.

Vos hinc interea (valete) abite
Illuc, unde malum pedem attulistis,
Saecli incommoda, pessimi poetae.

XIIII[b].

Siqui forte mearum ineptiarum
Lectores eritis manusque vestras
Non horrebitis admovere nobis,
* * *

XV.

Commendo tibi me ac meos amores,
Aureli. veniam peto pudentem,
Vt, si quicquam animo tuo cupisti,
Quod castum expeteres et integellum,
Conserves puerum mihi pudice,
Non dico a populo: nihil veremur
Istos, qui in platea modo huc modo illuc
In re praetereunt sua occupati:
Verum a te metuo tuoque pene
Infesto pueris bonis malisque.
Quem tu qua lubet, ut iubet, moveto,
Quantum vis, ubi erit foris, paratum:
Hunc unum excipio, ut puto, pudenter.
Quod si te mala mens furorque vecors
In tantam inpulerit, sceleste, culpam,
Vt nostrum insidiis caput lacessas,
A tum te miserum malique fati,
Quem attractis pedibus patente porta
Percurrent raphanique mugilesque.

XVI.

Pedicabo ego vos et inrumabo,
Aureli pathice et cinaede Furi,
Qui me ex versiculis meis putastis,

Quod sunt molliculi, parum pudicum.
Nam castum esse decet pium poetam
Ipsum, versiculos nihil necessest,
Qui tum denique habent salem ac leporem,
Si sunt molliculi ac parum pudici
Et quod pruriat incitare possunt,
Non dico pueris, sed his pilosis,
Qui duros nequeunt movere lumbos.
Vos, quom milia multa basiorum
Legistis, male me marem putatis?
Pedicabo ego vos et inrumabo.

XVII.

O Colonia, quae cupis ponte ludere longo,
Et salire paratum habes, sed vereris inepta
Crura ponticuli assulis stantis in redivivis,
Ne supinus eat cavaque in palude recumbat;
Sic tibi bonus ex tua pons libidine fiat,
In quo vel Salisubsili sacra suscipiantur:
Munus hoc mihi maximi da, Colonia, risus.
Quendam municipem meum de tuo volo ponte
Ire praecipitem in lutum per caputque pedesque,
Verum totius ut lacus putidaeque paludis
Lividissima maximeque est profunda vorago.
Insulsissimus est homo, nec sapit pueri instar
Bimuli tremula patris dormientis in ulna.
Quoi cum sit viridissimo nupta flore puella
(Et puella tenellulo delicatior haedo,
Adservanda nigerrimis diligentius uvis),
Ludere hanc sinit ut lubet, nec pili facit uni,
Nec se sublevat ex sua parte, sed velut alnus
In fossa Liguri iacet suppernata securi,
Tantundem omnia sentiens quam si nulla sit usquam,
Talis iste meus stupor nil videt, nihil audit,
Ipse qui sit, utrum sit an non sit, id quoque nescit.

Nunc eum volo de tuo ponte mittere pronum,
Si pote stolidum repente excitare veternum
Et supinum animum in gravi derelinquere caeno,
Ferream ut soleam tenaci in voragine mula.

XVIII—XXI.

Aureli, pater essuritionum,
Non harum modo, sed quot aut fuerunt
Aut sunt aut aliis erunt in annis,
Pedicare cupis meos amores.
Nec clam: nam simul es, iocaris una,
Haeres ad latus omnia experiris.
Frustra: nam insidias mihi instruentem
Tangam te prior inrumatione.
Atque id si faceres satur, tacerem:
Nunc ipsum id doleo, quod essurire,
A me me, puer et sitire discet.
Quare desine, dum licet pudico,
Ne finem facias, sed inrumatus.

XXII.

Suffenus iste, Vare, quem probe nosti,
Homost venustus et dicax et urbanus,
Idemque longe plurimos facit versus.
Puto esse ego illi milia aut decem aut plura
Perscripta, nec sic ut fit in palimpseston
Relata: chartae regiae, novei libri,
Novei umbilici, lora rubra, membrana
Derecta plumbo, et pumice omnia aequata.
Haec cum legas tu, bellus ille et urbanus
Suffenus unus caprimulgus aut fossor
Rursus videtur: tantum abhorret ac mutat.
Hoc quid putemus esse? qui modo scurra
Aut siquid hac re scitius videbatur,
Idem infacetost infacetior rure,
Simul poemata attigit, neque idem umquam

Aequest beatus ac poema cum scribit:
Tam gaudet in se tamque se ipse miratur.
Nimirum idem omnes fallimur, nequest quisquam,
Quem non in aliqua re videre Suffenum
Possis. suus cuique attributus est error:
Sed non videmus, manticae quod in tergost.

XXIII.

Furei, quoi neque servos est neque arca
Nec cimex neque araneus neque ignis,
Verumst et pater et noverca, quorum
Dentes vel silicem comesse possunt,
Est pulchre tibi cum tuo parente
Et cum coniuge lignea parentis.
Nec mirum: bene nam valetis omnes,
Pulchre concoquitis, nihil timetis,
Non incendia, non graves ruinas,
Non furta inpia, non dolos veneni,
Non casus alios periculorum.
Atqui corpora sicciora cornu
Aut siquid magis aridumst habetis
Sole et frigore et essuritione.
Quare non tibi sit bene ac beate?
A te sudor abest, abest saliva,
Mucusque et mala pituita nasi.
Hanc ad munditiem adde mundiorem,
Quod culus tibi purior salillost,
Nec toto decies cacas in anno,
Atque id durius est faba et lapillis;
Quod tu si manibus teras fricesque,
Non umquam digitum inquinare possis.
Haec tu commoda tam beata, Furi,
Noli spernere nec putare parvi,
Et sestertia quae soles precari
Centum desine: nam sat es beatus.

XXIIII.

O qui flosculus es Iuventiorum,
Non horum modo, sed quot aut fuerunt
Aut posthac aliis erunt in annis,
Mallem divitias Midae dedisses
Isti, quoi neque servus est neque arca,
Quam sic te sineres ab illo amari.
'Qui? non est homo bellus?' inquies. est:
Sed bello huic neque servos est neque arca.
Hoc tu quam lubet abice elevaque:
Nec servom tamen ille habet neque arcam.

XXV.

Cinaede Thalle, mollior cuniculi capillo
Vel anseris medullula vel imula oricilla
Vel pene languido senis situque araneoso,
Idemque Thalle turbida rapacior procella,
Cum diva munerarios ostendit oscitantes,
Remitte pallium mihi meum, quod involasti,
Sudariumque Saetabum catagraphosque Thynos,
Inepte, quae palam soles habere tamquam avita.
Quae nunc tuis ab unguibus reglutina et remitte,
Ne laneum latusculum manusque mollicellas
Inusta turpiter tibi flagella conscribillent,
Et insolenter aestues velut minuta magno
Deprensa navis in mari vesaniente vento.

XXVI.

Furi, villula nostra non ad Austri
Flatus oppositast neque ad Favoni
Nec saevi Boreae aut Apeliotae,
Verum ad milia quindecim et ducentos.
O ventum horribilem atque pestilentem!

XXVII.

Minister vetuli puer Falerni
Inger mi calices amariores,
Vt lex Postumiae iubet magistrae,
Ebriosa acina ebriosioris.
At vos quo lubet hinc abite, lymphae
Vini pernicies, et ad severos
Migrate: hic merus est Thyonianus

XXVIII.

Pisonis comites, cohors inanis
Aptis sarcinulis et expeditis,
Verani optime tuque mi Fabulle,
Quid rerum geritis? satisne cum isto
Vappa frigoraque et famem tulistis?
Ecquidnam in tabulis patet lucelli
Expensum, ut mihi, qui meum secutus
Praetorem refero datum lucello
'O Memmi, bene me ac diu supinum
Tota ista trabe lentus inrumasti.'
Sed, quantum video, pari fuistis
Casu: nam nihilo minore verpa
Farti estis. pete nobiles amicos.
At vobis mala multa di deaeque
Dent, opprobria Romulei Remique.

XXVIIII.

Quis hoc potest videre, quis potest pati,
Nisi inpudicus et vorax et aleo,
Mamurram habere quod Comata Gallia
Habebat ante et ultima Britannia?
Cinaede Romule, haec videbis et feres?
Es inpudicus et vorax et aleo.
Et ille nunc superbus et superfluens
Perambulabit omnium cubilia

Vt albulus columbus aut Adoneus?
Cinaede Romule, haec videbis et feres?
Es inpudicus et vorax et aleo.
Eone nomine, imperator unice,
Fuisti in ultima occidentis insula,
Vt ista vostra defututa Mentula
Ducenties comesset aut trecenties?
Quid est alid sinistra liberalitas?
Parum expatravit an parum eluatus est?
Paterna prima lancinata sunt bona:
Secunda praeda Pontica: inde tertia
Hibera, quam scit amnis aurifer Tagus.
Timentne Galliae hunc, timent Britanniae?
Quid hunc malum fovetis? aut quid hic potest,
Nisi uncta devorare patrimonia?
Eone nomine urbis, o potissimei
Socer generque, perdidistis omnia?

XXX.

Alfene inmemor atque unanimis false sodalibus,
Iam te nil miseret, dure, tui dulcis amiculi?

Iam me prodere, iam non dubitas fallere, perfide?
Nec facta inpia fallacum hominum caelicolis placent:

Quod tu neglegis, ac me miserum deseris in malis.
Eheu quid faciant, dic, homines, cuive habeant fidem?

Certe tute iubebas animam tradere, inique, me
Inducens in amorem, quasi tuta omnia mi forent.

Idem nunc retrahis te ac tua dicta omnia factaque
Ventos inrita ferre ac nebulas aerias sinis.

Si tu oblitus es, at di meminerunt, meminit Fides,
Quae te ut paeniteat postmodo facti faciet tui.

XXXI.

Paeninsularum, Sirmio, insularumque
Ocelle, quascumque in liquentibus stagnis
Marique vasto fert uterque Neptunus,
Quam te libenter quamque laetus inviso,
Vix mi ipse credens Thyniam atque Bithynos
Liquisse campos et videre te in tuto.
O quid solutis est beatius curis,
Cum mens onus reponit, ac peregrino
Labore fessi venimus larem ad nostrum
Desideratoque acquiescimus lecto.
Hoc est, quod unumst pro laboribus tantis.
Salve, o venusta Sirmio, atque ero gaude:
Gaudete vosque, o Libuae lacus undae:
Ridete, quidquid est domi cachinnorum.

tr. by Calverley p 278,

XXXII.

Amabo, mea dulcis Ipsithilla,
Meae deliciae, mei lepores,
Iube ad te veniam meridiatum.
Et si iusseris illud, adiuvato,
Nequis liminis obseret tabellam,
Neu tibi lubeat foras abire,
Sed domi maneas paresque nobis
Novem continuas fututiones.
Verum, siquid ages, statim iubeto:
Nam pransus iaceo et satur supinus
Pertundo tunicamque palliumque.

XXXIII.

O furum optime balneariorum
Vibenni pater, et cinaede fili,
(Nam dextra pater inquinatiore,
Culo filius est voraciore)
Cur non exilium malasque in oras

Itis, quandoquidem patris rapinae
Notae sunt populo, et natis pilosas,
Fili, non potes asse venditare.

XXXIIII.

Dianae sumus in fide
Puellae et pueri integri:
Dianam pueri integri
  Puellaeque canamus.

O Latonia, maximi
Magna progenies Iovis,
Quam mater prope Deliam
  Deposivit olivam,

Montium domina ut fores
Silvarumque virentium
Saltuumque reconditorum
  Amniumque sonantum.

Tu Lucina dolentibus
Iuno dicta puerperis,
Tu potens Trivia et notho's
  Dicta lumine Luna.

Tu cursu, dea, menstruo
Metiens iter annuom
Rustica agricolae bonis
  Tecta frugibus exples.

Sis quocumque tibi placet
Sancta nomine, Romulique,
Antique ut solita's, bona
  Sospites ope gentem.

XXXV.

Poetae tenero, meo sodali
Velim Caecilio, papyre, dicas,
Veronam veniat, Novi relinquens

Comi moenia Lariumque litus:
Nam quasdam volo cogitationes
Amici accipiat sui meique.
Quare, si sapiet, viam vorabit,
Quamvis candida milies puella
Euntem revocet manusque collo
Ambas iniciens roget morari,
Quae nunc, si mihi vera nuntiantur,
Illum deperit inpotente amore:
Nam quo tempore legit incohatam
Dindymi dominam, ex eo misellae
Ignes interiorem edunt medullam.
Ignosco tibi, Sapphica puella
Musa doctior: est enim venuste
Magna Caecilio incohata mater.

XXXVI.

Annales Volusi, cacata charta,
Votum solvite pro mea puella:
Nam sanctae Veneri Cupidinique
Vovit, si sibi restitutus essem
Desissemque truces vibrare iambos,
Electissima pessimi poetae
Scripta tardipedi deo daturam
Infelicibus ustulanda lignis.
Et haec pessima se puella vidit
Iocose lepide vovere divis.
Nunc, o caeruleo creata ponto,
Quae sanctum Idalium Vriosque portus
Quaeque Ancona Cnidumque harundinosam
Colis quaeque Amathunta quaeque Golgos
Quaeque Durrachium Adriae tabernam,
Acceptum face redditumque votum,
Si non inlepidum neque invenustumst.
At vos interea venite in ignem,
Pleni ruris et inficetiarum
Annales Volusi, cacata charta.

XXXVII.

Salax taberna vosque contubernales,
A pileatis nona fratribus pila,
Solis putatis esse mentulas vobis,
Solis licere, quidquid est puellarum,
Confutuere et putare ceteros hircos?
An, continenter quod sedetis insulsi
Centum an ducenti, non putatis ausurum
Me una ducentos inrumare sessores?
Atqui putate: namque totius vobis
Frontem tabernae scorpionibus scribam.
Puella nam mi, quae meo sinu fugit,
Amata tantum quantum amabitur nulla,
Pro qua mihi sunt magna bella pugnata,
Consedit istic. hanc boni beatique
Omnes amatis, et quidem, quod indignumst,
Omnes pusilli et semitarii moechi;
Tu praeter omnes une de capillatis,
Cuniculosae Celtiberiae fili
Egnati, opaca quem bonum facit barba
Et dens Hibera defricatus urina.

XXXVIII.

Malest, Cornifici, tuo Catullo,
Malest, me hercule, et est laboriose,
Et magis magis in dies et horas.
Quem tu, quod minimum facillimumquest,
Qua solatus es adlocutione?
Irascor tibi. sic meos amores?
Paulum quid lubet adlocutionis,
Maestius lacrimis Simonideis.

XXXVIIII.

Egnatius, quod candidos habet dentes,
Renidet usque quaque. sei ad rei ventumst

Subsellium, cum orator excitat fletum,
Renidet ille. sei ad pii rogum fili
Lugetur, orba cum flet unicum mater,
Renidet ille. quidquid est, ubicumquest,
Quodcumque agit, renidet. hunc habet morbum,
Neque elegantem, ut arbitror, neque urbanum.
Quare monendum test mihi, bone Egnati.
Si urbanus esses aut Sabinus aut Tiburs
Aut fartus Vmber aut obesus Etruscus
Aut Lanuinus ater atque dentatus
Aut Transpadanus, ut meos quoque attingam,
Aut quilubet, qui puriter lavit dentes,
Tamen renidere usque quaque te nollem:
Nam risu inepto res ineptior nullast.
Nunc Celtiber es: Celtiberia in terra,
Quod quisque minxit, hoc sibi solet mane
Dentem atque russam defricare gingivam,
Vt quo iste vester expolitior dens est,
Hoc te amplius bibisse praedicet loti.

XXXX.

Quaenam te mala mens, miselle Ravide,
Agit praecipitem in meos iambos?
Quis deus tibi non bene advocatus
Vecordem parat excitare rixam?
An ut pervenias in ora vulgi?
Quid vis? qua lubet esse notus optas?
Eris, quandoquidem meos amores
Cum longa voluisti amare poena.

XXXXI.

Ametina puella defututa
Tota milia me decem poposcit,
Ista turpiculo puella naso,
Decoctoris amica Formiani.
Propinqui, quibus est puella curae,

Amicos medicosque convocate:
Non est sana puella. nec rogate,
Qualis sit: solet esse imaginosa.

XXXXII.

Adeste, hendecasyllabi, quot estis
Omnes undique, quotquot estis omnes.
Iocum me putat esse moecha turpis
Et negat mihi nostra reddituram
Pugillaria, si pati potestis.
Persequamur eam, et reflagitemus.
Quae sit, quaeritis. illa, quam videtis
Turpe incedere, mimice ac moleste
Ridentem catuli ore Gallicani.
Circumsistite eam, et reflagitate,
'Moecha putida, redde codicillos,
Redde, putida moecha, codicillos.'
Non assis facis? o lutum, lupanar,
Aut si perditius potest quid esse.
Sed non est tamen hoc satis putandum.
Quod si non aliud potest, ruborem
Ferreo canis exprimamus ore.
Conclamate iterum altiore voce
'Moecha putida, redde codicillos,
Redde, putida moecha, codicillos.'
Sed nil proficimus, nihil movetur.
Mutandast ratio modusque vobis,
Siquid proficere amplius potestis,
'Pudica et proba, redde codicillos.'

XXXXIII.

Salve, nec minimo puella naso
Nec bello pede nec nigris ocellis
Nec longis digitis nec ore sicco
Nec sane nimis elegante lingua,
Decoctoris amica Formiani.

Ten provincia narrat esse bellam?
Tecum Lesbia nostra conparatur?
O saeclum insapiens et infacetum!

XXXXIIII.

O funde noster seu Sabine seu Tiburs,
(Nam te esse Tiburtem autumant, quibus non est
Cordi Catullum laedere: at quibus cordist,
Quovis Sabinum pignore esse contendunt)
Sed seu Sabine sive verius Tiburs,
Fui libenter in tua suburbana
Villa malamque pectore expuli tussim,
Non inmerenti quam mihi meus venter,
Dum sumptuosas adpeto, dedit, cenas.
Nam, Sestianus dum volo esse conviva,
Orationem in Antium petitorem
Plenam veneni et pestilentiae legi.
Hic me gravido frigida et frequens tussis
Quassavit usque dum in tuum sinum fugi
Et me recuravi otioque et urtica.
Quare refectus maximas tibi grates
Ago, meum quod non es ulta peccatum.
Nec deprecor iam, si nefaria scripta
Sesti recepso, quin gravidinem et tussim
Non mi, sed ipsi Sestio ferat frigus,
Qui tum vocat me, cum malum librum legi.

XXXXV.

Acmen Septumius suos amores
Tenens in gremio 'mea' inquit 'Acme,
Ni te perdite amo atque amare porro
Omnes sum adsidue paratus annos
Quantum qui pote plurimum perire,
Solus in Libya Indiave tosta
Caesio veniam obvius leoni.'
Hoc ut dixit, Amor, sinistra ut ante,

Dextra sternuit adprobationem.
At Acme leviter caput reflectens
Et dulcis pueri ebrios ocellos
Illo purpureo ore saviata
'Sic' inquit 'mea vita Septumille,
Huic uni domino usque serviamus,
Vt multo mihi maior acriorque
Ignis mollibus ardet in medullis.'
Hoc ut dixit, Amor, sinistra ut ante,
Dextra sternuit adprobationem.
Nunc ab auspicio bono profecti
Mutuis animis amant amantur.
Vnam Septumius misellus Acmen
Mavolt quam Syrias Britanniasque:
Vno in Septumio fidelis Acme
Facit delicias libidinesque.
Quis ullos homines beatiores
Vidit, quis Venerem auspicatiorem?

XXXXVI.

Iam ver egelidos refert tepores,
Iam caeli furor aequinoctialis
Iocundis Zephyri silescit aureis.
Linquantur Phrygii, Catulle, campi
Nicaeaeque ager uber aestuosae:
Ad claras Asiae volemus urbes.
Iam mens praetrepidans avet vagari,
Iam laeti studio pedes vigescunt.
O dulces comitum valete coetus,
Longe quos simul a domo profectos
Diversae variae viae reportant.

XXXXVII.

Porci et Socration, duae sinistrae
Pisonis, scabies famesque mundi
Vos Veraniolo meo et Fabullo

Verpus praeposuit Priapus ille?
Vos convivia lauta sumptuose
De die facitis? mei sodales
Quaerunt in trivio vocationes?

XXXXVIII.

Mellitos oculos tuos, Iuventi,
Siquis me sinat usque basiare,
Vsque ad milia basiem trecenta,
Nec umquam videar satur futurus,
Non si densior aridis aristis
Sit nostrae seges osculationis.

XXXXVIIII.

Disertissime Romuli nepotum,
Quot sunt quotque fuere, Marce Tulli,
Quotque post aliis erunt in annis,
Gratias tibi maximas Catullus
Agit pessimus omnium poeta,
Tanto pessimus omnium poeta
Quanto tu optimus omnium patronus.

L.

Hesterno, Licini, die otiosi
Multum lusimus in meis tabellis,
Vt convenerat esse delicatos.
Scribens versiculos uterque nostrum
Ludebat numero modo hoc modo illoc,
Reddens mutua per iocum atque vinum.
Atque illinc abii tuo lepore
Incensus, Licini, facetiisque,
Vt nec me miserum cibus iuvaret,
Nec somnus tegeret quiete ocellos,
Sed toto indomitus furore lecto
Versarer cupiens videre lucem,

Vt tecum loquerer, simulque ut essem.
At defessa labore membra postquam
Semimortua lectulo iacebant,
Hoc, iocunde, tibi poema feci,
Ex quo perspiceres meum dolorem.
Nunc audax cave sis, precesque nostras,
Oramus, cave despuas, ocelle,
Ne poenas Nemesis reposcat a te.
Est vemens dea: laedere hanc caveto.

LI.

Ille mi par esse deo videtur,
Ille, si fas est, superare divos,
Qui sedens adversus identidem te
    Spectat et audit
Dulce ridentem, misero quod omnis
Eripit sensus mihi: nam simul te,
Lesbia, aspexi, nihil est super mi
. . . .
Lingua sed torpet, tenuis sub artus
Flamma demanat, sonitu suopte
Tintinant aures geminae, teguntur
    Lumina nocte.

LI[b].

Otium, Catulle, tibi molestumst:
Otio exultas nimiumque gestis.
Otium et reges prius et beatas
    Perdidit urbes.

LII.

Quid est, Catulle? quid moraris emori?
Sella in curuli struma Nonius sedet,
Per consulatum peierat Vatinius:
Quid est, Catulle? quid moraris emori?

LIII.

Risi nescioquem modo e corona,
Qui, cum mirifice Vatiniana
Meus crimina Calvos explicasset,
Admirans ait haec manusque tollens,
'Di magni, salaputium disertum!'

LIIII.

Othonis caput oppidost pusillum
* * *
Neri rustica semilauta crura,
Subtile et leve peditum Libonis.
* * *
Si non omnia displicere vellem
Tibi et Fuficio seni recocte

LIIII[b].

Irascere iterum meis iambis
Inmerentibus, unice imperator.

LV.

Oramus, si forte non molestumst,
Demostres, ubi sint tuae tenebrae.
Te campo quaesivimus minore,
Te in circo, te in omnibus libellis,
Te in templo summi Iovis sacrato.
In Magni simul ambulatione
Femellas omnes, amice, prendi,
Quas vultu vidi tamen serenas.
A, vel te sic ipse flagitabam,
'Camerium mihi, pessimae puellae.'
Quaedam inquit, nudum sinum reducens,
'En heic in roseis latet papillis.'
Sed te iam ferre Herculei labos est.

Non custos si fingar ille Cretum, 23
Non si Pegaseo ferar volatu,
Non Ladas ego pinnipesve Perseus, 25
Non Rhesi nivea citaque biga:
Adde huc plumipedes volatilesque,
Ventorumque simul require cursum:
Quos cunctos, Cameri, mihi dicares,
Defessus tamen omnibus medullis 30
Et multis langoribus peresus
Essem te mihi, amice, quaeritando. 32
Tanto ten fastu negas, amice? 14
Dic nobis ubi sis futurus, ede
Audacter, conmitte, crede lucei.
Num te lacteolae tenent puellae?
Si linguam clauso tenes in ore,
Fructus proicies amoris omnes:
Verbosa gaudet Venus loquella. 20
Vel si vis, licet obseres palatum,
Dum vostri sim particeps amoris.

LVI.

O rem ridiculam, Cato, et iocosam
Dignamque auribus et tuo cachinno.
Ride, quidquid amas, Cato, Catullum·
Res est ridicula et nimis iocosa.
Deprendi modo pupulum puellae
Trusantem: hunc ego, si placet Dionae,
Protelo rigida mea cecidi.

LVII.

Pulcre convenit inprobis cinaedis,
Mamurrae pathicoque Caesarique.
Nec mirum: maculae pares utrisque,
Vrbana altera et illa Formiana,
Inpressae resident nec eluentur:
Morbosi pariter, gemelli utrique

Vno in lectulo, erudituli ambo,
Non hic quam ille magis vorax adulter,
Rivales sociei puellularum.
Pulcre convenit inprobis cinaedis.

LVIII.

Caeli, Lesbia nostra, Lesbia illa,
Illa Lesbia, quam Catullus unam
Plus quam se atque suos amavit omnes,
Nunc in quadriviis et angiportis
Glubit magnanimos Remi nepotes.

LVIIII.

Bononiensis Rufa Rufulum fellat,
Vxor Meneni, saepe quam in sepulcretis
Vidistis ipso rapere de rogo cenam,
Cum devolutum ex igne prosequens panem
Ab semiraso tunderetur ustore.

LX.

Num te leaena montibus Libystinis
Aut Scylla latrans infima inguinum parte
Tam mente dura procreavit ac taetra,
Vt supplicis vocem in novissimo casu
Contemptam haberes a! nimis fero corde?

LXI.

Collis o Heliconii
  Cultor, Vraniae genus,
  Qui rapis teneram ad virum
Virginem, o Hymenaee Hymen,
  O Hymen Hymenaee,

Cinge tempora floribus
  Suave olentis amaraci,
  Flammeum cape, laetus huc
Huc veni niveo gerens
  Luteum pede soccum,

Excitusque hilari die
  Nuptialia concinens
  Voce carmina tinnula
Pelle humum pedibus, manu
  Pineam quate taedam.

Namque Vinia Manlio,
  Qualis Idalium colens
  Venit ad Phrygium Venus
Iudicem, bona cum bona
  Nubet alite virgo,

Floridis velut enitens
  Myrtus Asia ramulis,
  Quos Hamadryades deae
Ludicrum sibi rosido
  Nutriunt umore.

Quare age huc aditum ferens
  Perge linquere Thespiae
  Rupis Aonios specus,
Nympha quos super inrigat
  Frigerans Aganippe,

Ac domum dominam voca
  Coniugis cupidam novi,
  Mentem amore revinciens,
Vt tenax hedera huc et huc
  Arborem inplicat errans.

Vosque item simul, integrae
  Virgines, quibus advenit
  Par dies, agite in modum
Dicite 'o Hymenaee Hymen,
  O Hymen Hymenaee,'

Vt lubentius, audiens
Se citarier ad suom
Munus, huc aditum ferat
Dux bonae Veneris, boni
Coniugator amoris.

Quis deus magis anxiis
Est petendus amantibus?
Quem colent homines magis
Caelitum? o Hymenaee Hymen,
O Hymen Hymenaee.

Te suis tremulus parens
Invocat, tibi virgines
Zonula soluunt sinus,
Te timens cupida novos
Captat aure maritus.

Tu fero iuveni in manus
Floridam ipse puellulam
Dedis a gremio suae
Matris, o Hymenaee Hymen,
O Hymen Hymenaee.

Nil potest sine te Venus,
Fama quod bona conprobet,
Commodi capere: at potest
Te volente. quis huic deo
Conpararier ausit?

Nulla quit sine te domus
Liberos dare, nec parens
Stirpe cingier: at potest
Te volente. quis huic deo
Conpararier ausit?

Quae tuis careat sacris,
Non queat dare praesides
Terra finibus: at queat
Te volente. quis huic deo
Conpararier ausit?

Claustra pandite ianuae,
Virgo ades. viden ut faces
Splendidas quatiunt comas?
Tardet ingenuos pudor:
* * *

* * *
* * *
* * *
Quem tamen magis audiens
Flet, quod ire necesse est.

Flere desine. non tibi, A-
runculeia, periculumst,
Nequa femina pulchrior
Clarum ab Oceano diem
Viderit venientem.

Talis in vario solet
Divitis domini hortulo
Stare flos hyacinthinus.
Sed moraris, abit dies:
Prodeas, nova nupta.

Prodeas, nova nupta, si
Iam videtur, et audias
Nostra verba. vide ut faces
Aureas quatiunt comas:
Prodeas, nova nupta.

Non tuos levis in mala
Deditus vir adultera
Probra turpia persequens
A tuis teneris volet
Secubare papillis,

Lenta quin velut adsitas
Vitis inplicat arbores,
Inplicabitur in tuom
Conplexum. sed abit dies:
Prodeas, nova nupta.

O cubile, quod omnibus
* * *
* * *
* * *
Candido pede lecti,

Quae tuo veniunt ero,
Quanta gaudia. quae vaga
Nocte, quae medio die
Gaudent! sed abit dies:
Prodeas, nova nupta.

Tollite, o pueri, faces:
Flammeum video venire.
Ite, concinite in modum
'O Hymen Hymenaee io,
O Hymen Hymenaee.'

Ne diu taceat procax
Fescennina iocatio,
Nec nuces pueris neget
Desertum domini audiens
Concubinus amorem.

Da nuces pueris, iners
Concubine: satis diu
Lusisti nucibus: lubet
Iam servire Talasio.
Concubine, nuces da.

Sordebant tibi vilicae,
Concubine, hodie atque heri:
Nunc tuom cinerarius
Tondet os. miser a miser
Concubine, nuces da.

Diceris male te a tuis
Vnguentate glabris marito
Abstinere: sed abstine.
O Hymen Hymenaee io,
O Hymen Hymenaee.

Scimus haec tibi quae licent
  Sola cognita: sed marito
  Ista non eadem licent.
O Hymen Hymenaee io,
  O Hymen Hymenaee.

Nupta, tu quoque, quae tuos
  Vir petet, cave ne neges,
  Ni petitum aliunde eat.
O Hymen Hymenaee io,
  O Hymen Hymenaee.

En tibi domus ut potens
  Et beata viri tui,
  Quae tibi sine fine erit
(O Hymen Hymenaee io,
  O Hymen Hymenaee),

Vsque dum tremulum movens
  Cana tempus anilitas
  Omnia omnibus adnuit.
O Hymen Hymenaee io,
  O Hymen Hymenaee.

Transfer omine cum bono
  Limen aureolos pedes,
  Rasilemque subi forem.
O Hymen Hymenaee io,
  O Hymen Hymenaee.

Aspice, intus ut accubans
  Vir tuos Tyrio in toro
  Totus inmineat tibi.
O Hymen Hymenaee io,
  O Hymen Hymenaee.

Illi non minus ac tibi
  Pectore uritur intimo
  Flamma, sed penite magis.
O Hymen Hymenaee io,
  O Hymen Hymenaee.

Mitte brachiolum teres,
Praetextate, puellulae:
Iam cubile adeat viri.
O Hymen Hymenaee io,
O Hymen Hymenaee.

Vos bonae senibus viris
Cognitae bene feminae,
Collocate puellulam.
O Hymen Hymenaee io,
O Hymen Hymenaee.

Iam licet venias, marite:
Vxor in thalamo tibist
Ore floridulo nitens,
Alba parthenice velut
Luteumve papaver.

At, marite, (ita me iuvent
Caelites) nihilo minus
Pulcher es, neque te Venus
Neglegit. sed abit dies:
Perge, ne remorare.

Non diu remoratus es,
Iam venis. bona te Venus
Iuverit, quoniam palam
Quod cupis capis et bonum
Non abscondis amorem.

Ille pulveris Africei
Siderumque micantium
Subducat numerum prius,
Qui vostri numerare volt
Multa milia ludei.

Ludite ut lubet, et brevi
Liberos date. non decet
Tam vetus sine liberis
Nomen esse, sed indidem
Semper ingenerari.

Torquatus volo parvolus
  Matris e gremio suae
  Porrigens teneras manus
Dulce rideat ad patrem
  Semhiante labello.

Sit suo similis patri
  Manlio et facile inscieis
  Noscitetur ab omnibus
Et pudicitiam suae
  Matris indicet ore.

Talis illius a bona
  Matre laus genus adprobet,
  Qualis unica ab optima
Matre Telemacho manet
  Fama Penelopeo.

Claudite ostia, virgines:
  Lusimus satis. at, bonei
  Coniuges, bene vivite et
Munere adsiduo valentem
  Exercete inventam.

LXII.

Vesper adest, iuvenes, consurgite: Vesper Olympo
Expectata diu vix tandem lumina tollit.
Surgere iam tempus, iam pingues linquere mensas,
Iam veniet virgo, iam dicetur Hymenaeus.
  Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee!

Cernitis, innuptae, iuvenes? consurgite contra:
Nimirum Oetaeos ostendit noctifer ignes.
Sic certest; viden ut perniciter exiluere?
Non temere exiluere, canent quod vincere par est.
  Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee!

Non facilis nobis, aequales, palma paratast,
Adspicite, innuptae secum ut meditata requirunt.

Non frustra meditantur, habent memorabile quod sit.
Nec mirum, penitus quae tota mente laborent.
Nos alio mentes, alio divisimus aures:
Iure igitur vincemur, amat victoria curam.
Quare nunc animos saltem convertite vestros,
Dicere iam incipient, iam respondere decebit.
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.

Hespere, qui caelo fertur crudelior ignis?
Qui natam possis conplexu avellere matris,
Conplexu matris retinentem avellere natam
Et iuveni ardenti castam donare puellam.
Quid faciunt hostes capta crudelius urbe?
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee!

Hespere, qui caelo lucet iocundior ignis?
Qui desponsa tua firmes conubia flamma,
Quae pepigere viri, pepigerunt ante parentes
Nec iunxere prius quam se tuus extulit ardor.
Quid datur a divis felici optatius hora?
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee!

* * *

Hesperus e nobis, aequales, abstulit unam

* * *

Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee!

* * *

Namque tuo adventu vigilat custodia semper.
Nocte latent fures, quos idem saepe revertens,
Hespere, mutato conprendis nomine Eous.
At libet innuptis ficto te carpere questu.
Quid tum, si carpunt, tacita quem mente requirunt?
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee!

Vt flos in saeptis secretus nascitur hortis,
Ignotus pecori, nullo convolsus aratro,

Quem mulcent aurae, firmat sol, educat imber
. . . .
Multi illum pueri, multae optavere puellae:
Idem cum tenui carptus defloruit ungui,
Nulli illum pueri, nullae optavere puellae:
Sic virgo, dum intacta manet, dum cara suis est;
Cum castum amisit polluto corpore florem,
Nec pueris iocunda manet, nec cara puellis.
  Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee!

Vt vidua in nudo vitis quae nascitur arvo
Numquam se extollit, numquam mitem educat uvam,
Sed tenerum prono deflectens pondere corpus
Iam iam contingit summum radice flagellum;
Hanc nulli agricolae, nulli coluere bubulci:
At si forte eademst ulmo coniuncta marito,
Multi illam agricolae, multi coluere bubulci:
Sic virgo dum intacta manet, dum inculta senescit;
Cum par conubium maturo tempore adeptast,
Cara viro magis et minus est invisa parenti.
  Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee!

At tu ne pugna cum tali coniuge virgo.
Non aequomst pugnare, pater cui tradidit ipse,
Ipse pater cum matre, quibus parere necessest.
Virginitas non tota tuast, ex parte parentumst,
Tertia pars patrist, pars est data tertia matri,
Tertia sola tuast: noli pugnare duobus,
Qui genero sua iura simul cum dote dederunt.
  Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee!

LXIII.

Super alta vectus Attis celeri rate maria
Phrygium ut nemus citato cupide pede tetigit
Adiitque opaca, silvis redimita loca deae,
Stimulatus ibi furenti rabie, vagus animis,

Devolsit ilei acuto sibi pondera silice.
Itaque ut relicta sensit sibi membra sine viro,
Etiam recente terrae sola sanguine maculans
Niveis citata cepit manibus leve typanum,
Typanum, tuom Cybebe, tua, mater, initia,
Quatiensque terga taurei teneris cava digitis
Canere haec suis adortast tremebunda comitibus.
'Agite ite ad alta, Gallae, Cybeles nemora simul,
Simul ite, Dindymenae dominae vaga pecora,
Aliena quae petentes velut exules loca
Sectam meam executae duce me mihi comites
Rabidum salum tulistis truculentaque pelage
Et corpus evirastis Veneris nimio odio,
Hilarate erae citatis erroribus animum.
Mora tarda mente cedat: simul ite, sequimini
Phrygiam ad domum Cybebes, Phrygia ad nemora deae,
Vbi cymbalum sonat vox, ubi tympana reboant,
Tibicen ubi canit Phryx curvo grave calamo,
Vbi capita Maenades vi iaciunt ederigerae,
Vbi sacra sancta acutis ululatibus agitant,
Vbi suevit illa divae volitare vaga cohors:
Quo nos decet citatis celerare tripudiis.'
Simul haec comitibus Attis cecinit notha mulier,
Thiasus repente linguis trepidantibus ululat,
Leve tympanum remugit, cava cymbala recrepant,
Viridem citus adit Idam properante pede chorus.
Furibunda simul anhelans vaga vadit, animam agens,
Comitata tympano Attis per opaca nemora dux,
Veluti iuvenca vitans onus indomita iugi:
Rapidae ducem sequuntur Gallae properipedem.
Itaque ut domum Cybebes tetigere lassulae,
Nimio e labore somnum capiunt sine Cerere.
Piger his labante langore oculos sopor operit:
Abit in quiete molli rabidus furor animi.
Sed ubi oris aurei Sol radiantibus oculis
Lustravit aethera album, sola dura, mare ferum,

Pepulitque noctis umbras vegetis sonipedibus,
Ibi Somnus excitam Attin fugiens citus abiit:
Trepidante eum recepit dea Pasithea sinu.
Ita de quiete molli rapida sine rabie
Simul ipsa pectore Attis sua facta recoluit,
Liquidaque mente vidit sine queis ubique foret,
Animo aestuante rusum reditum ad vada tetulit.
Ibi maria vasta visens lacrimantibus oculis,
Patriam allocuta maestast ita voce miseriter.
'Patria o mei creatrix, patria o mea genetrix,
Ego quam miser relinquens, dominos ut erifugae
Famuli solent, ad Idae tetuli nemora pedem,
Vt aput nivem et ferarum gelida stabula forem
Et earum operta adirem furibunda latibula?
Vbinam aut quibus locis te positam, patria, reor?
Cupit ipsa pupula ad te sibi dirigere aciem,
Rabie fera carens dum breve tempus animus est.
Egone a mea remota haec ferar in nemora domo?
Patria, bonis, amicis, genitoribus abero?
Abero foro, palaestra, stadio et guminasiis?
Miser a miser, querendumst etiam atque etiam, animе.
Quod enim genus figuraest, ego non quod habuerim?
Ego mulier, ego adolescens, ego ephebus, ego puer,
Ego guminasi fui flos, ego eram decus olei:
Mihi ianuae frequentes, mihi limina tepida,
Mihi floridis corollis redimita domus erat,
Linquendum ubi esset orto mihi sole cubiculum.
Ego nunc deum ministra et Cybeles famula ferar?
Ego Maenas, ego mei pars, ego vir sterilis ero?
Ego viridis algida Idae nive amicta loca colam?
Ego vitam agam sub altis Phrygiae columinibus,
Vbi cerva silvicultrix, ubi aper nemorivagus?
Iam iam dolet quod egi, iam iamque paenitet.'
Roseis ut huic labellis sonitus celer abiit,
Geminas deorum ad aures nova nuntia referens,
Ibi iuncta iuga resolvens Cybele leonibus
Laevumque pecoris hostem stimulans ita loquitur.

'Agedum' inquit 'age ferox i, fac ut hunc furor *agitet*,
Fac uti furoris ictu reditum in nemora ferat,
Mea libere nimis qui fugere imperia cupit.
Age caede terga cauda, tua verbera patere,
Fac cuncta mugienti fremitu loca retonent,
Rutilam ferox torosa cervice quate iubam.'
Ait haec minax Cybebe religatque iuga manu.
Ferus ipse sese adhortans rapidum incitat animo,
Vadit, fremit, refringit virgulta pede vago.
At ubi umida albicantis loca litoris adiit,
Teneramque vidit Attin prope marmora pelagi,
Facit impetum: illa demens fugit in nemora fera:
Ibi semper omne vitae spatium famula fuit.
Dea magna, dea Cybebe, Didymei dea domina,
Procul a mea tuos sit furor omnis, era, domo:
Alios age incitatos, alios age rabidos.

LXIIII.

Peliaco quondam prognatae vertice pinus
Dicuntur liquidas Neptuni nasse per undas
Phasidos ad fluctus et fines Aeetaeos,
Cum lecti iuvenes, Argivae robora pubis,
Auratam optantes Colchis avertere pellem
Ausi sunt vada salsa cita decurrere puppi,
Caerula verrentes abiegnis aequora palmis.
Diva quibus retinens in summis urbibus arces
Ipsa levi fecit volitantem flamine currum,
Pinea coniungens inflexae texta carinae.
Illa rudem cursu prima imbuit Amphitriten.
Quae simulac rostro ventosum proscidit aequor,
Tortaque remigio spumis incanduit unda,
Emersere freti canenti e gurgite vultus
Aequoreae monstrum Nereides admirantes.
Atque illic alma viderunt luce marinas
Mortales oculi nudato corpore Nymphas
Nutricum tenus extantes e gurgite cano.

Tum Thetidis Peleus incensus fertur amore,
Tum Thetis humanos non despexit hymenaeos,
Tum Thetidi pater ipse iugandum Pelea sanxit.
O nimis optato saeclorum tempore nati
Heroes, salvete, deum genus, o bona matrum
Progenies, salvete iterum *placidique favete.*
Vos ego saepe meo, vos carmine conpellabo,
Teque adeo eximie taedis felicibus aucte
Thessaliae columen Peleu, cui Iuppiter ipse,
Ipse suos divom genitor concessit amores.
Tene Thetis tenuit pulcherrima Nereine?
Tene suam Tethys concessit ducere neptem,
Oceanusque, mari totum qui amplectitur orbem?
Quoi simul optatae finito tempore luces
Advenere, domum conventu tota frequentat
Thessalia, oppletur laetanti regia coetu:
Dona ferunt prae se, declarant gaudia voltu.
Deseritur Cieros, linquunt Phthiotica tempe,
Crannonisque domos ac moenia Larisaea,
Pharsalum coeunt, Pharsalia tecta frequentant.
Rura colit nemo, mollescunt colla iuvencis,
Non humilis curvis purgatur vinea rastris,
Non falx attenuat frondatorum arboris umbram, 41
Non glaebam prono convellit vomere taurus,
Squalida desertis rubigo infertur aratris.
Ipsius at sedes, quacumque opulenta recessit
Regia, fulgenti splendent auro atque argento.
Candet ebur soliis, collucent pocula mensae,
Tota domus gaudet regali splendida gaza.
Pulvinar vero divae geniale locatur
Sedibus in mediis, Indo quod dente politum
Tincta tegit roseo conchyli purpura fuco.
Haec vestis priscis hominum variata figuris
Heroum mira virtutes indicat arte.
Namque fluentisono prospectans litore Diae
Thesea cedentem celeri cum classe tuetur
Indomitos in corde gerens Ariadna furores,
Necdum etiam sese quae visit visere credit,

Vt pote fallaci quae tum primum excita somno
Desertam in sola miseram se cernat arena.
Inmemor at iuvenis fugiens pellit vada remis,
Inrita ventosae linquens promissa procellae.
Quem procul ex alga maestis Minois ocellis,
Saxea ut effigies bacchantis, prospicit, eheu,
Prospicit et magnis curarum fluctuat undis,
Non flavo retinens subtilem vertice mitram,
Non contecta levi † velatum pectus amictu,
Non tereti strophio lactantes vincta papillas,
Omnia quae toto delapsa e corpore passim
Ipsius ante pedes fluctus salis adludebant.
Set neque tum mitrae neque tum fluitantis amictus
Illa vicem curans toto ex te pectore, Theseu,
Toto animo, tota pendebat perdita mente.
A misera, adsiduis quam luctibus externavit
Spinosas Erycina serens in pectore curas
Illa tempestate, ferox quom robore Theseus
Egressus curvis e litoribus Piraei
Attigit iniusti regis Gortynia tecta.
Nam perhibent olim crudeli peste coactam
Androgeoneae poenas exolvere caedis
Electos iuvenes simul et decus innuptarum
Cecropiam solitam esse dapem dare Minotauro.
Quis angusta malis cum moenia vexarentur,
Ipse suom Theseus pro caris corpus Athenis
Proicere optavit potius quam talia Cretam
Funera Cecropiae nec funera portarentur,
Atque ita nave levi nitens ac lenibus auris
Magnanimum ad Minoa venit sedesque superbas.
Hunc simulac cupido conspexit lumine virgo
Regia, quam suavis expirans castus odores
Lectulus in molli conplexu matris alebat,
Quales Eurotae progignunt flumina myrtus
Aurave distinctos educit verna colores,
Non prius ex illo flagrantia declinavit
Lumina, quam cuncto concepit corpore flammam
Funditus atque imis exarsit tota medullis.

Heu misere exagitans inmiti corde furores
Sancte puer, curis hominum qui gaudia misces,
Quaeque regis Golgos quaeque Idalium frondosum,
Qualibus incensam iactastis mente puellam
Fluctibus in flavo saepe hospite suspirantem!
Quantos illa tulit languenti corde timores!
Quam tum saepe magis † fulgore expalluit auri!
Cum saevom cupiens contra contendere monstrum
Aut mortem oppeteret Theseus aut praemia laudis.
Non ingrata tamen frustra munuscula divis
Promittens tacito succepit vota labello.
Nam velut in summo quatientem brachia Tauro
Quercum aut conigeram sudanti cortice pinum
Indomitum turben contorquens flamine robur
Eruit (illa procul radicitus exturbata
Prona cadit, late quast impetus obvia frangens),
Sic domito saevom prostravit corpore Theseus
Nequiquam vanis iactantem cornua ventis.
Inde pedem sospes multa cum laude reflexit
Errabunda regens tenui vestigia filo,
Ne labyrintheis e flexibus egredientem
Tecti frustraretur inobservabilis error.
Sed quid ego a primo digressus carmine plura
Conmemorem, ut linquens genitoris filia voltum,
Vt consanguineae conplexum, ut denique matris,
Quae misera in gnata deperdita laetabatur,
Omnibus his Thesei dulcem praeoptarit amorem,
Aut ut vecta rati spumosa ad litora Diae
Venerit, aut ut eam devinctam lumina somno
Liquerit inmemori discedens pectore coniunx?
Saepe illam perhibent ardenti corde furentem
Clarisonas imo fudisse e pectore voces,
Ac tum praeruptos tristem conscendere montes,
Vnde aciem in pelagi vastos protenderet aestus,
Tum tremuli salis adversas procurrere in undas
Mollia nudatae tollentem tegmina surae,
Atque haec extremis maestam dixisse querellis,
Frigidulos udo singultus ore cientem.

'Sicine me patriis avectam, perfide, ab oris,
Perfide, deserto liquisti in litore, Theseu?
Sicine discedens neglecto numine divom
Inmemor a, devota domum periuria portas?
Nullane res potuit crudelis flectere mentis
Consilium? tibi nulla fuit clementia praesto,
Inmite ut nostri vellet miserescere pectus?
At non haec quondam nobis promissa dedisti,
Vane: mihi non haec miserae sperare iubebas,
Sed conubia laeta, sed optatos hymenaeos:
Quae cuncta aerii discerpunt irrita venti.
Iam iam nulla viro iuranti femina credat,
Nulla viri speret sermones esse fideles;
Quis dum aliquid cupiens animus praegestit apisci,
Nil metuunt iurare, nihil promittere parcunt:
Sed simulac cupidae mentis satiata libidost,
Dicta nihil meminere, nihil periuria curant.
Certe ego te in medio versantem turbine leti
Eripui, et potius germanum amittere crevi,
Quam tibi fallaci supremo in tempore dessem.
Pro quo dilaceranda feris dabor alitibusque
Praeda, neque iniecta tumulabor mortua terra.
Quaenam te genuit sola sub rupe leaena?
Quod mare conceptum spumantibus expuit undis?
Quae Syrtis, quae Scylla rapax, quae vasta Charybdis?
Talia qui reddis pro dulci praemia vita.
Si tibi non cordi fuerant conubia nostra,
Saeva quod horrebas prisci praecepta parentis,
At tamen in vostras potuisti ducere sedes,
Quae tibi iocundo famularer serva labore,
Candida permulcens liquidis vestigia lymphis
Purpureave tuum consternens veste cubile.
Sed quid ego ignaris nequiquam conqueror auris,
Externata malo, quae nullis sensibus auctae
Nec missas audire queunt nec reddere voces?
Ille autem prope iam mediis versatur in undis,
Nec quisquam adparet vacua mortalis in alga.

Sic nimis insultans extremo tempore saeva
Fors etiam nostris invidit questibus aures.
Iuppiter omnipotens, utinam ne tempore primo
Gnosia Cecropiae tetigissent litora puppes,
Indomito nec dira ferens stipendia tauro
Perfidus in Creta religasset navita funem,
Nec malus hic celans dulci crudelia forma
Consilia in nostris requiesset sedibus hospes!
Nam quo me referam? quali spe perdita nitar?
Idomeneosne petam montes? a, gurgite lato
Discernens ponti truculentum ubi dividit aequor?
An patris auxilium sperem? quemne ipsa reliqui,
Respersum iuvenem fraterna caede secuta?
Coniugis an fido consoler memet amore,
Quine fugit lentos incurvans gurgite remos?
Praeterea nullo litus, sola insula, tecto,
Nec patet egressus pelagi cingentibus undis:
Nulla fugae ratio, nulla spes: omnia muta,
Omnia sunt deserta, ostentant omnia letum.
Non tamen ante mihi languescent lumina morte,
Nec prius a fesso secedent corpore sensus,
Quam iustam a divis exposcam prodita multam,
Caelestumque fidem postrema conprecer hora.
Quare facta virum multantes vindice poena,
Eumenides, quibus anguino redimita capillo
Frons expirantis praeportat pectoris iras,
Huc huc adventate, meas audite querellas,
Quas ego vae! misera extremis proferre medullis
Cogor inops, ardens, amenti caeca furore.
Quae quoniam verae nascuntur pectore ab imo,
Vos nolite pati nostrum vanescere luctum,
Sed quali solam Theseus me mente reliquit,
Tali mente, deae, funestet seque suosque.'
Has postquam maesto profudit pectore voces,
Supplicium saevis exposcens anxia factis,
Adnuit invicto caelestum numine rector,
Quo motu tellus atque horrida contremuerunt
Aequora concussitque micantia sidera mundus.

Ipse autem caeca mentem caligine Theseus
Consitus oblito dimisit pectore cuncta,
Quae mandata prius constanti mente tenebat,
Dulcia nec maesto sustollens signa parenti
Sospitem Erechtheum se ostendit visere portum.
Namque ferunt olim, castae cum moenia divae
Linquentem gnatum ventis concrederet Aegeus,
Talia conplexum iuveni mandata dedisse.
'Gnate mihi longa iocundior unice vita,
Reddite in extrema nuper mihi fine senectae,
Gnate, ego quem in dubios cogor dimittere casus,
Quandoquidem fortuna mea ac tua fervida virtus
Eripit invito mihi te, cui languida nondum
Lumina sunt gnati cara saturata figura:
Non ego te gaudens laetanti pectore mittam,
Nec te ferre sinam fortunae signa secundae,
Sed primum multas expromam mente querellas,
Canitiem terra atque infuso pulvere foedans,
Inde infecta vago suspendam lintea malo,
Nostros ut luctus nostraeque incendia mentis
Carbasus obscurata decet ferrugine Hibera.
Quod tibi si sancti concesserit incola Itoni,
Quae nostrum genus ac sedes defendere Erechthei
Adnuit, ut tauri respergas sanguine dextram,
Tum vero facito ut memori tibi condita corde
Haec vigeant mandata, nec ulla oblitteret aetas,
Vt simulac nostros invisent lumina colles,
Funestam antennae deponant undique vestem,
Candidaque intorti sustollant vela rudentes,
Lucida qua splendent summi carchesia mali,
Quam primum cernens ut laeta gaudia mente
Agnoscam, cum te reducem aetas prospera sistet.'
Haec mandata prius constanti mente tenentem
Thesea ceu pulsae ventorum flamine nubes
Aerium nivei montis liquere cacumen.
At pater, ut summa prospectum ex arce petebat,
Anxia in adsiduos absumens lumina fletus,
Cum primum infecti conspexit lintea veli,

Praecipitem sese scopulorum e vertice iecit,
Amissum credens inmiti Thesea fato.
Sic funesta domus ingressus tecta paterna
Morte ferox Theseus qualem Minoidi luctum
Obtulerat mente inmemori talem ipse recepit.
Quae tamen aspectans cedentem maesta carinam
Multiplices animo volvebat saucia curas.
At parte ex alia florens volitabat Iacchus
Cum thiaso Satyrorum et Nysigenis Silenis,
Te quaerens, Ariadna, tuoque incensus amore.
. . . .
Quae tum alacres passim lymphata mente furebant
Euhoe bacchantes, euhoe capita inflectentes.
Harum pars tecta quatiebant cuspide thyrsos,
Pars e divolso iactabant membra iuvenco,
Pars sese tortis serpentibus incingebant,
Pars obscura cavis celebrabant orgia cistis,
Orgia, quae frustra cupiunt audire profani,
Plangebant aliae proceris tympana palmis
Aut tereti tenues tinnitus aere ciebant,
Multis raucisonos efflabant cornua bombos
Barbaraque horribili stridebat tibia cantu.
  Talibus amplifice vestis decorata figuris
Pulvinar conplexa suo velabat amictu.
Quae postquam cupide spectando Thessala pubes
Expletast, sanctis coepit decedere divis.
Hic, qualis flatu placidum mare matutino
Horrificans Zephyrus proclivas incitat undas
Aurora exoriente vagi sub limina Solis,
Quae tarde primum clementi flamine pulsae
Procedunt (leni resonant plangore cachinni),
Post vento crescente magis magis increbescunt
Purpureaque procul nantes a luce refulgent,
Sic ibi vestibuli linquentes regia tecta
Ad se quisque vago passim pede discedebant.
Quorum post abitum princeps e vertice Pelei
Advenit Chiron portans silvestria dona:

Nam quoscumque ferunt campi, quos Thessala magnis
Montibus ora creat, quos propter fluminis undas
Aura parit flores tepidi fecunda Favoni,
Hos indistinctis plexos tulit ipse corollis,
Quo permulsa domus iocundo risit odore.
Confestim Penios adest, viridantia Tempe,
Tempe, quae silvae cingunt super inpendentes,
† Minosim linquens crebris celebranda choreis,
Non vacuos: namque ille tulit radicitus altas
Fagos ac recto proceras stipite laurus,
Non sine nutanti platano lentaque sorore
Flammati Phaethontis et aeria cupressu.
Haec circum sedes late contexta locavit,
Vestibulum ut molli velatum fronde vireret.
Post hunc consequitur sollerti corde Prometheus,
Extenuata gerens veteris vestigia poenae,
Quam quondam scythicis restrictus membra catena
Persolvit pendens e verticibus praeruptis.
Inde pater divom sancta cum coniuge natisque
Advenit caelo, te solum, Phoebe, relinquens
Vnigenamque simul cultricem montibus Idri:
Pelea nam tecum pariter soror aspernatast
Nec Thetidis taedas voluit celebrare iugalis.
Qui postquam niveis flexerunt sedibus artus,
Large multiplici constructae sunt dape mensae,
Cum interea infirmo quatientes corpora motu
Veridicos Parcae coeperunt edere cantus.
His corpus tremulum conplectens undique vestis
Candida purpurea talos incinxerat ora,
Annoso niveae residebant vertice vittae,
Aeternumque manus carpebant rite laborem.
Laeva colum molli lana retinebat amictum,
Dextera tum leviter deducens fila supinis
Formabat digitis, tum prono in pollice torquens
Libratum tereti versabat turbine fusum,
Atque ita decerpens aequabat semper opus dens,
Laneaque aridulis haerebant morsa labellis,

Quae prius in levi fuerant extantia filo:
Ante pedes autem candentis mollia lanae
Vellera virgati custodibant calathisci.
Haec tum clarisona pectentes vellera voce
Talia divino fuderunt carmine fata,
Carmine, perfidiae quod post nulla arguet aetas.

O decus eximium magnis virtutibus augens,
Emathiae tutamen opis, clarissime nato,
Accipe, quod laeta tibi pandunt luce sorores,
Veridicum oraclum. sed vos, quae fata sequuntur,
  Currite ducentes subtegmina, currite, fusi.

Adveniet tibi iam portans optata maritis
Hesperus, adveniet fausto cum sidere coniunx,
Quae tibi flexanimo mentem perfundat amore
Languidulosque paret tecum coniungere somnos,
Levia substernens robusto brachia collo.
  Currite ducentes subtegmina, currite, fusi.

Nulla domus tales umquam conexit amores,
Nullus amor tali coniunxit foedere amantes,
Qualis adest Thetidi, qualis concordia Peleo.
  Currite ducentes subtegmina, currite, fusi.

Nascetur vobis expers terroris Achilles,
Hostibus haud tergo, sed forti pectore notus,
Qui persaepe vago victor certamine cursus
Flammea praevertet celeris vestigia cervae.
  Currite ducentes subtegmina, currite, fusi.

Non illi quisquam bello se conferet heros,
Cum Phrygii Teucro manabunt sanguine † tenen,
Troicaque obsidens longinquo moenia bello
Periuri Pelopis vastabit tertius heres.
  Currite ducentes subtegmina, currite, fusi.

Illius egregias virtutes claraque facta
Saepe fatebuntur gnatorum in funere matres,
Cum in cinerem canos solvent a vertice crines
Putridaque infirmis variabunt pectora palmis.
  Currite ducentes subtegmina, currite, fusi.

Namque velut densas praecerpens cultor aristas
Sole sub ardenti flaventia demetit arva,
Troiugenum infesto prosternet corpora ferro.
Currite ducentes subtegmina, currite, fusi.

Testis erit magnis virtutibus unda Scamandri,
Quae passim rapido diffunditur Hellesponto,
Cuius iter caesis angustans corporum acervis
Alta tepefaciet permixta flumina caede.
Currite ducentes subtegmina, currite, fusi.

Denique testis erit morti quoque reddita praeda,
Cum terrae ex celso coacervatum aggere bustum
Excipiet niveos percussae virginis artus.
Currite ducentes subtegmina, currite, fusi.

Nam simul ac fessis dederit fors copiam Achivis
Vrbis Dardaniae Neptunia solvere vincla,
Alta Polyxenia madefient caede sepulcra,
Quae, velut ancipiti succumbens victima ferro,
Proiciet truncum submisso poplite corpus.
Currite ducentes subtegmina, currite, fusi.

Quare agite optatos animi coniungite amores.
Accipiat coniunx felici foedere divam,
Dedatur cupido iandudum nupta marito.
Currite ducentes subtegmina, currite, fusi.

Non illam nutrix orienti luce revisens
Hesterno collum poterit circumdare filo,
[Currite ducentes subtegmina, currite, fusi]
Anxia nec mater discordis maesta puellae
Secubitu caros mittet sperare nepotes.
Currite ducentes subtegmina, currite, fusi.

Talia praefantes quondam felicia Pelei
Carmina divino cecinerunt pectore Parcae.
Praesentes namque ante domos invisere castas
Heroum et sese mortali ostendere coetu
Caelicolae nondum spreta pietate solebant.
Saepe pater divom templo in fulgente residens,
Annua cum festis venissent sacra diebus,

Conspexit terra centum procumbere tauros.
Saepe vagus Liber Parnasi vertice summo
Thyiadas effusis euhantes crinibus egit.

* * *

Cum Delphi tota certatim ex urbe ruentes
Acciperent laeti divom fumantibus aris.
Saepe in letifero belli certamine Mavors
Aut rapidi Tritonis era aut Rhamnusia virgo
Armatas hominumst praesens hortata catervas.
Sed postquam tellus scelerest imbuta nefando,
Iustitiamque omnes cupida de mente fugarunt,
Perfudere manus fraterno sanguine fratres,
Destitit extinctos natus lugere parentes,
Optavit genitor primaevi funera nati,
Liber ut innuptae poteretur flore novercae,
Ignaro mater substernens se inpia nato
Inpia non veritast divos scelerare penates:
Omnia fanda nefanda malo permixta furore
Iustificam nobis mentem avertere deorum.
Quare nec tales dignantur visere coetus,
Nec se contingi patiuntur lumine claro.

LXV.

Etsi me adsiduo confectum cura dolore
  Sevocat a doctis, Ortale, virginibus,
Nec potisest dulces Musarum expromere fetus
  Mens animi, (tantis fluctuat ipsa malis:
Namque mei nuper Lethaeo gurgite fratris
  Pallidulum manans adluit unda pedem,
Troia Rhoeteo quem subter litore tellus
  Ereptum nostris obterit ex oculis.

* * *

Adloquar, audiero numquam tua *facta* loquentem,
  Numquam ego te, vita frater amabilior,
Aspiciam posthac. at certe semper amabo,
  Semper maesta tua carmina morte canam,

Qualia sub densis ramorum concinit umbris
Daulias absumpti fata gemens Itylei) —
Sed tamen in tantis maeroribus, Ortale, mitto
Haec expressa tibi carmina Battiadae,
Ne tua dicta vagis nequiquam credita ventis
Effluxisse meo forte putes animo,
Vt missum sponsi furtivo munere malum
Procurrit casto virginis e gremio,
Quod miserae oblitae molli sub veste locatum,
Dum adventu matris prosilit, excutitur:
Atque illud prono praeceps agitur decursu,
Huic manat tristi conscius ore rubor.

LXVI.

Omnia qui magni dispexit lumina mundi,
Qui stellarum ortus comperit atque obitus,
Flammeus ut rapidi solis nitor obscuretur,
Vt cedant certis sidera temporibus,
Vt Triviam furtim sub Latmia saxa relegans
Dulcis amor gyro devocet aerio,
Idem me ille Conon caelesti in lumine vidit
E Beroniceo vertice caesariem
Fulgentem clare, quam cunctis illa deorum
Levia protendens brachia pollicitast,
Qua rex tempestate novo auctus hymenaeo
Vastatum finis iverat Assyrios,
Dulcia nocturnae portans vestigia rixae,
Quam de virgineis gesserat exuviis.
Estne novis nuptis odio venus? anne parentum
Frustrantur falsis gaudia lacrimulis,
Vbertim thalami quas intra lumina fundunt?
Non, ita me divi, vera gemunt, iuerint.
Id mea me multis docuit regina querellis
Invisente novo praelia torva viro.
An tu non orbum luxti deserta cubile,
Sed fratris cari flebile discidium?
Quam penitus maestas excedit cura medullas!

Vt tibi tum toto pectore sollicitae
Sensibus ereptis mens excidit! at te ego certe
  Cognoram a parva virgine magnanimam.
Anne bonum oblita's facinus, quo regium adepta's
  Coniugium, quo non fortius ausit alis?
Sed tum maesta virum mittens quae verba locuta's!
  Iuppiter, ut tristi lumina saepe manu!
Quis te mutavit tantus deus? an quod amantes
  Non longe a caro corpore abesse volunt?
Atque ibi me cunctis pro dulci coniuge divis
  Non sine taurino sanguine pollicita's,
Sei reditum tetulisset. is haut in tempore longo
  Captam Asiam Aegypti finibus addiderat.
Quis ego pro factis caelesti reddita coetu
  Pristina vota novo munere dissoluo.
Invita, o regina, tuo de vertice cessi,
  Invita: adiuro teque tuomque caput,
Digna ferat quod siquis inaniter adiurarit:
  Sed qui se ferro postulet esse parem?
Ille quoque eversus mons est, quem maximum in orbi
  Progenies Thiae clara supervehitur,
Cum Medi peperere novom mare, cumque iuventus
  Per medium classi barbara navit Athon.
Quid facient crines, cum ferro talia cedant?
  Iuppiter, ut Chalybon omne genus pereat,
Et qui principio sub terra quaerere venas
  Institit ac ferri frangere duritiem!
Abiunctae paulo ante comae mea fata sorores
  Lugebant, cum se Memnonis Aethiopis
Vnigena inpellens nictantibus aera pennis
  Obtulit Arsinoes Locridos ales equos,
Isque per aetherias me tollens avolat umbras
  Et Veneris casto collocat in gremio.
Ipsa suum Zephyritis eo famulum legarat,
  Graia Canopieis incola litoribus.
† Hi dii ven ibi vario ne solum in lumine caeli
  Ex Ariadneis aurea temporibus

Fixa corona foret, sed nos quoque fulgeremus
Devotae flavi verticis exuviae,
Vvidulam a fletu cedentem ad templa deum me
Sidus in antiquis diva novom posuit:
Virginis et saevi contingens namque Leonis
Lumina, Callisto iuncta Lycaoniae,
Vertor in occasum, tardum dux ante Booten,
Qui vix sero alto mergitur Oceano.
Sed quamquam me nocte premunt vestigia divom,
Lux autem canae Tethyi restituit,
(Pace tua fari hic liceat, Rhamnusia virgo,
Namque ego non ullo vera timore tegam,
Nec si me infestis discerpent sidera dictis,
Condita quin verei pectoris evoluam):
Non his tam laetor rebus, quam me afore semper,
Afore me a dominae vertice discrucior,
Quicum ego, dum virgo curis fuit omnibus expers,
Vnguenti Suriei milia multa bibi.
Nunc vos, optato quom iunxit lumine taeda,
Non prius unanimis corpora coniugibus
Tradite nudantes reiecta veste papillas,
Quam iocunda mihi munera libet onyx,
Voster onyx, casto petitis quae iura cubili.
Sed quae se inpuro dedit adulterio,
Illius a mala dona levis bibat irrita pulvis:
Namque ego ab indignis praemia nulla peto.
Sed magis, o nuptae, semper concordia vostras
Semper amor sedes incolat adsiduos.
Tu vero, regina, tuens cum sidera divam
Placabis festis luminibus Venerem,
Vnguinis expertem non siris esse tuam me,
Sed potius largis adfice muneribus.
Sidera corruerent utinam! coma regia fiam:
Proximus Hydrochoi fulgeret Oarion!

LXVII.

O dulci iocunda viro, iocunda parenti,
  Salve, teque bona Iuppiter auctet ope,
Ianua, quam Balbo dicunt servisse benigne
  Olim, cum sedes ipse senex tenuit,
Quamque ferunt rursus voto servisse maligno,
  Postquam es porrecto facta marita sene.
Dic agedum nobis, quare mutata feraris
  In dominum veterem deseruisse fidem.
'Non (ita Caecilio placeam, cui tradita nunc sum)
  Culpa meast, quamquam dicitur esse mea,
Nec peccatum a me quisquam pote dicere quicquam:
  Verum istud populi fabula, Quinte, facit,
Qui, quacumque aliquid reperitur non bene factum,
  Ad me omnes clamant: ianua, culpa tuast.'
Non istuc satis est uno te dicere verbo,
  Sed facere ut quivis sentiat et videat.
'Qui possum? nemo quaerit nec scire laborat.'
  Nos volumus: nobis dicere ne dubita.
'Primum igitur, virgo quod fertur tradita nobis,
  Falsumst. non illam vir prior attigerit,
Languidior tenera cui pendens sicula beta
  Numquam se mediam sustulit ad tunicam:
Sed pater illius gnati violasse cubile
  Dicitur et miseram conscelerasse domum,
Sive quod inpia mens caeco flagrabat amore,
  Seu quod iners sterili semine natus erat,
Et quaerendus is unde foret nervosius illud,
  Quod posset zonam solvere virgineam.'
Egregium narras mira pietate parentem,
  Qui ipse sui gnati minxerit in gremium.
Atqui non solum hoc se dicit cognitum habere
  Brixia Cycneae supposita speculae,
Flavos quam molli percurrit flumine Mella,
  Brixia Veronae mater amata meae.
'Et de Postumio et Corneli narrat amore,

Cum quibus illa malum fecit adulterium.'
Dixerit hic aliquis: qui tu isthaec, ianua, nosti?
Cui numquam domini limine abesse licet,
Nec populum auscultare, sed heic suffixa tigillo
Tantum operire soles aut aperire domum?
'Saepe illam audivi furtiva voce loquentem
Solam cum ancillis haec sua flagitia,
Nomine dicentem quos diximus, ut pote quae mi
Speraret nec linguam esse nec auriculam.
Praeterea addebat quendam, quem dicere nolo
Nomine, ne tollat rubra supercilia.
Longus homost, magnas quoi lites intulit olim
Falsum mendaci ventre puerperium.'

LXVIII.

Quod mihi fortuna casuque oppressus acerbo
Conscriptum hoc lacrimis mittis epistolium,
Naufragum ut eiectum spumantibus aequoris undis
Sublevem et a mortis limine restituam,
Quem neque sancta Venus molli requiescere somno
Desertum in lecto caelibe perpetitur,
Nec veterum dulci scriptorum carmine Musae
Oblectant, cum mens anxia pervigilat,
Id gratumst mihi, me quoniam tibi dicis amicum,
Muneraque et Musarum hinc petis et Veneris:
Sed tibi ne mea sint ignota incommoda, Mani,
Neu me odisse putes hospitis officium,
Accipe, quis merser fortunae fluctibus ipse,
Ne amplius a misero dona beata petas.
Tempore quo primum vestis mihi tradita purast,
Iocundum cum aetas florida ver ageret,
Multa satis lusi: non est dea nescia nostri,
Quae dulcem curis miscet amaritiem:
Sed totum hoc studium luctu fraterna mihi mors
Abstulit. o misero frater adempte mihi,
Tu mea tu moriens fregisti commoda, frater,
Tecum una totast nostra sepulta domus,

Omnia tecum una perierunt gaudia nostra,
  Quae tuos in vita dulcis alebat amor.
Cuius ego interitu tota de mente fugavi
  Haec studia atque omnis delicias animi.
Quare, quod scribis Veronae turpe Catullo
  Esse, quod hic quivis de meliore nota
Frigida deserto tepefactet membra cubili,
  Id, Mani, non est turpe, magis miserumst.
Ignosces igitur, si, quae mihi luctus ademit,
  Haec tibi non tribuo munera, cum nequeo.
Nam, quod scriptorum non magnast copia apud me,
  Hoc fit, quod Romae vivimus: illa domus,
Illa mihi sedes, illic mea carpitur aetas:
  Huc una ex multis capsula me sequitur.
Quod cum ita sit, nolim statuas nos mente maligna
  Id facere aut animo non satis ingenuo,
Quod tibi non utriusque petenti copia factast:
  Vltro ego deferrem, copia siqua foret.
Non possum reticere, deae, qua me Allius in re
  Iuverit aut quantis iuverit officiis:
Nec fugiens saeclis obliviscentibus aetas
  Illius hoc caeca nocte tegat studium:
Sed dicam vobis, vos porro dicite multis
  Milibus et facite haec charta loquatur anus
. . . .
  Notescatque magis mortuos atque magis,
Nec tenuem texens sublimis aranea telam
  In deserto Alli nomine opus faciat.
Nam, mihi quam dederit duplex Amathusia curam,
  Scitis, et in quo me corruerit genere,
Cum tantum arderem quantum Trinacria rupes
  Lymphaque in Oetaeis Malia Thermopylis,
Maesta neque adsiduo tabescere lumina fletu
  Cessarent tristique imbre madere genae.
Qualis in aerii perlucens vertice montis
  Rivos muscoso prosilit e lapide,
Qui cum de prona praeceps est valle volutus,

Per medium sensim transit iter populi,
Dulce viatori lasso in sudore levamen,
Cum gravis exustos aestus hiulcat agros:
Hic, velut in nigro iactatis turbine nautis
Lenius aspirans aura secunda venit
Iam prece Pollucis, iam Castoris inplorata,
Tale fuit nobis Manius auxilium.
Is clusum lato patefecit limite campum,
Isque domum nobis isque dedit dominam,
Ad quam communes exerceremus amores.
Quo mea se molli candida diva pede
Intulit et trito fulgentem in limine plantam
Innixa arguta constituit solea,
Coniugis ut quondam flagrans advenit amore
Protesilaeam Laudamia domum
Inceptam frustra, nondum cum sanguine sacro
Hostia caelestis pacificasset eros.
Nil mihi tam valde placeat, Rhamnusia virgo,
Quod temere invitis suscipiatur eris.
Quam ieiuna pium desideret ara cruorem,
Doctast amisso Laudamia viro,
Coniugis ante coacta novi dimittere collum,
Quam veniens una atque altera rursus hiemps
Noctibus in longis avidum saturasset amorem,
Posset ut abrupto vivere coniugio,
Quod scirant Parcae non longo tempore adesse,
Si miles muros isset ad Iliacos:
Nam tum Helenae raptu primores Argivorum
Coeperat ad sese Troia ciere viros,
Troia (nefas) commune sepulcrum Asiae Europaeque,
Troia virum et virtutum omnium acerba cinis,
Quaene etiam nostro letum miserabile fratri
Attulit. ei misero frater adempte mihi,
Ei misero fratri iocundum lumen ademptum,
Tecum una totast nostra sepulta domus,
Omnia tecum una perierunt gaudia nostra,
Quae tuos in vita dulcis alebat amor.

Quem nunc tam longe non inter nota sepulcra
  Nec prope cognatos conpositum cineres,
Sed Troia obscaena, Troia infelice sepultum
  Detinet extremo terra aliena solo.
Ad quam tum properans fertur *simul* undique pubes
  Graeca penetrales deseruisse focos,
Ne Paris abducta gavisus libera moecha
  Otia pacato degeret in thalamo.
Quo tibi tum casu, pulcherrima Laudamia,
  Ereptumst vita dulcius atque anima
Coniugium: tanto te absorbens vertice amoris
  Aestus in abruptum detulerat barathrum,
Quale ferunt Grai Pheneum prope Cylleneum
  Siccare emulsa pingue palude solum,
Quod quondam caesis montis fodisse medullis
  Audit falsiparens Amphitryoniades,
Tempore quo certa Stymphalia monstra sagitta
  Perculit imperio deterioris eri,
Pluribus ut caeli tereretur ianua divis,
  Hebe nec longa virginitate foret.
Sed tuos altus amor barathro fuit altior illo,
  Qui durum domitam ferre iugum docuit:
Nam nec tam carum confecto aetate parenti
  Vna caput seri nata nepotis alit,
Qui, cum divitiis vix tandem inventus avitis
  Nomen testatas intulit in tabulas,
Inpia derisi gentilis gaudia tollens
  Suscitat a cano volturium capiti:
Nec tantum niveo gavisast ulla columbo
  Conpar, quae multo dicitur inprobius
Oscula mordenti semper decerpere rostro,
  Quam quae praecipue multivolast mulier.
Sed tu horum magnos vicisti sola furores,
  Vt semel es flavo conciliata viro.
Aut nihil aut paulo cui tum concedere digna
  Lux mea se nostrum contulit in gremium,
Quam circumcursans hinc illinc saepe Cupido

Fulgebat crocina candidus in tunica.
Quae tamen etsi uno non est contenta Catullo,
Rara verecundae furta feremus erae,
Ne nimium simus stultorum more molesti.
Saepe etiam Iuno, maxima caelicolum,
Coniugis in culpa flagrantem conquoquit iram,
Noscens omnivoli plurima furta Iovis.
Atquei nec divis homines conponier aequomst,
. . . .
. . . .
Ingratum tremuli tolle parentis onus.
Nec tamen illa mihi dextra deducta paterna
Fragrantem Assyrio venit odore domum,
Sed furtiva dedit muta munuscula nocte,
Ipsius ex ipso dempta viri gremio.
Quare illud satis est, si nobis is datur unis,
Quem lapide illa diem candidiore notat.
Hoc tibi, qua potui, confectum carmine munus
Pro multis, Alli, redditur officiis,
Ne vostrum scabra tangat rubigine nomen
Haec atque illa dies atque alia atque alia.
Huc addent divi quam plurima, quae Themis olim
Antiquis solitast munera ferre piis:
Sitis felices et tu simul et tua vita
Et domus, ipsi in qua lusimus et domina,
Et qui principio nobis te tradidit Anser,
A quo sunt primo mi omnia nata bona.
Et longe ante omnes mihi quae me carior ipsost,
Lux mea, qua viva vivere dulce mihist.

LXVIIII.

Noli admirari, quare tibi femina nulla,
Rufe, velit tenerum supposuisse femur,
Non si illam rarae labefactes munere vestis
Aut perluciduli deliciis lapidis.
Laedit te quaedam mala fabula, qua tibi fertur
Valle sub alarum trux habitare caper.

Hunc metuunt omnes. neque mirum: nam mala valdest
Bestia, nec quicum bella puella cubet.
Quare aut crudelem nasorum interfice pestem,
Aut admirari desine cur fugiunt.

LXX.

Nulli se dicit mulier mea nubere malle
Quam mihi, non si se Iuppiter ipse petat.
Dicit: sed mulier cupido quod dicit amanti,
In vento et rapida scribere oportet aqua.

LXXI.

Siquoi iure bono sacer alarum obstitit hircus,
Aut siquem merito tarda podagra secat,
Aemulus iste tuos, qui vostrum exercet amorem,
Mirificost fato nactus utrumque malum.
Nam quotiens futuit, totiens ulciscitur ambos:
Illam adfligit odore, ipse perit podagra.

LXXII.

Dicebas quondam solum te nosse Catullum,
Lesbia, nec prae me velle tenere Iovem.
Dilexi tum te non tantum ut volgus amicam,
Sed pater ut gnatos diligit et generos.
Nunc te cognovi: quare etsi inpensius uror,
Multo mi tamen es vilior et levior.
Qui potisest? inquis. quod amantem iniuria talis
Cogit amare magis, sed bene velle minus.

LXXIII.

Desine de quoquam quicquam bene velle mereri
Aut aliquem fieri posse putare pium.
Omnia sunt ingrata, nihil fecisse benigne

Prodest, immo etiam taedet obestque magis
Vt mihi, quem nemo gravius nec acerbius urget,
Quam modo qui me unum atque unicum amicum habuit.

LXXIIII.

Gellius audierat patruom obiurgare solere,
Siquis delicias diceret aut faceret.
Hoc ne ipsi accideret, patrui perdepsuit ipsam
Vxorem et patruom reddidit Harpocratem.
Quod voluit fecit: nam, quamvis inrumet ipsum
Nunc patruom, verbum non faciet patruos.

LXXVII.

Rufe mihi frustra ac nequiquam credite amico
(Frustra? immo magno cum pretio atque malo),
Sicine subrepsti mei, atque intestina perurens
Ei misero eripuisti omnia nostra bona?
Eripuisti, heu heu nostrae crudele venenum
Vitae, heu heu nostrae pestis amicitiae.
Sed nunc id doleo, quod purae pura puellae
Savia conminxit spurca saliva tua.
Verum id non inpune feres: nam te omnia saecla
Noscent, et qui sis fama loquetur anus.

LXXVIII.

Gallus habet fratres, quorumst lepidissima coniunx
Alterius, lepidus filius alterius.
Gallus homost bellus: nam dulces iungit amores,
Cum puero ut bello bella puella cubet.
Gallus homost stultus nec se videt esse maritum,
Qui patruos patrui monstret adulterium.

LXXVIIII.

Lesbius est pulcher: quid ni? quem Lesbia malit
Quam te cum tota gente, Catulle, tua.
Sed tamen hic pulcher vendat cum gente Catullum,
Si tria notorum savia reppererit.

LXXX.

Quid dicam, Gelli, quare rosea ista labella
Hiberna fiant candidiora nive,
Mane domo cum exis et cum te octava quiete
E molli longo suscitat hora die?
Nescioquid certest: an vere fama susurrat
Grandia te medii tenta vorare viri?
Sic certest: clamant Victoris rupta miselli
Ilia, et emulso labra notata sero.

LXXXI.

Nemone in tanto potuit populo esse, Iuventi,
Bellus homo, quem tu diligere inciperes,
Praeterquam iste tuus moribunda a sede Pisauri
Hospes inaurata pallidior statua,
Qui tibi nunc cordist, quem tu praeponere nobis
Audes, et nescis quod facinus facias.

LXXXII.

Quinti, si tibi vis oculos debere Catullum
Aut aliud siquid carius est oculis,
Eripere ei noli, multo quod carius illi
Est oculis seu quid carius est oculis.

LXXXIII.

Lesbia mi praesente viro mala plurima d
Haec illi fatuo maxima laetitiast.

Mule, nihil sentis. si nostri oblita taceret,
Sana esset: nunc quod gannit et obloquitur,
Non solum meminit, sed quae multo acrior est res
Iratast. Hoc est, uritur et coquitur.

LXXXIIII.

Chommoda dicebat, si quando commoda vellet
Dicere, et insidias Arrius hinsidias,
Et tum mirifice sperabat se esse locutum,
Cum quantum poterat dixerat hinsidias.
Credo, sic mater, sic Liber avonculus eius,
Sic maternus avos dixerat atque avia.
Hoc misso in Syriam requierant omnibus aures:
Audibant eadem haec leniter et leviter,
Nec sibi postilla metuebant talia verba,
Cum subito adfertur nuntius horribilis,
Ionios fluctus, postquam illuc Arrius isset,
Iam non Ionios esse, sed Hionios.

LXXXV.

Odi et amo. quare id faciam, fortasse requiris.
Nescio, sed fieri sentio et excrucior.

LXXXVI.

Quintia formosast multis, mihi candida, longa,
Rectast. haec ego sic singula confiteor,
Totum illud formosa nego: nam nulla venustas,
Nulla in tam magnost corpore mica salis.
Lesbia formosast, quae cum pulcherrima totast,
Tum omnibus una omnes surripuit Veneres.

LXXXVII.

Nulla potest mulier tantum se dicere amatam
Vere, quantum a me Lesbia amata mea's.

Nulla fides ullo fuit umquam foedere tanta,
  Quanta in amore tuo ex parte reperta meast.
Nunc est mens diducta tua, mea Lesbia, culpa, LXXV
  Atque ita se officio perdidit ipsa suo,
Vt iam nec bene velle queat tibi, si optima fias,
  Nec desistere amare, omnia si facias.

LXXVI.

Siqua recordanti benefacta priora voluptas
  Est homini, cum se cogitat esse pium,
Nec sanctam violasse fidem, nec foedere in ullo
  Divom ad fallendos numine abusum homines,
Multa parata manent in longa aetate, Catulle,
  Ex hoc ingrato gaudia amore tibi.
Nam quaecumque homines bene cuiquam aut dicere possunt
  Aut facere, haec a te dictaque factaque sunt;
Omniaque ingratae perierunt credita menti.
  Quare iam te cur amplius excrucies?
Quin tu animo offirmas atque istinc teque reducis
  Et dis invitis desinis esse miser?
Difficilest longum subito deponere amorem.
  Difficilest, verum hoc qua lubet efficias.
Vna salus haec est, hoc est tibi pervincendum:
  Hoc facias, sive id non pote sive pote.
O di, si vestrumst misereri, aut si quibus umquam
  Extremam iam ipsa morte tulistis opem,
Me miserum aspicite (et, si vitam puriter egi,
  Eripite hanc pestem perniciemque mihi),
Ei mihi surrepens imos ut torpor in artus
  Expulit ex omni pectore laetitias.
Non iam illud quaero, contra me ut diligat illa,
  Aut, quod non potisest, esse pudica velit:
Ipse valere opto et taetrum hunc deponere morbum.
  O di, reddite mi hoc pro pietate mea.

LXXXVIII.

Quid facit is, Gelli, qui cum matre atque sorore
Prurit et abiectis pervigilat tunicis?
Quid facit is, patruom qui non sinit esse maritum?
Ecqui scis quantum suscipiat sceleris?
Suscipit, o Gelli, quantum non ultima Tethys
Nec genitor lympharum abluit Oceanus:
Nam nihil est quicquam sceleris, quo prodeat ultra,
Non si demisso se ipse voret capite.

LXXXVIIII.

Gellius est tenuis: quid ni? cui tam bona mater
Tamque valens vivat tamque venusta soror
Tamque bonus patruos tamque omnia plena puellis
Cognatis, quare is desinat esse macer?
Qui ut nihil attingit, nisi quod fas tangere non est,
Quantumvis quare sit macer invenies.

LXXXX.

Nascatur magus ex Gelli matrisque nefando
Coniugio et discat Persicum aruspicium:
Nam magus ex matre et gnato gignatur oportet,
Si verast Persarum inpia relligio,
Navos ut accepto veneretur carmine divos
Omentum in flamma pingue liquefaciens.

LXXXXI.

Non ideo, Gelli, sperabam te mihi fidum
In misero hoc nostro, hoc perdito amore fore,
Quod te cognossem bene constantemve putarem
Aut posse a turpi mentem inhibere probro,
Sed neque quod matrem nec germanam esse videbam

Hanc tibi, cuius me magnus edebat amor.
Et quamvis tecum multo coniungerer usu,
Non satis id causae credideram esse tibi.
Tu satis id duxti: tantum tibi gaudium in omni
Culpast, in quacumque est aliquid sceleris.

LXXXXII.

Lesbia mi dicit semper male nec tacet umquam
De me: Lesbia me dispeream nisi amat.
Quo signo? quia sunt † totidem mea: deprecor illam
Adsidue, verum dispeream nisi amo.

LXXXXIII.

Nil nimium studeo Caesar tibi belle placere,
Nec scire utrum sis albus an ater homo.

LXXXXIIII.

Mentula moechatur. moechatur mentula: certe.
Hoc est, quod dicunt, ipsa olera olla legit.

LXXXXV.

Zmyrna mei Cinnae nonam post denique messem
Quam coeptast nonamque edita post hiemem,
Milia cum interea quingenta Hortensius uno
. . . .
Zmyrna cavas Satrachi penitus mittetur ad undas,
Zmyrnam cana diu saecula pervoluent.
At Volusi annales Paduam morientur ad ipsam
Et laxas scombris saepe dabunt tunicas.
Parva mei mihi sint cordi monumenta *sodalis*,
At populus tumido gaudeat Antimacho.

LXXXXVI.

Si quicquam mutis gratum acceptumve sepulcris
Accidere a nostro, Calve, dolore potest,
Quo desiderio veteres renovamus amores
Atque olim missas flemus amicitias,
Certe non tanto mors inmatura dolorist
Quintiliae, quantum gaudet amore tuo.

LXXXXVII.

Non (ita me di ament) quicquam referre putavi,
Vtrumne os an culum olfacerem Aemilio.
Nilo mundius hoc, niloque immundior ille,
Verum etiam culus mundior et melior:
Nam sine dentibus est: dentes os sesquipedales,
Gingivas vero ploxeni habet veteris,
Praeterea rictum qualem diffissus in aestu
Meientis mulae cunnus habere solet.
Hic futuit multas et se facit esse venustum,
Et non pistrino traditur atque asino?
Quem siqua attingit, non illam posse putemus
Aegroti culum lingere carnificis?

LXXXXVIII.

In te, si in quemquam, dici pote, putide Victi,
Id quod verbosis dicitur et fatuis.
Ista cum lingua, si usus veniat tibi, possis
Culos et crepidas lingere carpatinas.
Si nos omnino vis omnes perdere, Victi,
Hiscas: omnino quod cupis efficies.

LXXXXVIIII.

Surripui tibi, dum ludis, mellite Iuventi,
Suaviolum dulci dulcius ambrosia.
Verum id non inpune tuli: namque amplius horam
Suffixum in summa me memini esse cruce,

Dum tibi me purgo nec possum fletibus ullis
Tantillum vostrae demere saevitiae.
Nam simul id factumst, multis diluta labella
Abstersti guttis omnibus articulis,
Ne quicquam nostro contractum ex ore maneret,
Tamquam conmictae spurca saliva lupae.
Praeterea infesto miserum me tradere Amori
Non cessasti omnique excruciare modo,
Vt mi ex ambrosia mutatum iam foret illud
Suaviolum tristi tristius helleboro.
Quam quoniam poenam misero proponis amori,
Numquam iam posthac basia surripiam.

C.

Caelius Aufilenum et Quintius Aufilenam
Flos Veronensum depereunt iuvenum,
Hic fratrem, ille sororem. hoc est, quod dicitur, illud
Fraternum vere dulce sodalitium.
Cui faveam potius?. Caeli, tibi: nam tua nobis
Per facta exhibitast unica amicitia,
Cum vesana meas torreret flamma medullas.
Sis felix, Caeli, sis in amore potens.

CI.

Multas per gentes et multa per aequora vectus
Advenio has miseras, frater, ad inferias,
Vt te postremo donarem munere mortis
Et mutam nequiquam adloquerer cinerem,
Quandoquidem fortuna mihi tete abstulit ipsum,
Heu miser indigne frater adempte mihi.

* * *

Nunc tamen interea haec prisco quae more parentum
Tradita sunt tristes munera ad inferias,
Accipe fraterno multum manantia fletu,
Atque in perpetuom, frater, ave atque vale.

CII.

Si quicquam tacito conmissumst fido ab amico,
Cuius sit penitus nota fides animi,
Meque esse invenies illorum iure sacratum,
Corneli, et factum me esse puta Harpocratem.

CIII.

Aut, sodes, mihi redde decem sestertia, Silo,
Deinde esto quamvis saevus et indomitus:
Aut, si te nummi delectant, desine quaeso
Leno esse atque idem saevus et indomitus.

CIIII.

Credis me potuisse meae maledicere vitae,
Ambobus mihi quae carior est oculis?
Non potui, nec si possem tam perdite amarem:
Sed tu cum Tappone omnia monstra facis.

CV.

Mentula conatur Pipleum scandere montem:
Musae furcillis praecipitem eiciunt.

CVI.

Cum puero bello praeconem qui videt esse,
Quid credat, nisi se vendere discupere?

CVII.

Siquoi quid cupido optantique obtigit umquam
Insperanti, hoc est gratum animo proprie.
Quare hoc est gratum nobisque est carius auro,
Quod te restituis, Lesbia, mi cupido,
Restituis cupido atque insperanti ipsa refers te.

Nobis o lucem candidiore nota!
Quis me uno vivit felicior, aut magis hac res
Optandas vita dicere quis poterit?

CVIII.

Si, Comini, populi arbitrio tua cana senectus
Spurcata inpuris moribus intereat,
Non equidem dubito quin primum inimica bonorum
Lingua execta avido sit data volturio,
Effossos oculos voret atro gutture corvos,
Intestina canes, cetera membra lupi.

CVIIII.

Iocundum, mea vita, mihi proponis amorem
Hunc nostrum internos perpetuomque fore.
Di magni, facite ut vere promittere possit,
Atque id sincere dicat et ex animo,
Vt liceat nobis tota producere vita
Alternum hoc sanctae foedus amicitiae.

CX.

Aufilena, bonae semper laudantur amicae:
Accipiunt pretium, quae facere instituunt.
Tu quod promisti, mihi quod mentita inimica's,
Quod nec das et fers saepe, facis facinus.
Aut facere ingenuaest, aut non promisse pudicae,
Aufilena, fuit: sed data corripere
Fraudando † efficit plus quam meretricis avarae,
Quae sese toto corpore prostituit.

CXI.

Aufilena, viro contentam vivere solo,
Nuptarum laus e laudibus eximiis:

Sed cuivis quamvis potius succumbere par est,
Quam matrem fratres *efficere* ex patruo.

CXII.

Multus homo es Naso, neque tecum multus homost qui
Descendit: Naso, multus es et pathicus.

CXIII.

Consule Pompeio primum duo, Cinna, solebant
Mucillam: facto consule nunc iterum
Manserunt duo, sed creverunt milia in unum
Singula. fecundum semen adulterio.

CXIIII.

Firmano saltu non falso Mentula dives
Fertur, qui tot res in se habet egregias,
Aucupium, omne genus piscis, prata, arva ferasque.
Nequiquam: fructus sumptibus exuperat.
Quare concedo sit dives, dum omnia desint.
Saltum laudemus, dum modo *eo* ipse egeat.

CXV.

Mentula habes instar triginta iugera prati,
Quadraginta arvi: cetera sunt maria.
Cur non divitiis Croesum superare potissit
Vno qui in saltu totmoda possideat,
Prata, arva, ingentes silvas saltusque paludesque
Vsque ad Hyperboreos et mare ad Oceanum?
Omnia magna haec sunt, tamen ipse's maximus ultro,
Non homo, sed vero mentula magna minax.

CXVI.

Saepe tibi studioso animo venante requirens
  Carmina uti possem mittere Battiadae,
Qui te lenirem nobis, neu conarere
  Telis infestis icere mi usque caput,
Hunc video mihi nunc frustra sumptum esse laborem,
  Gelli, nec nostras hic valuisse preces.
Contra nos tela ista tua evitamus amictu:
  At fixus nostris tu dabi' supplicium.

FRAGMENTA.

1. at non effugies meos iambos.

Porph. ad Hor. c. I, 16, 24: iambici autem versus aptissimi habentur ad maledicendum. * * * denique et Catullus cum maledicta minaretur sic ait e. q. s. — E Porphyrionis commentis fluxit hic v. in anthologiam Cusanam [pg. 110 ed. Klein.].

2. hunc lucum tibi dedico consecroque Priape,
qua domus tua Lampsacist quaque *silva* Priape.
nam te praecipue in suis urbibus colit ora
Hellespontia ceteris ostriosior oris.

Ter. Maur. v. 2755 sqq. affert haec ad exemplum metri Priapei: eiusdem demonstrandi causa promunt primum versum Atilius Fortunatianus pg. 2675. 2676. 2697; Pseudocensorinus 2727; Marius Victorinus 2567. 2598. 2600, qui et illa 'nam te praecipue in suis' et 'Hellespontia ceteris' memorat pg. 2599. V. 2 id quod est 'silva' verissime supplevit Scaliger. Nota in finibus numerorum recurrentia illa Priape Priape et ora oris.

3. – ⏑ – ⏑ ⏑ de mero ligurrire libidost.

Non. pg. 134: ligurrire degustare unde Catullus Priapeo e. q. s. 'Priapeo' Lachmannus, 'Priopo' libri; 'mero' ego, 'meo' v.

4. [⏑ – ⏑ – et Lario inminens Comum.]

Haec ex cod. Vibii Sequestris [Mus. Brit. Add. Mss. 16986, saec. XV] affert Ellissius, cuius ipsa fere appono verba: post illa 'in athamatia lacus lune tenuia ligna accendit ex quo bibens aut insanit aut sopitur' [pg. 12 Burs.] haec habet liber minoribus litteris tanquam perscripta pagina addita, incertum an ab eadem manu: lacus (leg. Larius) Comi, Catullus et L. iminens (inminens Ellissius) C. — Haec etsi apte hipponactei partem complent, tamen propter ea quae Bursianus in praef. de codicibus Vibii disseruit [pg. 12; cf. et. pg. 4 not. 2], vix aliud quam ex 35, 4 Cat. ab interpolatore novello ficta esse facile tibi persuadebis. Et. ipse uncis inclusit Ellissius.

5. Verg. georg. II, 95: quo te carmine dicam, Rhaetica. Ad quae Servius haec adnotat 'hanc uvam Cato praecipue laudat in libris quos scripsit ad filium; contra Catullus eam vituperat et dicit nulli rei esse aptam miraturque cur eam laudaverit Cato. sciens ergo utrumque Vergilius medium tenuit dicens: q. t. c. d., Rh.'

6. Hinc Theocriti apud Graecos, Catulli apud nos proxumeque Vergili incantamentorum amatoria imitatio. Plin. nat. hist. XXVIII, 19.

7. sic sua lascivo cantatast saepe Catullo
femina, cui falsum Lesbia nomen erat,
nec contentus eo multos volgavit amores,
in quibus ipse suum fassus adulteriumst.

Hic quae secundo disticho produntur, certissime demonstrant etiam alia quam quae hodie extant carmina amatoria nec ea nimis pauca in Catulli libro legisse Nasonem.

8. Hinc etiam Catullus cavĕre dixit. Serv. ad aen. III, 409. ita plurimi fervĕre lavĕre.

9. Notandum sane etiam de Iride arcum genere masculino dicere Vergilium: Catullus et alii genere feminino ponunt referentes ad originem, sicut haec Attis et haec Gallus legimus. Serv. ad aen. V, 609.

Alia autem quaedam aliena a Catullo ut parcamus chartae hic addere non vacat, cum praesertim facili opera inveniantur apud Schwabium s. n. IIII. VI. VII. XIII. Praeterea videnda quae notavimus ad LXIIII 107 et 235.

LAEVII CALVI ALIORVM
CARMINVM
RELIQVIAE.

De aequalibus Catulli et studiorum consortibus e multis haec adscribenda duxi veterum testimonia (nam ipsius Catulli praetereo):

Cicero Tusc. III, 19: o poetam egregium (Ennium)! quamquam ab his cantoribus Euphorionis contemnitur.

Idem ad Att. VII, 2: ita belle nobis

'flavit ab Epiro lenissimus Onchesmites.'

hunc σπονδειάζοντα sicui voles τῶν νεωτέρων pro tuo vendita.

Naso Tristium II, 427 sqq.

Sic sua lascivo cantatast saepe Catullo
  Femina, cui falsum Lesbia nomen erat.
Nec contentus eo multos volgavit amores,
430 In quibus ipse suum fassus adulteriumst.
Par fuit exigui similisque licentia Calvi,
  Detexit variis qui sua furta modis.
Quid referam Ticidae, quid Memmi carmen? apud quos
  Rebus adest nomen nominibusque pudor,
437 Et quorum libris modo dissimulata Perillae
  Nomine, nunc legitur dicta, Metelle, tuo.
435 Cinna quoque his comes est, Cinnaque procacior Anser,
  Et leve Cornifici parque Catonis opus:
Is quoque, Phasiacas Argon qui duxit in undas,
440 Non potuit veneris furta tacere suae.
Nec minus Hortensi, nec sunt minus inproba Servi
  Carmina. quis dubitet nomina tanta sequi?
Vertit Aristiden Sisena, nec obfuit illi,
  Historiae turpes inseruisse locos.
445 Non fuit opprobrio celebrasse Lycorida Gallo,
  Sed linguam nimio non tenuisse mero.

E quibus tamen minus ad rem nostram faciunt diversas equidem ob causas Sisena et Gallus. Ceterum conferenda cum his Plinii epistula 3 lib. V, ubi item lascivorum car-

minum auctores enumerantur. Elegos autem amatorios primus instituisse videtur C. Cornelius Gallus.

Plinius ep. I, 16: praeterea facit versus quales Catullus aut Calvus. quantum in illis leporis dulcedinis amaritudinis amoris! inserit sane sed data opera mollibus levibusque duriusculos quosdam, et hoc quasi Catullus aut Calvus. Videnda quae diximus d. r. m. 163.

Gellius n. a. XVIIII, 9: Graeci plusculi — saepe percontabantur Iulianum rhetorem, quid de Anacreonte ceterisque id genus poetis sentiret et ecquis nostrorum poetarum tam fluentes carminum delicias fecisset: 'nisi Catullus' inquiunt 'forte pauca et Calvus itidem pauca. nam Laevius inplicata et Hortensius invenusta et Cinna inlepida et Memmius dura ac deinceps omnes rudia fecerunt atque absona'.

Praeterea legenda cum maxime quae dixit Bernhardyus de isdem poetis h. litt. Lat. pg. 246—248. Nos inter infestas obtrectantium et blandas adsentantium voces quasi inter scopulos eluctantes si nostram quis sententiam interroget, et laudandis illis poetis et carpendis nimios fuisse putamus plerosque. Nam Catullus quin carminum pleraque sua propitio Apolline scripserit quis dubitabit? nec de Laevio et Calvo ac Bibaculo inique existimem; minus longe placent Cinna et Mattius; quamquam in tanta paucitate reliquiarum et de his et de reliquis quorum iam fragmenta exhibemus difficile hercule videtur esse iudicium. Plura ne de cantoribus Euphorionis addam hic loci ea potissimum re prohibeor, quod de rationibus eorum et consiliis cum cura dixi d. r. m. pg. 73—75.

RELIQVIAE POEMATVM.

I. LAEVII.

De Laevio, Varronis ac Lucretii aequale, dixit Weichertus in libro sterilis doctrinae plenissimo, quem de plerorumque poetarum Latinorum Caesari vel Augusto aequalium vitis pariter et carminum reliquiis compositum a. 1830 Lipsiae edidit, pg. 19—88. De eodem cum cura quaesivimus in vol. rei metricae Latinae primo pg. 75 sqq., ubi et fragmentorum potissima collegimus. Praeterea videnda quae de hoc pariter ac de reliquis quorum subiciemus fragmenta expo-

suere Bernhardyus, Baehrius, Teuffelius in libris quibus litterarum latinarum historiam sunt persecuti.

Nota pro Laevii nomine saepissime a librariis substituta Laelii, Laevini, Naevii, Novii, Livii, Pacuvii, non nisi bis terve ut sincerum appareat.

I. EROTOPAEGNIA.

1. nunc quod meum admissum nocens
hostit voluntatem tuam.

Nonius pg. 121: hostire offendere, laedere, Pacuvius (corr. Merc.) erotopaegnion lib. II e. q. s. 'nunc' Bentinus, 'hunc' cdd. sunt iambici dimetri, ut pleraque Laevii.

2. nocte dieque decretum et auctum.

Priscianus pg. 869: a decresco quoque 'decretum' L. protulit in III erotopaegnion e. q. s. De metro nihil certi affirmari potest.

3. meminens Varro corde volutat.

Prisc. pg. 922: memini meminens. L. e. in IIII e. q. s. anapaesticus dimeter. Pro illo 'Varro' quidam cuius nunc nomen excidit 'varo', sine causa.

4. Andromacha per ludum manu
lascivola ac tenellula
capiti meo trepidans, libens
insolita plexit munera.

Prisc. pg. 903: facit et plecto plexi antique. L. in V (VI Caroliruhensis) er. e. q. s. libri quidam 'erotopaegnion te' vel 'de' sive 'erotopaegnionte', mox omnes 'insolito plexi munere'. Corr. Grotius. Sunt autem Hectoris verba. Nota Laevium fabulas priscas in lusum et lasciviam deflectentem.

5. lasciviterque ludunt.

Char. pg. 183 s. v. lasciviter: Laevius ἐρωτοπαιγνίων VI. Est anacreontius.

6. Vénus amóris áltríx genetríx cúp*p*iditátís, mihi
quaé diém serénum hilárula praépándere crésti ópseculaé tuae ác minístrae,
étsí ne utiquám quíd foret éxpavída gravís
dúra fera ásperáque famúltas potuí domínio
ego áccipére supérbo.

Charisius pg. 288 K. 'in pterygio Phoenicis Laevii no-

vissimae odes erotopaegnion' e. q. s. Omnino conferenda quae diximus d. r. m. pg. 116. Pro 'expavida' malim 'experta'. Sunt verba nisi fallor Briseidis. Metrum ionicum a maiori.

---

7. lex Licinia introducitur,
lux liquida haedo redditur.

Gellius II, 24, 8 'huius legis (Liciniae) L. poeta meminit in erotopaegniis' e. q. s. De vocabulo lĭquidus v. d. r. m. 314.

8. nocte ut opertus amictu latibulet.

Nonius pg. 133 'latibulet — pro lateat: Nevius ('Laevius' Mercerus) erotopaecnion' e. q. s. 'Latibulet' Iunius, 'latibuletur' v. De metro certi nihil constat.

Ad erotopaegnia utique etiam pertinuere haec.

9. scabra in legendo reduviosave offendens.

Festus pg. 270 s. v. rediviam: Livi e. q. s. 'Laevius' Scaliger. Hic scazon de prooemio operis potest videri esse sumptus.

10. antipathes illud quaeritor.
philtra omnia undique irruunt:
trochisci, iunges, taeniae,
radiculae, herbae, surculi,
sauri, inlices bicodulae,
hinientium dulcedines.

Appuleius in apol. pg. 460 ed. Oud.: igitur unum etiam poetam Latinum attingam; versus ipsos agnoscent qui Laelium ('Laevium' Lipsius) legere. 'trochiscili unges vel ungues' codd. Flor., corr. Sc. 'sauri' Salmasius, 'saure' vel 'saurę' cdd., 'hinientium' ego, 'hinnientium' cdd.

11. nulla decipula tam insidiosa.

Fronto pg. 13 Nab. praestigiae nullae tam versutae, nulla, ut ait Levius, e. q. s.

12. hac qua sol vagus igneas habenas
inmittit propius iugatque terrae.

Macrob. sat. I, 18, 16 'Liber a Romanis appellatur quod liber et vagus est ut ait Nevius' e. q. s. Laevio Scaliger tribuit hos hendecasyllabos.

13. Venerem igitur almum adorans,
seu femina isve mas est,
ita ut alba Noctilucast.

Macrobius sat. III, 8, 3 de Venere mare ac femina 'Laevinus etiam sic ait' e. q. s. Laevii nomen substituit Hauptius obs. cr. pg. 44, idem 'seu' nec non 'isve' reposuit, nos 'ut' et 'Noctilucast.' cdd. 'sive' 'uti' 'Noctiluca est;' praeterea 'alba' scripsi pro alma.

14. humum umidum pedibus fodit.

Priscianus pg. 718: 'humus humi. hoc etiam neutrum in um desinens invenitur apud veteres, secundum quod oportune hanc declinationem servavit L. in Adone.' Imitatus est Gracchus in Thyeste, cuius eodem l. affert v. Prisc., 'mersit sequentis umidum plantas humum.' Ceterum libri humidum. De apro, qui intercepit Adonim, agitur.

15. Gellius XVIIII, 7:

In agro Vaticano Iulius Paulus poeta, vir bonus et 1
rerum literarumque veterum inpense doctus, herediolum
tenue possidebat. Eo saepe nos ad sese vocabat et oluscu-
lis pomisque satis comiter copioseque invitabat. Atque 2
ita molli quodam tempestatis autumnae die ego et Iulius
Celsinus, cum ad eum cenassemus et apud mensam eius
audissemus legi Laevi Alcestin rediremusque in urbem
sole iam fere occiduo, figuras habitusque verborum nove
aut insigniter dictorum in Laeviano illo carmine rumi-
nabamur. Vt quaeque vox indidem digna animadverti
subvenerat, qua nos quoque possemus uti, memoriae man-
dabamus.
Erant autem verba, quae tunc suppetebant, huiusce- 3
modi:

corpóre (inquit) pectoreque undíque obeso ac
mente éxsensa tardígenuclo
senio óbpressum.

'Obesum' hic notavimus proprie magis, quam usitate di-
ctum pro exili atque gracilento; vulgus enim ἀκύρως vel
κατὰ ἀντίφρασιν 'obesum' pro uberi atque pingui dicit.
Item notavimus, quod 'obliteram' gentem pro 'obliterata' 4
dixit; item, quod hostis, qui foedera frangerent, 'foedi- 5
fragos', non 'foederifragos' dixit; item, quod rubentem 6
auroram 'pudoricolorem' appellavit et Memnonem 'nocti-
colorem'; item, quod 'forte' dubitanter et ab eo, quod 7
est 'sileo', 'silenta loca' dixit et 'pulverulenta' et 'pesti-
lenta' et quod 'carendum tui est' pro 'te' quodque 'magno

8 impete' pro 'impetu'; item quod 'fortescere' posuit pro
9 'fortem fieri' quodque 'dolentiam' pro 'dolore' et 'avens'
10 posuit pro 'libens'; item cur[is] intolerantibus pro 'intolerandis', quodque maniclis, inquit, tenellis pro 'manibus' et quis tam siliceo? Item fiere, inquit,
11 inpendio infit, id est 'fieri inpense incipit'; quodque accipitret posuit pro 'laceret'.
12 His nos inter viam verborum Laevianorum adno-
13 tatiunculis oblectabamur. Cetera enim, quae videbantur nimium poetica et prosae orationis usu alieniora, praetermisimus; veluti fuit, quod de Nestore ait 'trisaeclise-
14 nex' et dulcorelocus, item quod de tumidis magnis-
15 que fluctibus inquit 'mu[l]tigrumis' et flumina gelu con-
16 creta tegimine esse onychino dixit et quae multiplicia ludens conposuit, quale illud est, quod vituperones suos 'subducti supercili carptores' appellavit.

Haec omnia ex eodem cum petita sint carmine, de qua re non licet dubitari, nisi aut socordiae omnem fidem superantis incusabimus Gellium aut foedissimae librarios eius neglegentiae, apparet primum prooemium carmini huic esse additum, in quo se defenderit Laevius contra eos qui amatoria ipsius carmina carperent, deinde opusculum illud haud sane parvi fuisse ambitus et refertum digressionibus. Et Memnonis quidem memoria cum Aurorae videtur fuisse iuncta. Nestoris mentio, in qua agnosces Homeri studiosum [Il. I, 247—252], qui incidere potuerit facile apparet, cum patruelis fuerit Alcestis. Ceterum non ad hunc sed ad Admeti patrem pertinet anapaesticum illud 'corpore pectoreque' e. q. s. Apparet autem vel hac oda quam multiformis metris fuerit L.

De coniectura scripsimus paragr. 3 'tardigenuclus' pro 'tardigenulo', 10 'maniclis' pro manciolis (in arch. erat ni fallor 'mani$\overset{c}{o}$lis') et 13 'dulcorelocus' pro 'dulciorelocus' et 'supercili' pro 'supercilii'. Longior enim forma Varronis aetati non convenit; quod contra recte habet in Priapeo 49, 3 sq. 'non est mentula subducti nostra supercilii', ubi memores fuerunt Laevii verborum interpretes. Buechelerus autem putat hunc uno vocabulo extulisse illud 'subducti supercili carptores', anapaesticum ut aequet dimetrum. Sed ut alia mittam, nullo pacto potest demonstrari fuisse prooemium Alcestis eodem metro quo illa corpore pectoreque e. q. s. composita. Ceterum lubricum erit et aleae plenum ex capite Gellii quod supra posui de universo dictionis Laevianae genere velle statuere, cum ille, ut non satis innutritus lectioni poetarum, certe dactylicorum, haud pauca afferat ut mira et singularia, quae apud plerosque alios inveniuntur.

16. ubi echo
saepta petris ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑

Festus pg. 206 Levius in Centauris (de petra naturali saxo) 'ubi ego saepe petris.' corr. Scaliger. Naso metam. l. XII v. 211 sq. de re eadem 'nubigenas — arboribus tecto discumbere iusserat antro.'

17. tu qui permensus ponti maria alta *carina*
velivola.

Macrobius sat. VI, 5, 10 ad illud Vergilii 'despiciens mare velivolum' Livius in Helena e. q. s. Laevio sat probabiliter tribuit Ribbeckius; ego ad metrum fulciendum addidi illud 'carina'. Videntur esse verba Helenae alloquentis Paridem.

18. seseque in alta maria praecipem immisit,
mente impos, aegra sanitatis herois.

Prisc. pg. 725 vetustissimi etiam praecipis genetivum. — Laevius in Inone. 'Seseque' Scaliger, qui choliambos agnovit; 'immisit, mente' ipse addidi.

PROTESILAVDAMIA.

Etiam in hac oda epyllii instar fata Protesilai et Laudamiae longiore videtur esse persecutus ambage a primo inde amore usque ad obitum amborum. Titulus autem ut apud eundem Sirenocircae vel apud Varronem Oedipothyestae, forma ipsa in brevius coartata ut tragicomoedia, idolatria, similia.

19. inibi inruunt cachinnos
ioca dicta risitantes.

Nonius 209 s. v. iocus 'Nevius Protesilaodam' e. q. s. 'Laevius' Osannus, 'Protesilaodamia' Carrio; 'inibi' ego, 'iniunt' cdd., Vossius 'in eum'; porro libri 'riisitantis', 'missitantes' Bothius, fortasse recte. Hos anacreontios ad amorum turbam circumvolitantem Protesilaum cum Laodamia sive ad homines in nuptiis eorundem praesentes et fescenninam licentiam exercentes retulerim.

20. complexa somno corpora
operiuntur ac suavi quie
dicantur.

Priscianus ubi asserit illud quies etiam quintam sequi declinationem pg. 703: 'Laevius (ita Osannus; cdd. fere 'Nevius')

Protesilaudamia' e. q. s. ('Protesilaodamia' Putschius; libri plerique 'protesilao laudamia'). Illud 'quie' dativus est; praeterea notandum tetrasyllabum 'operiuntur'. Cf. d. r. m. 249. Ad noctem nuptialem Protesilai et Laudamiae haec spectant.

21. Gellius XII, 10: Laevius quoque, ut opinor, in Protisilaodamia 'claustritumum' dixit, qui claustris ianuae praeesset, eadem scilicet figura qua aeditumum dici videbat, qui aedibus praeest. — Fortasse de custode Laudamiae agitur.

22. gracilenti' colorem.
ex hoc gracilans fit.

Nonius pg. 116 s. v. gracilitudo: Nevius Protesilaodemia (correxere Osannus et Carrio) gracilentis colorem, dum ('idem' Vossius) ex hoc gracilans fit. Ad Laudamiam amore absentis coniugis confectam haec pertinent. Metrum fortasse idem quod habes in Sapphus fragmento 51 ap. Bergkium ed. III.

23. num quaepiam alia de Ilio
Asiatico ornatu adfluens
aut Sardiano ac Lydio
fulgens decore et gratia
pellicuit?

Priscianus pg. 877: pellicui pro pellexi. Laevius in Laudamia aut e. q. s. Illud 'aut' ut ex sequente ortum sive corruptum ex 'ait' et indignum prorsus Laevio delevimus, idem 'num' posuimus pro 'nunc'; 'de Ilio' Scaliger, 'te illo' cdd., 'gratia' lex. Vaticanum in A. Mai auct. class. tom. VIII. pg. 417, 'gloria' libri Prisciani. Sunt verba Laudamiae, de perfidia mariti absentis quae suspicatur.

24. cupidius miserulo obito.

Priscianus pg. 869: obitus ὁ τεθνεώς — Laevius in Protesilao e. q. s. De Protesilao qui sponte se obtulit morti pro Grais agitur. Metrum incertum.

SIRENOCIRCA.

25. nunc Laertie belle para
ire Ithacam.

Prisc. 739 de vocativo in ie exeunte agens: Laevius in Sirenocirca e. q. s. 'Sirenocirca' Hertzius, sireno circa libri.

Quantum ad rem, vid. odyss. X, 471 sqq. Videntur esse tetrametri dactylici catalectici.

26. delphino cinctis vehiculis hippocampisque asperis.

Nonius pg. 120 s. v. hippocampi: Naevius Sirenociter e. q. s. ('L.' Hermannus, cdd. 'Naeusus' vel 'Nevius', 'Sirenocirce' ego, quod postea firmatumst Lugdunensi et Bambergensi libris, in quibus legitur 'Sirenocirces' fortasse rectius). De Neptuni videtur agi curru.

II. POLYMETRI.

27. omnes sunt denis syllabis versi.

Priscianus pg. 712: versi pro versus — 'L. in p.' e. q. s.

Carmen de pullis, quod plerique etiam tribuere Laevio (eius tria extant fragmenta apud Nonium pg. 72. 139. 513), potius ad Sueium auctorem referendum alibi conprobabitur.

II. C. LICINIVS CALVVS.

De C. Licinio Calvo oratore ac poeta eodemque et aequali et amico Q. Catulli cui et studiorum ratione et brevitate vitae fuit simillimus dixerunt Weichertus in libro supra memorato pg. 89—146, Ellendtius in prolegomenis ad Ciceronis Brutum 118—124, Schwabius in vita Catulli 252—55.
Fragmenta eius ante nos collegerunt Lachmannus in appendice libri Catulliani et Weichertus in scripto quod modo indicavi. Nos in recensendis reliquiis eius servavimus eum ordinem, quem habes in Catulli sylloge.

I. HENDECASYLLABI ET ID GENVS ALIA.

1. et talos Curius pereruditus.

Ascon. Pedianus ad Cic. or. in toga candida pg. 95 ed. Or.: Curius hic notissimus fuit aleator damnatusque postea est. 'Talos' scripsi, 'talus' ed. princ., 'talis' vulgo.

2. durum rus fugis et laboriosum.

Gellius VIIII, 12, 10: C. Calvus in poematis. 'fugit' Hertzius de coniectura. Et sane legitur ap. Non. pg. 133: Gallus poematis 'durum rus fugite l.'

3. Sardi Tigelli putidum caput venit.

Porph. ad Hor. S. I, 3, 1: 'at Licinius Calvus de eodem Hermogene loquens' e. q. s. — Huc pertinet illud M. Tullii in ep. ad diversos VII, 24 'eumque addictum iam tum puto esse Calvi Licini hipponacteo praeconio'. — Ceterum illud Tigelli putidum caput adeo placuit Maroni ut bis imitaretur catal. 3, 2. 4, 1 'generque Noctuine putidum caput' 'superbe N. p. c.'

4. *lilium* vaga candido
nympha quod secet ungui.

Charisius pg. 120 s. v. ungui. Fortasse ex epithalamio ducta verba, sicut Catullus eodem metro carmen tale exaravit. Quantum ad rem cf. Sapph. frg. 94 ed. Bergk. III. Cat. 11, 22 sqq. 'Lilium' add. Broukhusius.

II. HEXAMETRI.

5. Hesperium ante iubar quatiens.

'C. in epithalamio' Priscianus 658. De Lucifero eodemque Vespero agitur.

Ex epithalamiis etiam videntur sumpta haec:

6. et leges sanctas docuit et cara iugavit
corpora conubiis et magnas condidit urbes.

Serv. ad aen. VIII, 58 'alii dicunt favere nuptiis Cererem quod prima nupserit Iovi et condendis urbibus praesit ut C. docet'. Cet. quantum ad illud conŭbiis cf. d. r. m. 258.

7. hunc tanto munere digna.

Servius ad aen. XI, 169 'non alio digner te funere': alii dignem legunt iuxta veteres ab eo quod est digno. C. e. q. s. — De marito futuro ni fallor dicta haec.

8. pollentemque deum Venerem.

Macr. sat. III, 8, 2 ad illud [aen. II, 632] ducente deo 'nam et apud Calvum Aterianus adfirmat legendum 'p. d. V.', non deam.' Affert verba supra posita et Servius ad eundem Vergilii versum. Sed enim magis erit dignum poeta elegantissimo statui illud deum esse genetivum, sicut visum plerisque. Potest autem hoc fragmentum etiam ad Io pertinere.

Epyllii quod de Io composuit Licinius fragmenta sat pauca eo ordine disposuimus quo venisse ab eo videbatur esse probabile.

9. a virgo infelix, herbis pasceris amaris.

Servius ad illa Maronis [ecl. 6, 47] 'a virgo infelix': C. in Io e. q. s. Imitatus est Naso met. I, 632 'frondibus arboreis et amara pascitur herba'. Cui saepius in describendis Ius fatis obversatum esse Calvi opusculum haud sane abhorret a vero. In primori libro hunc versum fuisse apparet.

10. mens mea dira sibi praedicens omnia vecors.

Probus pg. 1405 de iambico 'sibi' agens: C. in Io e. q. s. Ad Iunonem verba refero, quae ap. Nas. suspicata de furto Iovis ait 'aut ego fallor aut ego laedor'. Quamquam possunt etiam pertinere ad Io fugituram Iovem. Ceterum apud Keilium legitur vaecors. Male Weichertus 'omina' pro eo quod est omnia.

11. cum gravis ingenti conivere pupula somno.

Priscianus pg. 866: 'Calvus conivere infinitum secundum tertiam coniugationem correpta paenultima protulit' e. q. s. — 'urgenti' N. Heinsius, ingeniose ut solet, sed vix recte. Loquitur C. de Argo sopito a Mercurio.

12. frigida iam celeri peragrata Borusthenis ora.

Probus pg. 1394: 'is syllaba nominativi casus brevis est — ut Calvus in Io' e. q. s. 'celeri peragrata Borysthenis' Parrhasius, 'celeris uergatur. uistinis' codex; 'celeri superata' Keilius. Apparet haec ad errores Ius pertinere. Ceterum male fallitur Pseudoprobus.

13. sol quoque perpetuos meminit requiescere cursus.

Servius ad illud [buc. 8, 4] 'et mutata suos requierunt flumina cursus'. Videntur esse verba Ius finem errorum precantis.

14. partus gravido portabat in alvo.

Charisius pg. 61 'alvum — masculine Calvus' e. q. s. Nempe Io ex Iove Epaphum conceperat.

15. Fortasse etiam ex Io petita sunt illa scholiastae Bernensis ad georg. I, 125 'dicunt Iovem commutasse omnia, cum bonus a malo non discerneretur, terra omnia liberius ferente, quod Calvus canit. Iunilius dicit'.

III. DISTICHA.

16. cum iam fulva cinis fuero.

Char. pg. 78 'feminino genere dixit cinerem ut Calvus in carminibus' e. q. s. Nonius pg. 198 'cinis — feminino apud Caesarem et Catulum et Calvum lectum est, quorum vacillat auctoritas: cum iam fulva cinis fueris'. Ibi illud 'fuerit' est in Guelph. Cet. cf. ann. philol. a. 1868 pg. 439.

17. forsitan hoc etiam gaudeat ipsa cinis.

Char. l. m.

Pertinent haec fragmenta ad carmina quibus Quintiliam immaturo funere raptam celebravit Licinius. Ceterum eum ne in eroticis quidem dissimilem fuisse Catulli testatur Ovidius Trist. II, 431.

18. Magnus, quem metuunt omnes, digito caput uno
scalpit. quid credas hunc sibi velle? virum.

Schol. Lucani ad VII, 726, ubi Martiali tribuitur ac legitur 'homines' et 'quid dicas'. Sen. controv. pg. 211 Burs.: et carmina quoque (Calvi), quamvis iocosa sint, plena sunt ingentis animi. dicit de Pompeio 'digito' e. q. s. 'quo' cod. vetustissimus, idem 'belle'. Idem pg. 301: in Cn. Pompeium terra marique victorem fuit qui carmen componeret, uno ut ait digito capud scalpentem. Quantum ad crimen Pompeio obiectum, videnda Ammiani Marcellini XVII, 11; Iuv. VIIII, 133; scholiorum Lucani l. m.; Weicherti lib. pg. 134.

19. Bithynia quidquid
et pedicator Caesaris umquam habuit.

Suet. v. Caesaris c. 49. Idem 73: C. Calvo post famosa epigrammata de reconciliatione per amicos agenti ultro ac prior scripsit (Caesar).

20. Valde dubium poematis eius adtribuendum sit necne illud quod affert Charisius pg. 59: unde perspicuum est Calvum ad amicos non recte dixisse 'ne triclinarius', cum 'triclinaris' dicere debuisset. Certe libellus ad uxorem, cuius meminit Diomedes pg. 372 videtur fuisse pedestri sermone scriptus. — Magis etiam incerta quae in scholiis Bernensibus adscripta sunt ad georg. II, 94 'temptatura pedes olim vincturaque linguam'. Sunt enim haec 'hos versus a *Calvo poeta* transtulit. ait enim ille: lingua vino temptan-

tur et pedes'. Quamquam si libebit ariolari, possis refingere scazontum partes ita:

lingua vincitur
vino et pedes temptantur.

III. C. HELVIVS CINNA.

Disputavit de eo Weichertus pg. 147—202.

I. POEMATA.

1. at nunc me Genumana per salicta
bigis raeda rapit citata nanis.

Gellius XVIIII, 13, 5: esse hoc verbum (de nano agitur) latinum scriptumque inveniri in poematis Helvi Cinnae, non ignobilis neque indocti poetae, versusque eius ipsos dixit, quos quoniam memoriae mihi forte aderant adscripsi e. q. s. Genumana hoc est Cenomana. Ceterum illud 'reda' dedit Hertzius.

2. somniculosam ut Poenus aspidem Psyllus.

Gellius VIIII, 12, 12 (ubi demonstratur somniculosum etiam vocari quod somnum afferat): Cinna in poematis e. q. s.

3. haec tibi Arateis multum vigilata lucernis
carmina, quis ignes novimus aerios,
levis in aridulo malvae descripta libello
Prusiaca vexi munera navicula.

Isidorus orig. VI, 12 (ubi docet etiam in textilibus malvarum foliis scribi solitum): cuius generis Cinna sic meminit
aratis m. 2
e. q. s. 1. 'tibi' om. Guelph.; 'areteis' G. areteis Monac.; 'vigilata' Stephanus, 'invigulata' Guelph., 'invigilata' M., 'invigiliata' Paris. 2. 'aerios' libri, 'aetherios' Weichertus. Sed nescio an retineri possit vulgata; videnda quae nuper notavimus ad Hor. c. I, 28, 5. 3. 'discripta' G. M. P. 4. 'vix' G. Ceterum de Arati carminibus dono missis amico cuidam agitur.

4. saecula permaneat nostri Dictynna Catonis.

Suet. de gramm. pg. 109 R. Dianae (poematis Catoniani) Cinna (meminit) e. q. s.

5. _ ᴗ ᴗ _ miseras audet galeare puellas.

Nonius pg. 87 s. v. clipeat: ita et galeare. Cinna in epigrammatis e. q. s.

6. Alpinaque cummis.

Nonius 202. cummi generis neutri, ut est usu monoptoton; tamen feminini Cinna Alpinaque cummi (corr. Leopardus), ut sit genetivus eius huius cummis, ut puppis, febris, pelvis.

7. atque imitata nives lucens legitur crystallus.

Schol. Iuv. ad 6, 155 [pg. 244 ed. I.]: sic et Cinna dicit e. q. s. 'Lucens' Rutgersius, 'ludens' cdd., 'ridens' nos d. r. m. 143, fortasse recte.

II. ZMYRNA.

8. te matutinus flentem conspexit Eous,
et flentem paullo vidit post Hesperus idem.

Servius ad georg. I, 288: Eous, id est Lucifer, de quo etiam Cinna in Smyrna sic ait e. q. s. Haec imitatus esse videtur auctor de rosis [Meyer anth. lat. 1023] v. 45, 46. Zmyrnae errabundae angores et sollicitudines describit Cinna.

9. at scelus incesto Zmurnae crescebat in alvo.

Priscianus pg. 718 (ubi agit de masculino alvus): Cinna in Smyrna e. q. s. 'Smyrnae' verissime Burmannus ad Ov. met. X, 298; 'cinnae' fere libri. idem v. a Charisio affertur pg. 61 ubi legitur 'incestum turpi'. Agitur de Adoni.

10. Char. pg. 73: Cinna autem in Zmyrna huius 'tabis' dixit nullo auctore. Idem 118: huius 'tabis' Cinna in Smyrna dixit, nullo ante se usus auctore.

III. PROPEMPTICON POLLIONIS.

11. nec tam donorum ingenteis mirabere acervos
innumerabilibus congestos undique saeclis
iam inde a Belidis natalique urbis ab anno
Cecropis atque alta Tyrii iam ab origine Cadmi.

Charisius pg. 99: Belidis C. in propemptico Pollionis e. q. s. patronymice dixit Belidis, ut urbis. — Egregie fallitur grammaticus. 'Tyrii iam' scripsi, 'Tyriam' vel Tyrium cod. Cet. cf. eund. gr. pg. 108, 109.

12. atque anquina regat stabilem fortissima cursum.

Isidorus etym. XVIIII, 4: anquina qua ad malum antenna constringitur, de qua Cinna e. q. s. Illud 'atque' om. Guelph.; 'regat' scripsi, 'regnat' G., 'regit' vulgo. Hunc v. propemptico tribuit Weichertus.

Quae idem Isidorus affert sub Cinnae nomine XVIIII, 2 et 33 ex Catulli carmine 64 sunt petita.

IIII. M. FVRIVS BIBACVLVS.

Dixit de eo Weichertus pgg. 331—364.

1. siquis forte mei domum Catonis,
depictas minio assulas et illos
custodis videt hortulos Priapi,
miretur quibus ille disciplinis
tantam sit sapientiam adsecutus,
quem tres cauliculi, selibra farris,
racemi duo tegula sub uda
ad summam prope nutriant senectam.

Suet. de gramm. pg. 109 Reiff. agitur de Catone grammatico. V. 2 'assulas' Beroaldus, 'asillas' 'assylas' 'assyllas' cdd. 3. 'custodes hortuli Priapos' Scal., 'hortulos Priapi' libri. 4. 'miretur' Perizonianus, 'miratur' vulgo. 7. 'uda' N. Heinsius, 'una' cdd.

2. Catonis modo, Galle, Tusculanum
tota creditor urbe venditabat.
mirati sumus unicum magistrum,
summum grammaticum, optimum poetam
omnes solvere posse quaestiones,
unum deficere expedire nomen.
en cor Zenodoti, en iecur Cratetis!

Suet. pg. 110 statim post prius frgm. subicit 'et rursus' e. q. s. Illa 'iecur Cratetis' ex Suetoni libro affert Probus Cath. 1474. 'Deficere' Toupius, 'difficile' libri.

3. Cato grammaticus, latina Siren,
qui solus legit ac facit poetas.

Hi versus a Suetonio pg. 109 equidem sine nomine auctoris citantur,' sed eos referendos videri ad Furium Burmanno Secundo [anth. lat. I, 422] adsentior.

4. duplici toga involutus.

Char. pg. 101: duplici Bibaculus, d. inquit t. i. Est autem anacreontius. Ceterum haec verba ex eodem ut puto Charisio ducta bis leguntur in glossis Salomonis cod. Monac. lat. 14429, ubi narratur Livius Andronicus tragoedias comoediasque primus egisse d. t. i. ('incolatus' sive 'infolatus' liber scriptus); vide quae dixit Vsenerus m. rh. XXII, 446.

5. nam meo grabato.

Auctor de dubiis nominibus ap. Keilium gr. lat. V, 573 'crabatum (crebattum cdd.) antiqui, nunc grabatum, generis neutri, ut Bibaculus (ita Clericus, cdd. Babiculus) e. q. s. partem hendecasyllabi vel anacreontii esse puto. grabatus etiam ap. Catullum extat 10, 22.

6. Orbilius ubinamst, litterarum oblivio?

Suet. pg. 107: vixit prope (Orbilius) ad centesimum aetatis annum amissa iam pridem memoria ut versus Bibaculi docet e. q. s. Cf. Weicherti librum pg. 357.

7. Osce senex, Catinaeque puer, Cumana meretrix.

Schol. ad Iuv. 8, 16 [pg. 291 ed. Iahn.]: Catina oppidum Siciliae usque ad probra dissolutum notatur, ut et Bibaculus e. q. s. 'Bibaculus' Pithoeus, cdd. 'Vibaculus' vel 'Vibalus'; 'oste' idem, correxit Pith.

8. Quintilianus X, 1, 96: iambus non sane a Romanis celebratus est ut proprium opus, quibusdam interpositus; cuius acerbitas in Catullo, Bibaculo, Horatio, quamquam illi epodos interveniat, reperietur.

9. Tac. ann. IIII, 34: carmina Bibaculi et Catulli referta contumeliis Caesarum leguntur.

Ceterum nihil, me quidem si audies, ad Bibaculum nostrum pertinent illa quae ex Alpini cuiusdam sive Furii versibus memorat Hor. s. I, 10, 36, 37; II, 5, 39, 40, 41.

V. CN. MATIVS.

Dixit de eo Wernsdorfius poet. lat. min. IIII, 568 sqq.

Cn. Matius sive Mattius (nam variant codices) scripsit Hipponactem secutus, quibus hominum vitia carperet, mimiambos, eodem quo ille versuum genere usus, ut testatur Terentianus v. 2416 sqq.

hoc mimiambos Mattius dedit metro:
nam vatem eundem iste Attico thymo tinctum
pari leporest consecutus et metro.

Fuit autem aequalis ferme Laevii.

1. nuper die quarto ut recordor et certe
aquarium urceum unicum domi fregit.

Gellius X, 24, 10 '*die* quarto autem Cn. Matius homo impense doctus in mimiambis pro eo dicit, quod 'nudius quartus' nos dicimus.' A Gellio sumpsit Macrobius sat. I, 4, 24.

2. iam iam albicascit Phoebus et recentatur;
commune lumen hominibus voluptatist.

3. quapropter edulcare convenit vitam
curasque acerbas sensibus gubernare.

2. 3. Gellius XV, 25. Cn. Matius, vir eruditus, in mimiambis suis non absone finxit recentatur pro eo quod Graeci dicunt ἀνανεοῦται e. q. s. idem Matius in isdem mimiambis edulcare dicit quod est dulcius reddere e. q. s.

'Voluptatist' ego, 'voluptatis' Hertzius, cdd. 'et voluptatis'; vulgo 'voluptasque'. Ceterum affert haec ex Gellio Nonius pg. 167 s. v. recentare et 106 s. v. edulcare; ubi in priore frgm. leg. 'Maccius', omissa 'Phoebus' nec non 'voluptatis', in posteriore habetur 'Mattius' 'plurasque', denique libris Bamberg., Leidensi altero et Guelpherb. 'senibus'.

Nota tmesin in praepositione verbi quod est edulcare.

4. sinuque amicam refice frigidam caldo
columbulatim labra conserens labris.

5. iam tonsiles tapetes ebrii fuco
quos concha purpura imbuens venenavit.

4. 5. Gellius XX, 9: qualibus verbis delectari solitus sit Antonius Iulianus positis in mimiambis *Cn. Matii* et quid

significet M. Cato in oratione quam scripsit de innocentia sua, cum ita dictitat 'numquam vestimenta a populo poposci' e. q. s. Cf. M. Rh. XXIIII, 331. — Fr. 4 'refice' Scal., 'reficere' cdd.

6. in milibus tot non videbitis grossum.

7. sumas ab alio lacte diffluos grossos.

6. 7. Macrobius sat. III, 19, 5: lacte proprie ficorum dicitur. grossi appellantur fici quae non maturescunt e. q. s. Mattius [6] et paulo post ait [7].

Priore loco post illud 'tot' add. cdd. 'ficorum'; del. Bothius.

8. pressusque labris unus acinus arebat.

Nonius pg. 193 acinus masculino M. Tullius — Mattius obscurae auctoritati e. q. s. Scripsi illud Mattius pro eo quod est in cdd. 'et alii', cf. d. r. m. 30.

Fragmenta Iliadis Homericae ab eodem ut videtur Mattio conversae in Latinum sermonem hic loci addi non ex re existimavi. Nihil autem ad mimiambos hos facit fragmentum illud quod legitur apud Priscianum pg. 722 'meos hortulos plus stercoro quam holero', ubi plura de eo affert Hertzius. Omnino verba ista inepta numero choliambico, quae sive Prisciani sive librariorum culpa perperam adscripta esse existimo Mattio.

VI. CORNIFICIVS.

Egere de C. Weichertus pg. 165, Schwabius pg. 298 sqq.

I. HENDECASYLLABI.

1. deducta mihi voce garrienti.

Macrobius sat. VI, 4, 12: deductum pro tenui et subtili eleganter positum est — apud Cornificium e. q. s.

II. HEXAMETRI.

2. – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ Centauros foedare bimembres.

Macrobius VI, 5, 13 ad illud [aen. VIII, 293] 'tu nubi*genas in*victe bimembres' Cornificius in Glauco e. q. s.

Hoc quin epyllium fuerit quale Cinnae Zmyrna, Calvi Io equidem nullus dubito. Videtur Glauci Pontii fata descripsisse Cornificii, quem et M. Tullius puer teste Plutarcho [v. C. 2] carmine celebraverat et quidem versibus quadratis. Centaurorum mentio unde evenerit, perspicere non iam licet. Foedare dictum ut apud Maronem 'inpulerat ferro Argolicas foedare latebras'.

3. Hieronymus ad a. u. 713 [Suet. rel. ed. Reiff. pg. 41]: Cornificius poeta a militibus desertus interiit, quos saepe fugientes 'galeatos lepores' appellarat. Huius soror Cornificia, cuius insignia extant epigrammata.

VII. TICIDA.

Dixit de T. Weichertus pg. 361.

1. Lydia doctorum maxima cura liber.

Suet. de gramm. pg. 109 Reiff. De Catonis grammatici carmine agitur.

2. felix lectule talibus
sole amoribus.

Priscianus pg. 673: 'sole' quoque antiqui. Ticidas in hymenaeo e. q. s. 'antiqui. Ticidas' Hertzius (et Ticidae nomen olim inventum), 'atticidas' vel similia cdd. Malim tamen 'Ticida'. Nota idem in simili carminis genere metrum a Catullo adhiberi. Cf. et Calvi fr. 4.

Praeterea Perillae nomine dixit Metellam.

VIII. C. MEMMIVS.

Dixit de eo Meyerus comm. in Brutum Ciceronis pg. 204. Schwabius 158 sqq.

1. ardua ne nitens fortunae escendere cliva.

Non. pg. 194 s. v. clivus: neutri apud Memmium invenitur, cuius auctoritas dubia est e. q. s. Codd. 'ne ardua';

minus recte, nisi fallit me sententia, olim [d. r. m. 115] dimetros anapaesticos constitueram.

VIIII. Q. HORTENSIVS ORTALVS.

Cf. Luzacii libr. de H. pg. 110, Schwabii quaest. Cat. 271 sq.

Ex plurimis quae Q. Hortensius nobilis ille M. Ciceronis in laude oratoria aemulus olim composuit carminibus — nam eum quingenta per singulos annos versuum milia effundere solitum iocatur Catullus — nihil ad nos pervenit in quantum mihi constat nisi quod M. Varro in l. d. l. l. VIII [pg. 402 Sp.] cervicem singulari numero eum dixisse adserit in poematis. Huc respexit idem l. X [pg. 588] et Quintilianus l. VIII [3, 35].

X. INCERTI AVCTORIS EPIGRAMMA DE RVFO.

ciconiarum Rufus iste conditor,
idem duobus elegantior Plancis,
suffragiorum puncta non tulit Saeptis:
ciconiarum populus ultus est mortem.

Porph. ad Hor. sat. II, 2, 50: Rufus praetorius instituisse traditur, ut ciconiarum pulli manducarentur; isque cum repulsam in praetura tulisset, tale epigramma meruit e. q. s. V. 2 'idem' scripsi, cdd. 'hic e' vel 'hic ei'. 'Saeptis' Oudendorpius, qui punctum figit post illud 'tulit', 'septem' libri.

PRIAPEA.

I.

Carminis incompti lusus lecture procaces,
  Conveniens Latio pone supercilium.
Non soror hoc habitat Phoebi, non Vesta sacello,
  Nec quae de patrio vertice nata deast,
Sed ruber hortorum custos, membrosior aequo,
  Qui tectum nullis vestibus inguen habet.
Aut igitur tunicam parti praetende tegendae,
  Aut quibus hanc oculis adspicis, ista lege.

II.

Ludens haec ego teste te, Priape,
Horto carmina digna, non libello
Scripsi non nimium laboriose.
Nec Musas tamen, ut solent poetae,
Ad non virgineum locum vocavi:
Nam sensus mihi corque defuisset,
Castas, Pierium chorum, sorores
Auso ducere mentulam ad Priapi.
Ergo quidquid id est, quod otiosus
Templi parietibus tui notavi,
In partem accipias bonam, rogamus.

III.

OVIDII.

Obscure poteram tibi dicere 'da mihi, quod tu
  Des licet adsidue: nil tamen inde perit.
Da mihi, quod cupies frustra dare forsitan olim,
  Cum teget obsessas invida barba genas,

Quodque Iovi dederat, qui raptus ab alite sacra
Miscet amatori pocula grata suo;
Quod virgo prima cupido dat nocte marito,
Dum timet alterius volnus inepta loci.'
Simplicius multost 'da pedicare' latine
Dicere. Quid faciam? crassa Minerva meast.

IIII.

Obscaenas rigido deo tabellas
Dicans ex Elephantidos libellis
Dat donum Lalage, rogatque temptes,
Si pictas opus edat ad figuras.

V.

Quam puero legem fertur dixisse Priapus,
Versibus hic infra scripta duobus erit:
Quod meus hortus habet, sumas inpune licebit;
Si dederis nobis, quod tuus hortus habet.

VI.

Quom sim ligneus, ut vides, Priapus
Et falx lignea ligneusque penis,
Prendam te tamen et tenebo prensam,
Totamque hanc sine fraude, quantacumquest,
Tormento citharaque tensiorem
Ad costam tibi septimam recondam.

VII.

Cum loquor, una mihi peccatur litera: nam te
Pe dico semper, blaesaque lingua meast.

VIII.

Matronae procul hinc abite castae:
Turpest vos legere inpudica verba.

Non assis faciunt euntque recta.
Nimirum sapiunt videntque magnam
Matronae quoque mentulam libenter.

VIIII.

Cur obscaena mihi pars sit sine veste, requiris:
  Quaere, tegat nullus cur sua signa deus.
Fulmen habet mundi dominus; tenet illud aperte:
  Nec datur aequoreo fuscina tecta deo.
Nec Mavors illum, per quem valet, occulit ensem,
  Nec latet in tepido Palladis hasta sinu.
Num pudet auratas Phoebum portare sagittas?
  Clamne solet pharetram ferre Diana suam?
Num tegit Alcides nodosae robora clavae?
  Sub tunica virgam num deus ales habet?
Quis Bacchum gracili vestem praetendere thyrso,
  Quis te celata cum face vidit, Amor?
Nec mihi sit crimen, quod mentula semper apertast:
  Hoc mihi si telum desit, inermis ero.

X.

Insulsissima quid puella rides?
Non me Praxiteles Scopasve fecit,
Nec sum Phidiaca manu politus,
Sed lignum rude vilicus dolavit
Et dixit mihi: tu Priapus esto!
Spectas me tamen et subinde rides;
Nimirum tibi salsa res videtur
Adstans inguinibus columna nostris.

XI.

Ne prendare cave! prenso nec fuste nocebo,
  Saeva nec incurva volnera falce dabo,

Traiectus conto sic extendere pedali,
 Vt culum rugas non habuisse putes.

XII.

Quaedam hau iunior Hectoris parente
Cumaeae soror, ut puto, Sibyllae,
Aequalis tibi, quam domum revertens
Theseus repperit in rogo iacentem,
Infirmo solet huc gradu venire,
Rugosasque manus ad astra tollens,
Ne desit sibi, mentulam rogare.
Hesterna quoque luce dum precatur,
Dentem de tribus ecscreavit unum.
'Tolle' inquam 'procul ac iube latere
Scissa sub tunica stolaque russa,
Vt semper solet, et timere lucem,
Qui tanto patet indecens hiatu,
Barbato macer eminente naso,
Vt credas Epicuron oscitari.'

XIII.

Perscindere, puer — moneo —, futuere, puella,
 Barbatum furem tertia poena manet.

XIIII.

Huc huc, quisquis es, in dei salacis
Deverti grave ne puta sacellum.
Et si nocte fuit puella tecum,
Hac re quod metuas adire, non est.
Istuc caelitibus datur severis:
Nos vappae sumus et pusilla culti
Ruris numina, nos pudore pulso
Stamus sub Iove coleis apertis.
Ergo cui libet huc licebit intret
Nigra fornicis oblitus favilla.

XV.

Conmisso mihi non satis modestas
Quicumque attulerit manus agello,
Is me sentiet esse non spadonem.
Dicat forsitan haec sibi iste: 'nemo
Hic inter frutices loco remoto
Perscissum sciet esse me,' sed errat.
Magnis testibus ista res agetur.

XVI.

Qualibus Hippomenes rapuit Schoeneida pomis,
  Qualibus Hesperidum nobilis hortus erat,
Qualia credibilest spatiantem rure paterno
  Nausicaan pleno saepe tulisse sinu,
Quale fuit malum, quod litera pinxit Aconti,
  Qua lecta cupido pacta puella virost:
Talia quinque puer domini florentis agelli
  Inposuit mensae, nude Priape, tuae.

XVII.

Quid mecum tibi, circitor moleste?
Ad me quid prohibes venire furem?
Accedat sine: laxior redibit.

XVIII.

Commoditas haec est in nostro maxima pene,
  Laxa quod esse mihi femina nulla potest.

XVIIII.

Ecquando Telethusa circulatrix,
Quae clunem tunica tegente nulla
Sistris aptius acriusque motat,
Crissabit tibi fluctuante lumbo,

Sic ut non modo te, Priape, possit,
Privignum quoque sed movere Phaedrae?

XX.

Fulmina sub Iove sunt, Neptuni fuscina telum,
Ense potens Mars est, hasta, Minerva, tuast.
Sutilibus Liber committit praelia thyrsis,
Fertur Apollinea missa sagitta manu.
Herculis armatast invicti dextera clava,
At me terribilem mentula tenta facit.

XXI.

Copia deperiit; tu suffragare rogatus,
Indicio nec me prode, Priape, tuo;
Quaeque tibi posui tamquam vernacula poma,
De sacra nulli dixeris esse via.

XXII.

Femina si furtum faciet mihi virve puerve,
Haec cunnum, caput hic, praebeat ille nates.

XXIII.

Quicumque hic violam rosamve carpet
Furtivumve olus aut inempta poma,
Defectus pueroque feminaque
Hac tentigine, quam videtis in me,
Rumpatur precor usque, mentulaque
Nequiquam sibi pulset umbilicum.

XXIIII.

Hic me custodem fecundi vilicus horti
Mandati curam iussit habere loci.

Fur caveas poenam, licet indignere 'feramque
  Propter olus' dicas 'hoc ego?' propter olus.

XXV.

Hoc sceptrum, quod ab arbore ut recisumst,
Nulla iam poterit virere fronde,
Sceptrum, quod pathicae petunt puellae,
Quod quidam cupiunt tenere reges,
Cui dant oscula nobiles cinaedi,
Intra viscera furis ibit usque
Ad pubem capulumque coleorum.

XXVI.

Porro (nam quis erit modus?) Quirites,
Aut praecidite seminale membrum,
Quod totis mihi noctibus fatigant
Vicinae sine fine prurientes,
Vernis passeribus salaciores,
Aut rumpar — nec habebitis Priapum.
Ipsi cernitis, ecfututus ut sim
Confectusque macerque pallidusque,
Qui quondam ruber et vigens solebam
Fures scindere quamlibet valentes.
Defecit latus et periculosam
Cum tussi miser exspuo salivam.

XXVII.

Deliciae populi, magno notissima Circo
  Quintia, vibratas docta movere nates,
Cymbala cum crotalis, pruriginis arma, Priapo
  Ponit et adducta tympana pulsa manu.
Pro quibus ut semper placeat spectantibus orat
  Tentaque ad exemplum sit sua turba dei.

XXVIII.

Tu, qui non bene cogitas, et aegre
Carpendo tibi temperas ab horto,
Pedicabere fascino pedali.
Quod si tam gravis et molesta poena
Non profecerit, altiora tangam.

XXVIIII.

Obscaenis, peream, Priape, si non
Vti me pudet inprobisque verbis:
Sed cum tu posito deus pudore
Ostendis mihi coleos patentes,
Cum cunno mihi mentulast vocanda.

XXX.

'Falce minax et parte tui maiore, Priape,
  Ad fontem, quaeso, dic mihi, qua sit iter?'
Vade per has vites: quarum si carpseris uvas,
  Cur aliter sumas, hospes, habebis aquas.

XXXI.

Donec proterva nil mihi manu carpes,
Licebit ipsa sis pudicior Vesta;
Sin — haec mei te ventris arma laxabunt,
Exire ut ipsa de tuo queas cunno.

XXXII.

Vvis aridior puella passis
Buxo pallidior novaque cera,
Collatas sibi quae suisque membris
Formicas facit altiles videri,
Cuius viscera non aperta Tuscus
Per pellem poterit videre haruspex,

Quae suco caret est putusque pumex,
Nemo viderit hanc ut exspuentem,
Quam pro sanguine pulverem scobemque
In venis medici putant habere,
Ad me nocte solet venire et adfert
Pallorem maciemque larualem.
Ductor ferreus insulariusque
Lanternae videor fricare cornu.
† † †

XXXIII.

Naidas antiqui Dryadasque habuere Priapi,
  Et quoi tenta dei vena subaret, erat:
Nunc adeo nihil est, adeo mea plena libidost,
  Vt Nymphas omnes interiisse putem.
Turpe quidem factu, sed, ne tentigine rumpar,
  Falce mihi posita fiet amica manus.

XXXIIII.

Cum sacrum fieret deo salaci,
Conductast pretio puella parvo,
Communis satis omnibus futura,
Quae quot nocte viros peregit una,
Tot verpas tibi dedicat salignas.

XXXV.

Pedicabere, fur, semel, sed idem,
Si deprensus eris bis, inrumabo.
Quod si tertia furta molieris,
Vt poenam patiare et hanc et illam,
Pedicaberis inrumaberisque.

XXXVI.

Notas habemus quisque corporis formas.
Phoebus comosus, Hercules lacertosus,

Minerva ravo luminest, Venus paeto,
Trahit figuram virginis tener Bacchus.
Frontem caprinos Arcadas vides Faunos,
Habet decentes nuntius deum plantas,
Tutela Lemni dispares movet gressus,
Intonsa semper Aesculapio barbast,
Nemost feroci pectorosior Marte.
Quod siquis inter hos locus mihi restat,
Deus Priapo mentulatior non est.

XXXVII.

Cur pictum memori sit in tabella
Membrum, quaeritis, unde procreamur?
Cum penis mihi forte laesus esset,
Chirurgamque manum miser timerem,
Dis me legitimis nimisque magnis,
Vt Phoebo puta filioque Phoebi,
Curatum dare mentulam verebar.
Huic, dixi, fer opem, Priape, parti,
Cuius tu, pater, ipse Lar videris:
Qua salva sine sectione facta
Ponetur tibi picta, quam levaris,
Conpar consimilisque concolorque.
Promisit fore, mentulamque movit
Pro nutu deus, et rogata fecit.

XXXVIII.

Simpliciter tibi me, quodcumquest, dicere oportet,
Naturast quoniam semper aperta mihi.
Pedicare volo, tu vis decerpere poma:
Quod peto, si dederis, quod petis, accipies.

XXXVIIII.

Forma Mercurius potest placere,
Forma conspiciendus est Apollo,

Formosus quoque pingitur Lyaeus,
Formosissimus omniumst Cupido.
Me pulcra fateor carere forma,
Verum mentula luculenta nostrast.
Hanc mavolt sibi quam deos priores,
Siquast non fatui puella cunni.

XXXX.

Nota Suburanas inter Telethusa puellas,
Quae, puta, de quaestu libera facta suost,
Cingit inaurata penem tibi, sancte, corona:
Hunc pathicae summi numinis instar habent.

XXXXI.

Quisquis venerit huc, poeta fiat
Et versus mihi dedicet iocosos.
Qui non fecerit, inter eruditos
Ficosissimus ambulet poetas.

XXXXII.

Laetus Aristagoras natis bene vilicus uvis
De cera facili dat tibi poma, deus.
At tu sacrati contentus imagine pomi
Fac veros fructus ille, Priape, ferat.

XXXXIII.

Nolite omnia, quae loquor, putare
Per lusum mihi per iocumque dici.
Deprensos ego ter quaterque fures
Omnes, ne dubitetis, inrumabo.

XXXXIIII.

Velle quid hanc dicas, quamvis sic ligneus astem,
Oscula dat medio siqua puella mihi.

Augure non opus est: 'in me', mihi credite, dixit,
'Vtetur nervi viribus hasta rudis'.

XXXXV.

Cum quendam rigidus deus videret
Ferventi caput ustulare ferro,
Vt Maurae similis foret puellae,
'Heus', inquit, 'tibi dicimus, cinaede;
Vras te licet usque torqueasque:
Num tandem prior est puella, quaeso,
Quam sunt, mentula quos habet, capilli?'

XXXXVI.

O non candidior puella Mauro,
Sed morbosior omnibus cinaedis,
Pygmaeo brevior gruem timenti,
Vrsis asperior pilosiorque,
Medis laxior Indicisve bracis,
Manda scilicet, ut libet, perennis.
Nam quamvis videar satis paratus,
Erucarum opus est decem maniplis,
Fossas inguinis ut teram dolemque
Cunni vermiculos scaturrientis.

XXXXVII.

Quicumque vestrum, qui venitis ad cenam,
Libare nullos sustinet mihi versus,
Illius uxor aut amica rivalem
Lasciviendo languidum, precor, reddat:
Et ipse longa nocte dormiat solus,
Libidinosis incitatus erucis.

XXXXVIII.

Quod partem madidam mei videtis,
Per quam significor Priapus esse:

Non ros est, mihi crede, nec pruina,
Sed quod sponte sua solet remitti,
Cum mens est pathicae memor puellae.

XXXXVIIII.

Tu quicumque vides circa tectoria nostra
Non nimium casti carmina plena ioci,
Versibus obscaenis offendi desine: non est
Mentula subducti nostra supercilii.

L.

Quaedam, si placet hoc tibi, Priape,
Fucosissima me puella ludit,
Et nec dat mihi, nec negat daturam,
Causasque invenit usque differendi.
Quae si contigerit fruenda nobis,
Totam sutilibus, Priape noster,
Cingemus tibi mentulam coronis.

LI.

Quid hoc negotist, quave suspicer causa,
Venire in hortum plurimos meum fures,
Cum, quisquis in nos incidit, luat poenas,
Et usque curvos excavetur ad lumbos?
Non ficus hic est praeferenda vicinae,
Vvaeque, quales flava legit Arete,
Non mala, truncis adserenda Picenis,
Pirumve, tanto quod periculo captes,
Magisque cera luteum nova prunum
Sorbumve, ventres lubricos moraturum.
Praesigne rami nec mei ferunt morum
Nucemve longam, quae vocatur Albana,
Amygdalumve flore purpurae fulgens.
Non brassicarum ferre glorior caules
Betasve, quantas hortus educat nullus,

Crescensve semper in suum caput porrum.
Nec seminosas ad cucurbitas quemquam
Ad ocymumve cucumeresve humi fusos
Venire credo sessilesve lactucas,
Nec ut salaces nocte tollat erucas
Mentamve olentem cum salubribus rutis
Acresve caepas aliumque fibratum.
Quae cuncta, nostro quamquam habemus in saepto,
Non pauciora proximi ferunt horti.
Quibus relictis in mihi laboratum
Locum venitis, inprobissimi fures.
Nimirum apertam convolatis ad poenam,
Hoc vos et ipsum, quod minamur, invitat.

LII.

Heus tu, non bene qui manum rapacem
Mandato mihi contines ab horto:
Iam primum stator hic libidinosus
Alternis ineundo et exeundo
Porta te faciet patentiorem.
Accedent duo, qui latus tuentur,
Pulcre pensilibus peculiati.
Qui cum te male foderint iacentem,
Ad partem veniet salax asellus,
Nilo deterius mutuniatus.
Quare, qui sapiet, malum cavebit,
Cum tantum sciet esse mentularum.

LIII.

Contentus modico Bacchus solet esse racemo,
Cum capiunt alti vix cita musta lacus;
Magnaque fecundis cum messibus area defit,
In Cereris crines una corona datur.
Tu quoque, dive minor, maiorum exempla secutus,
Quamvis pauca damus, consule poma boni.

LIIII.

C D si scribas temonemque insuper addas,
Qui medium te volt scindere, pictus erit.

LV.

Credere quis possit? falcem quoque (turpe fateri!)
De digitis fures surripuere meis.
Nec movet amissi tam me iactura pudorque,
Quam praebent iustos altera tela metus.
Quae si perdidero, patria multabor, et olim
Ille tuus civis, Lampsace, Gallus ero.

LVI.

Derides quoque, fur, et inpudicum
Ostendis digitum mihi minanti.
Eheu me miserum, quod ista lignumst,
Quae me terribilem facit videri.
Mandabo domino tamen salaci,
Vt pro me velit inrumare fures.

LVII.

Cornix et caries vetusque bustum,
Turba putida facta saeculorum,
Quae forsan potuisset esse nutrix
Tithoni Priamive Nestorisve,
Illis ni pueris anus fuisset,
Ne desit sibi, me rogat, fututor.
Quid si nunc roget, ut puella fiat?
[Si nummos tamen haec habet, puellast.]

LVIII.

Quicumque nostram fur fefellerit sedem,
Effeminato verminet procul culo;

Quaeque haec proterva carpserit manu poma
Puella, nullum reperiat fututorem.

LVIIII.

Praedictum tibi ne negare possis:
Si fur veneris, inpudicus exis.

LX.

Si quot habes versus tot haberes poma, Priape,
  Esses antiquo ditior Alcinoo.

LXI.

Quid frustra quereris, colone, mecum,
Quod quondam bene fructuosa malus
Autumnis sterilis duobus adstem?
Non me praegravat, ut putas, senectus,
Nec sum grandine verberata dura,
Nec gemmas modo germine exeuntes
Seri frigoris ustulavit aura.
Nec venti pluviaeve siccitasve,
Quod de se quererer, malum dederunt.
Non sturnus mihi graculusve raptor
Aut cornix anus aut aquosus anser
Aut corvus nocuit siticulosus:
Sed quod carmina pessimi poetae
Ramis sustineo laboriosis.

LXII.

Securi dormite canes: custodiet hortum
  Cum sibi dilecta Sirius Erigone.

LXIII.

Parumst, quod hic cum fixerint mihi sedem,
Agente terra per caniculam rimas

Siticulosam sustinemus aestatem?
Parum, quod imos perfluunt sinus imbres,
Et in capillos grandines cadunt nostros
Rigetque duro barba vincta crystallo;
Parum, quod acta sub laboribus luce
Parem diebus pervigil traho noctem.
Huc adde, quod me vilem et e rudi fuste
Manus sine arte rusticae dolaverunt,
Interque cunctos ultimum deos numen
Cucurbitarum ligneus vocor custos.
Accedit istis inpudentiae signum,
Libidinoso tenta pyramis nervo.
Ad haec puella, paene nomen adieci,
Solet venire eum suo fututore.
Quo tot figuras, quot Philaenis enarrat,
Non adnuente pruriosa discedit.

LXIIII.

Quidam mollior anseris medulla
Furatum venit huc amore poenae.
Furetur licet usque: non videbo.

LXV.

Hic tibi, qui rostro crescentia lilia rosit,
  Caeditur e tepida victima porcus hara.
Ne tamen exanimum facias pecus omne, Priape,
  Horti sit posthac ianua clausa tui.

LXVI.

Tu, quae, ne videas notam virilem,
Hinc averteris, ut decet pudicam,
Nil mirum — nisi, quod times videre,
Intra viscera habere concupiscis.

LXVII.

Penelopes primam Didus fac prima sequatur
  Et primam Cadmi syllaba prima Remi,
Quodque fit ex illis, mihi tu deprensus in horto
  Fur dabis: hac poena culpa luenda tuast.

LXVIII.

Rusticus indocte si quid dixisse videbor,
  Da veniam: libros non lego, poma lego.
Sed rudis hic dominum totiens audire legentem
  Cogor, Homeriacas edidicique notas.
Ille vocat, quod nos psolen, ψολόεντα κεραυνόν,
  Id, quod nos culum, κουλεόν ille vocat;
Μερδαλέον certe si res non munda vocatur,
  Et pediconum mentula merdaleast.
Quid? nisi Taenario placuisset Troica cunno
  Mentula, quod caneret, non habuisset opus.
Mentula Tantalidae bene si non nata fuisset,
  Nil, senior Chryses quod quereretur, erat.
Haec eadem socium tenera spoliavit amica,
  Quaeque erat Aeacidae, maluit esse suam.
Ille Pelethroniam cecinit miserabile carmen
  Ad citharam, cithara tensior ipse sua.
Nobilis hinc nata nempe incipit Ilias ira:
  Principium sacri carminis illa fuit.
Altera materiast error fallentis Vlixi:
  Si verum quaeras, hunc quoque movit amor.
Hinc legitur radix, de qua flos aureus exit;
  Quem cum μῶλυ vocat, mentula μῶλυ fuit.
Hinc legimus Circen Atlantiademque Calypson
  Grandia Dulichii vasa petisse viri,
Huius et Alcinoi miratast filia membrum
  Frondenti ramo vix potuisse tegi.
Ad vetulam tamen ille suam properabat, et omnis
  Mens erat in cunno, Penelopea, tuo;
Quae sic casta manes, ut iam convivia visas,

Vtque fututorum sit tua plena domus.
E quibus ut scires, qui quoque valentior esset,
Haec es ad arrectos verba locuta procos:
'Nemo meo melius nervum tendebat Vlixe,
Sive illi laterum, seu fuit artis opus.
Qui quoniam periit, vos nunc intendite, quem iam
Esse virum sciero, vir sit ut ille meus'.
Hac ego, Penelope, potui tibi lege placere:
Illo sed nondum tempore natus eram.

LXVIIII.

Cum fici tibi suavitas subibit,
Et iam porrigere huc manum libebit,
Ad me respice fur et aestimato,
Quod pondost tibi mentulam cacandum.

LXX.

Inlusit mihi pauper inquilinus,
Qui libum dederat molamque fusam;
Quorum partibus additis in inguen
Sacro protinus hinc abit peracto.
Vicini canis huc subinde venit,
Nidorem, puto, prosecuta fumi,
Quae libamine mentulae comeso
Tota nocte mihi litat rigenti.
At vos amplius hoc loco cavete
Quicquam ponere, ne famelicarum
Ad me turba velit canum venire,
Neu, dum me colitis meumque numen,
Custodes habeatis inrumatos.

LXXI.

Si conmissa meae carpes pomaria curae,
Dulcia qui doleam perdere, doctus eris.

LXXII.

[† Tutelam pomarii diligens, Priape, facito;
Rubricato furibus minare mutino.]

LXXIII.

Quod movear, non est, quia, si furaberis ipse
Grandia mala, tibi bracchia macra dabo.

LXXIIII.

Obliquis pathicae quid me spectatis ocellis?
Non stat in inguinibus mentula tenta meis.
Quae tamen exanimis nunc est et inutile lignum,
Vtilis haec, arvum si dederitis, erit.

LXXV.

Per medios ibit pueros mediasque puellas
Mentula, barbatis non nisi summa petet.

LXXVI.

Dodone tibi, Iupiter, sacratast,
Iunoni Samos et Mycena ditis,
Vndae Taenaros aequorisque regi.
Pallas Cecropias tuetur arces,
Delphos Pythius, orbis umbilicum,
Creten Delia Cynthiosque colles,
Faunus Maenalon Arcadumque silvas.
Tutela Rhodos est beata Solis,
Gades Herculis umidumque Tibur.
Cyllene celeri deo nivosa,
Tardo gratior aestuosa Lemnos.
Hennaeae Cererem nurus frequentant,
Raptam Cyzicos ostreosa divam,
Formosam Venerem Cnidos Paphosque.

* * *

LXXVII.

Quod sim iam senior meumque canis
Cum barba caput albicet capillis,
Inmanem stomachum mihi cietis,
Qui densam facitis subinde saepem,
Et fures prohibetis huc adire.
Deprensos ego perforare possum
Tithonum Priamumque Nestoremque.
Hoc est laedere, dum iuvatis; hoc est
Non admittere ad aucupem volucres.
Obstructast via, nec licet iacenti
Iactura natis expiare culpam.
Ergo qui prius usque et usque et usque
Furum scindere podices solebam,
Per noctes aliquot diesque cesso.
Poenas do quoque, quot satis superquest,
In semenque abeo, salaxque quondam,
Nunc vitam perago — quis hoc putaret? —
Vt clusus citharoedus abstinentem.
At vos, ne peream situ senili,
Quaeso, desinite esse diligentes,
Neve inponite fibulam Priapo.

LXXVIII.

At di deaeque dentibus tuis escam
Negent, amicae cunnilinge vicinae,
Per quem puella fortis ante nec mendax
Et quae solebat inpigro celer passu
Ad nos venire, nunc misella landicae
Vix posse iurat ambulare prae fossis.

LXXVIIII.

Priape, quod sis fascino gravis tento,
Quod exprobravit hic tibi suo versu

Poeta noster, erubescere hoc noli.
Non es poeta fascinosior nostro.

LXXX.

At non longa benest, bene non stat mentula crassa,
Et quam si tractes, crescere posse putes?
Me miserum! cupidas fallit mensura puellas,
Non habet haec aliud mentula maius eo.
Vtilior Tydeus, qui, siquid credis Homero,
Ingenio pugnax, corpore parvus erat.
Sed potuit damno nobis novitasque pudorque
Esse; repellendus saepius iste mihi.
Dum vivis, sperare decet; tu, rustice custos,
Huc ades, et nervis, tente Priape, fave.

LXXXI.

TIBVLLI.

Vilicus aerari quondam, nunc cultor agelli
Haec tibi Respectus templa, Priape, dico.
Pro quibus officiis, si fas est, sancte, paciscor,
Adsiduus custos ruris ut esse velis,
Inprobus ut siquis nostrum violarit agellum,
Hunc tu — sed taceo; scis, puto, quod sequitur.

LXXXII.

TIBVLLI.

Quid hoc novist? quid ira nuntiat deum?
Silente nocte candidus mihi puer
Tepente cum iaceret abditus sinu,
Venus fuit quieta, nec viriliter
Iners senile penis extulit caput.
Placet, Priape, qui sub arboris coma
Soles, sacrum revincte pampino caput,

Ruber sedere cum rubente fascino?
At, o Triphalle, saepe floribus novis
Tuas sine arte deligavimus comas,
Abegimusque voce saepe, cum tibi
Senexve corvus inpigerve graculus
Sacrum feriret ore corneo caput!
Vale, nefande destitutor inguinum,
Vale, Priape: debeo tibi nihil.
Iacebis inter arva pallidus situ,
Canisque saeva susque ligneo tibi
Lutosus adfricabit oblitum latus.
Sceleste penis, o cave meum malum!
Gravi piaque lege noxiam lues.
Licet querare, nec tibi tener puer
Patebit ullus, † inminente qui toro
Iuvante verset arte mobilem natem,
Puella nec iocosa te levi manu
Fovebit adprimetve lucidum femur.
Bidens amica Romuli senis memor
Paratur, inter atra cuius inguina
Patet iacente pantice abditus specus
Vagaque pelle tectus, annuo gelu
Araneosus obsidet forem situs.
Tibi haec paratur, ut tuum ter aut quater
Voret profunda fossa lubricum caput
Licebit aeger angue lentior cubes,
Tereris usque, donec, a miser miser
Triplexque quadruplexque conpleas specum.
Superbia ista proderit nihil, simul
Vagum sonante merseris caput luto.
Quid est, iners? pigetne lentitudinis?
Licebit hoc inultus auferas semel,
Sed ille cum redibit aureus puer,
Simul sonante senseris iter pede,
Recente nervus excubet libidine,
Et inquietus inguina arrigat tumor,
Neque incitare cesset, usque dum mihi
Venus iocosa molle ruperit latus.

LXXXIII.

Vere rosa, autumno pomis, aestate frequentor
  Spicis: una mihist horrida pestis hiemps.
Nam frigus metuo et vereor, ne lentus in ignem
  Ei deus ignavis praebear agricolis.

LXXXIIII.

Ego haec, ego arte fabricata rustica,
Ego arida, o viator, ecce populus
Agellulum hunc, sinister, ante quem vides,
Erique villulam hortulumque pauperis
Tuor malaque furis arceo manu.
Mihi corolla picta vere ponitur,
Mihi rubens arista sole fervido,
Mihi virente dulcis uva pampino,
Mihique glauca oliva, cocta frigore.
Meis capella delicata pascuis,
In urbem adulta lacte portat ubera,
Meisque pinguis agnus ex ovilibus
Gravem domum remittit aere dexteram,
Tenella matre mugiente vaccula
Deum profundit ante templa sanguinem.
Proin, viator, hunc deum vereberis
Manumque sursum habebis. Hoc tibi expedit:
Parata namque trux stat hasta mentula.
Velim pol, inquis: at pol ecce! vilicus
Venit, valente cui revolsa brachio
Fit ista mentula apta clava dexterae.

LXXXV.

Hunc ego, o iuvenes, locum villulamque palustrem
Tectam vimine iunceo caricisque maniplis,
Quercus arida, rustica fabricata securi,
Nutrivi ut magis et magis sit beata quotannis.
Huius nam domini colunt me deumque salutant,

Pauperis tuguri pater filiusque adulescens,
Alter adsidua cavens diligentia, ut herbae
Vepresque aut rubus a meo sint remota sacello,
Alter parva manu ferens saepe munera larga.
Florido mihi ponitur picta vere corolla
Primitus, tenera virens spica mollis arista,
Luteae violae mihi lacteumque papaver
Pallentesque cucurbitae et suave olentia mala,
Vva pampinea rubens educata sub umbra.
Sanguine haec etiam mihi (sed tacebitis) arma
Barbatus linit hirculus cornipesve capella.
Pro quis omnia honoribus sic necesse Priapost
Praestare et domini hortulum vineamque tueri.
Quare hinc, o pueri, malas abstinete rapinas.
Vicinus prope dives est neglegensque Priapus.
Inde sumite. Semita haec deinde vos feret ipsa.

I. INDEX CARMINVM CATVLLI.

INDEX PRIAPEORVM.

II. INDEX NOMINVM

in Catulli Laevii rell. carminibus quae occurrunt.

INDEX NOMINVM IN PRIAPEIS QVAE OCCVRRVNT.

III. INDEX GRAMMATICVS.

Indices nominum apud eroticos quae occurrunt habes confectos a Petro Muellemeistero, stud. philol. Quantum ad grammaticos dolendum sane quod nondum extitit qui ἅπαξ εἰρημένα in libris scriptorum quos dixi eadem sollertia enarraret qua in Horatii carminibus enotata sunt a Zangemeistero. Id igitur ut aliquando eveniat magnopere interest harum litterarum.

ADDENDA VEL CORRIGENDA.

Quod addam nunc vix habeo in opere diu meditato, nisi quod de duobus epyllii Catulliani locis rectius iam videor posse disserere quam priores.

Itaque cum v. 344 antiquitus fere sint tradita haec

cum Phrygii Teucro manabunt sanguine tenen,

alii alia, nos in commentario critico proposuimus illud *Phrygiae — tempe*. Sed enim iam agnoscimus verissimos fuisse qui receperunt quod ab Italis saec. XV inventum prostat in margine libri L *manabunt sanguine campi;* idque ob apertam, quae fugit interpretes Catulli, imitationem Statii. Nam apud hunc in I. Achilleidos vv. 84 sqq. haec leguntur

quem tu illic natum in Sigeo pulvere, quanta
adspicies victrix Phrygiarum funera matrum!
cum tuus Aeacides tepido modo sanguine Teucros
undabit campos; modo crassa exire vetabit
flumina et Hectoreo tardabit funere currus,
impelletque manu nostros opera irrita muros.

Apparet opinor imitatio carminis Catulliani, ubi habes illa *saepe fatebuntur gnatorum in funere matres, cum Phrygii Teucro manabunt sanguine tenen, unda Scamandri, cuius iter caesis angustans corporum acervis.* Ceterum dignum memoria testari Burmannum anthol. Lat. t. I pg. 73 ab Oudendorpio ex manuscriptis proferri hanc lectionem *tepidos modo sanguine Teucro undabit campos;* quamquam non potest negari solere saepe Statium etiam apertissimae imitationis exempla variando inmutare. — Sed apud Catullum haud dubie iam restituendum existimo id quod est *campi*, nec illud *tenen* sive *teuen* (nam utrumque fertur) aliud quam dittographiam quae vulgo audit

praecedentis vocabuli *Teucro*, quae in marginem delata vulgatam scripturam expulerit.

Deinde Statii versibus docemur, quod sane mirandum neminem hactenus extitisse qui videret, post v. 361 Catulli carminis excidisse memoriam Hectoris ab Achille interfecti. Nempe ipsum illud *denique testis erit* poterat monere plus semel praecessisse id quod est *testis erit*. Quis enim credet poetam, qui narratione sat prolixa vulgi ignobilis stragem ab Achille perpetratam descripsisset, ne uno quidem verbo tetigisse caedem eius viri, in quo uno omnes spes et opes Troianorum fuisse sitas tota ab Homero inde testatur antiquitas. Fortasse etiam alia excidere, veluti Scamandri minae, mors Achillis, ludi sepulcrales.

Nimirum versus intercalaris post singulas ubique recurrens sententias causa fuit erroris.

Praeterea plerumque dubito an Mattii esse dicam trimetros quos in claudicantium exemplis una cum Hipponactis adfert Iuba ap. Ruf. pg. 386 G. Eos ita scribendos existimo:

o quae tenerulae conparis tenes crinem,
si des, in ista devia late fossa!

Vulgo *sudes* vel *seu des, veia* sive *via, latent*. Causa illa, quod ex eodem quo Terentianum fonte quae de trimetris tradit hausisse Iubam videtur probabile. Et argumentum haud dissimile mimiamborum.

Operarum errores graviores non deprehendi, nisi quod mira earum pervicacia in notis ad Cat. 64, 216. 387. 115, 2 Behrensius dictus, qui Baehrensius audit, nec rarius pg. 74 Ellissius, qui Ellisius. Et 54, 5 'recocto' scribendum pro 'recocte', ac bis terve uo pro uu, es pro is. Deniqne pg. 91 l. a fin. 10 post 'plurasque' addendum 'gubernasse'. — Haec igitur et siqua extant similia ut corrigant lectores neve in opere immensi studii nimis circa apices haereant, qua par est rogamus verecundia.

ALBII TIBVLLI

LIBRI QVATTVOR.

DOMITII MARSI.

Te quoque Vergilio comitem non aequa, Tibulle,
  Mors iuvenem campos misit ad Elysios,
Ne foret, aut elegis molles qui fleret amores
  Aut caneret forti regia bella pede.

PRAEFATIO

De Tibulli librorum codice archetypo diximus in annalibus philologicis a. 1869 editis, pgg. 63—77. Ibi quae sunt exposita iam hic loci repetuntur paucissimis inmutatis.

Et maxime quidem illud excusandum quod Franckenii libellus de crisi Tibulli carminibus adhibenda qui legitur insertus actorum Acad. Amstelod. litterariorum parti decimae (provenit a. 1866) casu quodam infelici tunc temporis nos fugerat.

Praeterea nominandae dissertationes Ottonis Richteri de Vincentii Bellovacensis excerptis Tibullianis Bonnae a. 1865 edita et Ernesti Protzenii de excerptis Tibullianis ineunte mense h. a. Augusto publicata Gryphiswaldiae et paullo post ab eo qui scripsit cum comitate ad nos transmissa. Vterque cum cura confectus libellus et sua laude dignus ad singula quaedam recte aestimanda nobis fuit utilis: ceterum quod nuper diximus auctoritatem et fidem excerptorum Tibullianorum praeter Frisingensia esse minimam, et nunc omni pignore adfirmamus.

Quod coniectura haud improbabili statuitur, Catulli librorum Thuanei et Veronensis archetypum conscriptum fuisse in Gallia, idem evenisse Tibulli exemplari ei, unde reliqua ducta sunt, tantum non certum est. Quippe et Cuiacianus Scaligeri codex, haud dubie in ea terra scriptus, et excerpta, quibus Vincentius Bellovacensis, mox Scaliger usus, eandem agnoscunt patriam.

Ex eo archetypo, qui praeter quattuor Tibulli libros etiam Priapea eius duo et Domitii Marsi epigramma de morte poetae continebat, a Caroli inde Magni successorum

tempore triplex fluxit fons traditionis. Primum enim descripta videtur esse membrana ea, quam a Iacobo Cuiacio acceptam in suum usum vertit Iosephus Scaliger, iniuria sane saeculorum truncatam, ut a v. demum 65 c. 4 l. III inciperet. Eius lectiones satis diligenter ut pro illis temporibus excerptas transtulit in exemplar editionis eroticorum Plantinianae, quae prodiit Antverpiae a. 1569. Eidem et recentioris Cuiaciani et excerptorum suorum testimonia addidit. Ea hodie in bibl. Lugd. habetur inter libros Lipsianos nr. 59. Notae autem, quibus est usus, fuere CC, V, VA. Ex hoc libro transcripsit Heinsius in exemplar ed. Aldinae a. 1515 Perreianum ea, quibus usus est Lachmannus. Nos ubicumque ab eius testimoniis dissidemus, Franckenii id fide factum. Ceterum cum ea, quae disertis verbis in codicibus suis fuisse testatur Scaliger, non sit, cur in dubium vocemus, nolim ex silentio eius certi quidquam concludi. De qua re sicui aliter videtur, non quod Lachmanno visum Aldinae quae a. 1502 prodiit sed Plantinianae quam supra dixi lectiones erunt respiciendae. Idem Franckenius in dissertatione, quam saepius iam memoravimus, demonstravit, ut obiter hoc addam, non falsum esse nec tamen mirum quod Scaliger iactat se ad recensenda Catulli Tibulli Propertii carmina ne mense quidem integro esse usum, quoniam et verborum emendationes ab eo factae magna ex parte, et versuum traiectiones excepta una omnes in eodem exemplari Plantiniano reperiantur, ut appareat eum in editione a. 1577 nihil aliud nisi pridem meditata in chartas coniecisse.

Alterum autem apographon eodem fere tempore videtur factum, cuius librarius omisit Priapea duo, sine dubio nullam aliam ob causam, quam quod argumenti essent obscaeni; et constat saepe medii aevi scribas in talia saevisse carmina. Eadem occasione titulo orbatum epigr. de morte Tibulli, quod in codicibus praeter Cuiacianum aut nulli certo auctori tribuitur aut Ovidio. Id exemplar cum diutinis sordibus obrutum iacuisset, saec. XIIII rursus inventum et in Italiam videtur asportatum. Id quando

factum sit, certius definire mihi non contigit. Statuit quidem Hauptius [in act. soc. litt. Saxon. I, 256] iam Guilelmo Pastrengico, amico Petrarcae, innotuisse carmina Tibulli, quippe qui in libro de originibus rerum c. a. 1340 scripto (quem ob summam eius raritatem inspicere nobis non contigit) afferat octo eius versus ex c. 7 primi vol. [29—36]; sed non abhorret a probabilitate eum sumpsisse haec verba ex pleniore exemplari scholiorum Iuvenalis, quali et saec. XV in eadem terra Georgium Vallam usum esse scimus; nam in illis ad 8, 29 priores quattuor versus eorum quos affert Guilelmus extant hodieque. Atque ibi certe quod praecedit distichon additum fuisse ab scholiasta nec nisi librariorum incuria omissum, clamat res ipsa. Potuit tamen etiam Guilelmo ad manum esse plenior vulgatis liber Servii, qui ad ecl. 5, 21 *uncique puer monstrator aratri* adscripsit haec: 'alii Triptolemum alii Osirim volunt, quod magis verum est, ut dicit Propertius vel Tibullus'. Etenim post haec verba grammatici excidisse quaedam mihi quidem videtur paene certum.

Itaque cum nec Petrarcae tempore testimonium, de quo constet, sat firmum recuperati codicis Tibulliani reperiatur, et prima apographa, quae innotuerunt, non ante annum 1423 vel 1425 scripta esse noscantur, quamquam flagrante tum temporis multo magis, quam cum Catullus repertus est, studio literarum, non nimis aberraris a veritate statuendo circa a. 1400 erutum esse illud exemplar. Idem et Lachmanni iudicium. Sed ei mirum in modum illusit saeculorum iniuria; nam et verba singula saepe adeo fuere obscura, ut ex parte saltem non possent legi, nec minus versuum aliquot fuere lacunae, in qua re maxime notabile, quod fere sunt hausti hexametri, ut appareat non fuisse reductos pentametros. Sane mos eos reducendi posteriore medii aevi tempore magis frequentatus quam priore.

Denique in eodem apographo liber quartus, cum vix dubie in archetypo fuisset seiunctus a prioribus, nullo fuit

intervallo diremptus; id quod testantur libri inde deducti, de quibus certo constet, omnes.

Ceterum ex hoc exemplari deductum aliud saec. XI videtur fuisse in Germania, a quo provenere excerpta Frisingensia, quae a quavis interpolatione immunia partim versus sententiis communibus vel alia re insignes partim verba rariora maxime ex omnibus Tibulli libris hausta continent.

Tertium apographon archetypi caruit libro quarto elegiarum, simul altero et tertio contractis in unum. Id ipsum sive ex eo deductum fuit saec. VIIII, ut perhibetur, in coenobio quodam Gallico. Nam in catalogo quodam librorum ab Hauptio in Herma III, 221 publici iuris facto et adscripto aetati quam dixi habes haec: *Albi Tibulli lib.* (h. e. *libri*) *II.* Praeterea tertium illud exemplum testantur excerpta Vincentii Bellovacensis, qui quaecumque ex libro III Tibulli affert, tribuit alteri, nec vero usquam mentionem inicit quarti. Atque ita plane excerpta Parisina, in quibus quae ex c. 1 l. IIII afferuntur, hoc titulo sunt inscripta: *in panegyrico Messalae*, sicut etiam in Cuiaciani fragmenti fronte fuit: *panegyricus Messalae.* At Frisingensis membrana librorum notas habet nullas. Idem Vincentius quam non integrum adhibuerit Tibulli exemplar, sed excerpta ex eo saec. VIIII vel X confecta, apparet vel ea re, quod poetam constanter vocat Tibullium, sicut etiam in ms. Vulcanii bibl. Lugd. 48 habetur *proverbia tullii tibullii;* nam in Frisingensi recte extat *Albii Tibulli* quamquam erasa post ultimam litteram i. Et in Parisino florilegio poeta dicitur Tibullus, non Tibullius; unde facile suspicere excerpta panegyrici, quae in eo leguntur, sumpta e pleno codice librorum illius. Neque vero Albii nomen in ullis videtur reperiri excerptis praeter Frisingensia.

Eadem quam Vincentius adhibuit anthologia aut certe ex eodem fonte deducta membranis pervetustis pervenit in manus Scaligeri. Nam quae proferuntur ab eo lectiones exceptis paucissimis mirificum in modum consentiunt cum excerptis Vincentii. Neque recte se habet, quod

statuit Woelfflinus in diss. de Tibulli excerptorum codice Nostradamensi 188, quae legitur Philol. XXVII, 152 sqq., Scaligero adfuisse videri syllogen, quae etiam primum carmen libri quarti contineret, quippe qui attulisset in v. 96 ut *omni vetere scriptura* firmatam lectionem hanc *veniat gravis impetus hastae.* Sed hanc ipsam, ut est unica vera, ita in frgm. Cuiaciano reperiri, nec nisi per neglegentiam omissam in apographo Heinsii demonstravit Franckenius pg. 11.

Ceterum simillima excerptis Scaligeri etiam extant in codice Parisino 13582 saec. fere XIII, et ut refert Protzenius pg. 32 item in alio eiusdem urbis libro, nec diversa quamquam brevicula ipse perlustravi in membr. Vulcanii supra dicta, quae saeculi XIIII esse videbatur, oriunda quidem illa ex Gallia sive Helvetia. Talem etiam farraginem in libro quodam Berolinensi [ms. Diez. B. Santen. 60] commonstravit nobis Hermannus Blassius. Piget tamen diutius in his immorari, cum cod. Nostradamensis saeculi XIII solus sufficiat ad excerpta illa recte cognoscenda et aestimanda, ut qui ex eadem sylloge saec. VIIII vel X orta ductus sit, ex qua provenere copiae modo memoratae, ut tamen longe pleniorem contineat illam anthologiam. Praeterea adiecta sunt in eodem excerpta ex panegyrico Messallae, quae videntur ducta esse e codice librorum Tibullianorum integro, sed in quo quartus liber non magis quam in membranis hodieque extantibus a tertio esset diremptus. Huius membranae varietatem lectionis ad editionem Lipsiensem a. 1855 comparatam publicavit Woelfflinus in opusculo de quo modo dixi; plena excerpta repraesentavit Protzenius in sua diss. (pgg. 22 sqq.).

Sequitur iam, ut de pretio subsidiorum criticorum, quotquot adsunt Tibullo, agamus. Ex quibus maximi haud dubie est momenti frgm. Cuiacianum, cuius lectiones locis tantum non omnibus praetulimus reliquorum codicum testimoniis. Semel turbatum facili interpolatione, III, 4, 66, *saevus amor docuit verbera saeva pati,* ubi apparet illud *saeva* ex proxime praecedenti *saevus* ortum; et

similiter saepius peccatum in antiquis libris Tibulli. Praeterea valde vereor, initio panegyrici Messallae ne a sciolo videatur invectum id quod est *nequeant*, qui ignoraret nempe, quid sibi vellet illud *ut* post *terrendi* vocem positum. Quare haud dubitanter reponenda erat reliquorum codicum lectio.

Proxima autem bonitate et paene paria sunt excerpta Frisingensia, quae omni interpolatione carere demonstravi in libello supra allato. Itaque ubique quam plurimum tribuimus testimoniis eorum, illud solum dolentes, quod sunt tam exigua spatio. E quibus tamen nequid lectori pereat, ea plena iam repraesentabimus.

ALBII TIBVLLI.

Diuicias alius fuluo sibi congerat auro
  Et teneat culti iugera multa soli [I 1, 1. 2].
Me mea paupertas uita traducat inerti
  Dum meum assiduo luceat igne focus [I 1, 5. 6].
Ruber [I 1, 17].
Iam modo iam possim contentus uiuere paruo [I 1, 25].
At vos exiguo pecori furesque lupique
  Parcite de magno praeda petenda grege [I 1, 33. 34].
Illa docet molli furtim derepere lecto [I 2, 19].
Iam subrepet iners aetas nec amare decebit [I 1, 71].
    Celari uult sua furta Venus [I 2, 34].
Flebis non tua sunt duro praecordia ferro
  Vincta neque in tenero stat tibi corde silex [I 1, 63. 64].
Nam fuerit quicumque loquax is sanguine natam
  Is Venerem e rapido sentiet esse mari [I 2, 39. 40].
O fugite tenerae puerorum credere turbae [I 4, 9].
  Versatur celeri fors leuis orbe rotae [I 5, 70].
Vidi iam iuuenem premeret cum ferior aetas
  Merentem stultos praeteriisse dies [I 4, 33. 34].
        Tua si bona nescis
  Seruare frustra clauis inest foribus [I 6, 33. 34].
Statque latus praefixa ueru [I 6, 49].   *a* (m. !)
Testis Arar Rhodanusque celer magnusque geronna

Carnutis et flaui caerula limpha Liger [I 7, 11. 12].
Bachus et afflictis requiem mortalibus affer [I 7, 41].
Sepe solent auro multa subesse mala [I 9, 18].
O miser interii stulte confixus amari
Nam poteram ad laqueos cautior esse tuos [I 9, 45. 46].
Spes alit agricolas spes sulcis credita ratis
Semina quae magno foenore reddit ager [II 6, 21. 22].
Qui primus caram iuueni carumque puellae
Eripuit iuuenem ferreus ille fuit [III 2, 1. 2].
Sontica [I 8, 51].
Non opibus mentes hominum curaeque leuantur.
Nec fortuna sua tempora lege gerit [III 3, 21. 22].
Lidius aurifer amnis [III 3, 29].
Luridus orcus [III 3, 38].
Sopierat [III 4, 19].
Sopitae [II 6, 38].
Vocales [II 5, 3. ib. 78].
Linter [II 5, 34].
Somnia fallaci ludunt temeraria nocte
Et pauidas mentes falsa timere iubent [III 4, 7. 8].
Seuus amor docuit uerbera posse pati [III 4, 66].
Quid fraudare iuuat uitem crescentibus uuis
Et modo nata mala uellere poma manu [III 5, 19. 20].
Et mihi difficile est imitari gaudia falsa
i (al. atram.)
Difficile est tristi fingere mente locum [III 6, 33. 34].
Nec bene mendaci risus componitur ore
Nec bene sollicitis ebria uerba sonant [III 6, 35. 36].
Felix quicumque dolore
Alterius disces posse cauere tuo [III 6, 43. 44].
Conqueror ite a me seria uerba precor [III 6, 52]
Tu uiolente caueto
Ne tibi miranti turpiter arma cadant [IV 2, 3. 4].
Parma [IIII 1, 95].
Edera [III 6, 2].
Hāmatis [IIII 3, 10].
Nunc ego te surdis auribus esse uelim [IIII 14, 2].
Vertumnus [IIII 2, 13].

Gipsatos [II 3, 60].
Sero [II 3, 16].
Pussula [II 3, 10].
Sciphus [I 10, 8].
Colu [I 3, 86].
Stamina [I 7, 2].
Litia telis [I 6, 79].
Aquitanas [I 7, 3].
Iocundos [I 7, 35].
Redimita corimbis [I 7, 45].

Ex codice illo carminum Tibulli, qui circa a. 1400 ex tenebris emersit, fluxere apographa ut plurima numero, ita maxima ex parte graviter interpolata. Neque ullus eorum tam immunis a labe quam Catulli ut puta liber Sangermanensis vel Laurentianus vel Propertii Neapolitanus; sed vel in optimis leguntur quidam versiculi explendis lacunis a Thoma Seneca et ab Ioanne Aurispa ficti, et saepius etiam apparet correctores Italos verba quae in archetypo minus essent aperta proprio periculo emendasse vel supplesse.

Ceterum ex magna multitudine librorum saeculi XV. Lachmannus codices tamquam fidissimos ut in tali condicione elegit Eboracensem, scriptum a. 1425, cuius collatio ab Heinsio confecta ei erat praesto. Fuerat liber olim archiepiscopi nescio cuius Eboracensis, sed eum iam non extare in hac urbe testatur Guil. Wagnerus m. Rh. XXI, 134 sq., qui suspicatur eum bellorum civilium quibus per saec. XVII et XVIII flagravit Scotia furoribus interceptum. Huic codici cuius nota est A paullo etiam plus tribuimus quam Lachmannus. Proximus bonitate est Paris. regius 7989, a. 1423 in charta scriptus, quem signavit ille B. Praeterea tres libros graviter interpolatos, sed quorum consensus (C littera significatur) magni esset habendus, elegit idem Wittianum, Datanum, Askewianum; qui per abbreviationem sunt dicti a b c. Horum igitur potissimum codicum recentium, ut vides, nec sincerorum testimoniis in constituenda lectione Tibulli debemus niti; certe meliora his exempla post Lachmannum non inventa sunt.

Idem quod dicit videri posse Franc. Puccio ad manum fuisse membranam nostris vetustiorem, prorsus fallitur. Certe non fuit maiore integritate, quam reliquae. Nam quidquid lectionum affert Puccius ex suo codice, ea partim interpolata esse apparet ab Italo nescio quo saec. XV, partim sumpta de excerptis talibus qualia fuere Vincentii et Scaligeri (quae quidem grammaticis illorum temporum innotuisse etiam aliunde constat: nam et ABC aliquando ex eis traxere labem). Et de horum quidem fide iam cum cura videndum.

Etenim cum tam novicii sint tamque corrupti codices Tibulli librorum tantum non omnes, extiterunt, qui statuerent, saepe excerptis eis quae in Gallia ab saec. inde VIIII vel X prodiere multum nos posse iuvari ad emendanda poetae huius carmina. Sed ei egregium in modum fuere falsi. Nam in excerpta longe foediore monachorum medii aevi saevitum libidine quam umquam in plenos Tibulli libros a grammaticis saeculi XV, quoniam hi non nisi corrupta, illi integerrima quaeque temptavere interpolando.

Primum enim, ut sententias communes et ad formandos mores aptas neque abhorrentes a christiano cultu efficerent, quales rarissimae sunt apud Albium, tamen ut esset, quod ipsorum desideriis satisfaceret, ineptissime pariter atque audacissime pleraque eius verborum detorserunt. Accessit puerile variandi vocabula studium, quo occupatos fuisse monachos istos clamant omnia scripta, quotquot in scholis medii aevi legi sunt solita. Denique Tibulli versus cum sane essent elegantes, minus tamen tersi Ovidianis, qui prae ceteris placebant suo quidem iure illorum temporum doctis, saepe quae duriora ipsis viderentur ad Nasonis inflexere normam, ut puta, *superent praeconia gentis* pro *gentis superant tibi laudes,* vel *vincere sed priscos generis contendis honores* pro *s. g. p. c. v. h.,* vel *vertice stare bovis* (hoc quidem sermone ridiculo et violata positionis lege) pro *stare boves capite.* Similiter saevitum in I, 1, 50. 5, 62. II, 3, 40. 6, 20.

Quae cum ita sint, omnis fere fides traditionis in plenis Tibulli carminum libris nititur, neque quidquam ex florilegiis inter verba eius recipiendum, nisi quod, vel coniectura si esset inventum, debebat praeferri. Excipienda tamen sunt ut par est exempla, rara quidem illa, ubi cum appareat corruptas esse codicum qui extant Tibulli lectiones, excerpta sine ulla fraudis suspitione praebent id quod est verum. Id ubi evenit plerumque una vel duabus literulis excerptorum memoria distat a reliquorum librorum. Quare sincerae haud dubie videntur esse neque interpolationis arcessendae lectiones ut puta tales: I, 3, 87 *at* pro *ac,* ib. 8, 14 *colligat* pro *colligit,* II, 2, 15 *Indis* pro *undis*, ib. 3, 41 *obsidere* pro *obsistere,* similia quaedam, quae suis locis notabuntur.

Semel etiam observavi, graviore differentia interposita inter utrumque testimonium excerptorum fidem potiorem. Nam I, 5, 61 cum cdd. habeant obtuso metro nec sensu ullo *pauper erit praesto tibi praesto, pauper adibit,* in qua lectione agnosces vitium sane frequens Tibulli libris repetiti per errorem eiusdem vocabuli, quo sincerum expelleretur, iam in excerptis legitur hoc *p. e. p. semper te pauper adibit.* Et hercule verissime utroque testimonio coniuncto reposuit Muretus, quem secuti sunt haud pauci: *pauper erit praesto semper tibi, pauper adibit.*

Bis praeterea plus solito tribuere excerptis me memini, III, 3, 20 et 6, 46. Ceterum qui maiores eis detulerunt partes Richterus et Protzenius, cum ipsi non potuissent non agnoscere plurima apertissimae interpolationis in eis deprehendi vestigia, quod tamen statuerunt, ubi florilegiorum testimonia, nisi reliquis membranis infringerentur, per se nihil haberent, cur reicerentur, ea posse haud cunctanter admitti in textum, mihi quidem omnes artis criticae leges, quales iam receptae sunt a plerisque, videntur habuisse insuper. Nam cum plurimis exemplis haud dubie constet codicum Tibulli lectiones aut integras esse, aut corruptas magis quam interpolatas, ubi deprehenduntur excerpta monachorum libidine audacissime pariter atque ineptissime immutata, sequitur sponte his ne ibi qui-

dem fidem habendam esse, ubi quod eis exhibetur per se non displiceat. Accedit, quod plerisque locis ne causa quidem ulla potest fingi, cur Itali interpolarint verba, ubi excerptorum testimonia gravius discrepant. Neque vero quisquam credet temere saeculi XV grammaticos in tractandis Tibulli libris frivolo illo studio variandi vocabula arsisse, quo sane scholasticos Carolo magno vel successoribus eius aequales et qui tempore eos sunt insecuti totos occupatos fuisse constat. Illud enim, ne nimius sim, omittam, haud pauca Richterum et Protzenium excerptorum testimonia dixisse vulgatae lectioni vel paria bonitate vel priora, quae aliena esse a Tibullo facile possit demonstrari.

Ceterum in crisi Albii libris recte adhibenda illud semper oportet probe memineris saeculi XV optima exemplaria, quorum sequimur auctoritatem, corruptam magis quam interpolatam exhibere scripturam. Nam in archetypo, ut iam memoravi, quaedam lacunis hausta vel inversa traiectionibus, alia cum minus aperta essent ad legendum apices magis quosdam verborum quam ipsa verba repraesentabant. Ex his autem vitiis quaedam Itali, longe plura sustulerunt grammatici temporis posterioris. Ceterum plerique, qui Catullo emendando operam navarunt, ut circa Propertium ita circa Tibullum fuere curiosi, ut puta, Muretus, Dousa pater et filius, Scaliger, N. Heinsius, Vulpius, Lachmannus, alii. E quibus Scaliger, cum multum profuisset Tibullo partim adhibito fragmento Cuiaciano, partim propriis ingenii viribus, plus tamen ei nocuisse censendus est, ut qui nimium ac paene puerilem in modum transponendis indulserit versibus. Has tamen traiectiones Batavi ob reverentiam nominis eius retinuerunt; primum a Vulpio Italo priscus ordo versuum est restitutus et cum pertinacia nec semper felici successu defensus. Nam hic illic Scaligerum vidisse verum in traiciendis eroticorum versibus equidem minime omnium negarim, nisi quod rationem et modestiam in conatibus eius desidero, sicut ante nos desiderarunt Hemsterhusius, Schraderus, Lachmannus. Omnino Scaligeri ingenium era

tale, ut cultissimis poetis Tibullo et Propertio recte aestimandis minus esset aptum.

Praeterea nominandus inter editores Tibulli Ianus Broukhusius, Batavorum sui temporis elegantissimus, qui nisi interpolatis ad normam Ovidianam libris et ipse ut plerique popularium eius plus aequo tribuisset et Scaligeri nimia cum religione observasset exemplar potuit etiam plus prodesse Tibullo et Propertio, quam re vera profuisse existimandus est. Nam et locos quosdam corruptos egregie emendavit (etsi constantiam et aequalitatem in curis eius criticis desideres et saepius eum circa verba quam sensus circa haerere dicas) et poetarum quos dixi libros doctissimo neque eis qui ad poeticam tenderent inutili commentario illustravit.

Heynii in Tibullum curae, quae vehementer placuere Ruhnkenio, condicione antiquitatis studiorum qualis tunc erat in Germania et ipsius ingenio, non horum temporum placitis sunt metienda. Itaque severitatem normae criticae et scientiam satis amplam rei grammaticae frustra quaesieris in commentariis eis, quibus Graecos Latinosque scriptores instruxit ille, sed invenies pulchri sensum simplicem et incorruptum, qualis et hodie haud ita frequenter deprehenditur et tunc temporis Aethiope albo erat rarior. Idem subinde egregiis aliquot coniecturis iuvit scripta quae tractaret, ut voluntatem magis quam ingenium ei defuisse agnoscas vel ab hac parte praestandi editoris officium. Nam sane istas quae ipsi videbantur minutias parvi faciebat.

Non ita multum praestitit Tibullo inimicus Heynii notissimus Iohannes Henricus Vossius, qui tamen primus demonstravit tertium elegiarum librum ab illo alienum. Sua Huschkio et Wunderlichio merita. Ceterum hi omnes pariter atque olim Broukhusius cum mirificum in modum interpolatorum codicum testimoniis imponi sibi passi essent, tandem Lachmannus a. 1829 demonstravit quid aera distarent lupinis et ut ipse verissime de se professus est omnia sub severam revocavit legem, ut singula verba ac *paene* litteras a memoriis quam veterrimis repeteret,

coniecturis autem sive tunc sive quattuor ante saecula natis ne in apertis quidem vitiis locum concederet nisi quas putaret certas. Hoc instructos subsidio critico posteriores et posse et debere iam ad emendanda secundum artis leges Tibulli scripta accedere ipse in eadem praefatione apertissime declaravit, ubi de tanta mendorum multitudine relicta in priore parte carminum h. e. usque ad III, 4, 65 conqueritur. Ceterum ut olim Scaligeri ita Lachmanni editio paene nocuit plus quam profuit ad veram Tibulli manum restituendam. Nam minus recte ut saepius memoravi rationibus eius intellectis cum plerique statuissent omnibus paene numeris absolutam editionem eius, hinc vero effectum ut et ipsi parcius quam par erat proprio indulgerent ingenio et priorum criticorum commenta pleraque nullo iam haberent honore. Accedit quod Tibulli membranarum alia est condicio quam Catulli vel Propertii: nam in his saepe ne verba quidem sunt Latina, ut vel hinc necessitas coniecturas promendi ultro se offerat: at apud Albium, cuius, si cum illis compararis, minus corrupti sed magis interpolati libri antiquissimi, fucata plerumque specie sonorum inducimur. Quin eo reverentiae erga Lachmanni memoriam sunt progressi, ut ne Frisingensium quidem excerptorum quae vulgatorum codicum aetatem CCCC annis superant lectiones, longe illas meliores haud raro receptis vulgo et ab omni interpolatione immunes, quia serius Lachmanno innotuerant, admittere auderent in ordinem verborum. Huius rei amplissimum exemplum habes editionem Tibulli quam curavit Dissenius, qui praeceptoris sui Heynii nimis memor sed mutata temporum ratione multus fuit in pulchritudine illius carminum demonstranda: ceterum ad interpretationem parum, ad emendationem nihil profuisse censendus est. — Quae cum ita sint ad ipsa iam scriptoris verba transeamus.

I, 1, 2 *iugera multa* Fr., exc. Par., Diomedes pg. 481, *i. magna* ABC. Ita in Ov. am. III, 15, 12 habet Palatinus primus *iugera parva* pro *pauca*.

ib. 1, 5 *vita* Fris., exc. Par., *vitae* cdd. Tib.

ib. 6. Post h. v. inserui 25—34, sicut iussit Haasius in libello, quem vere a. 1855 emisit, academico [pg. 12 sqq.].

ib. 25 *iam mihi*, *iam* ego; ita et Schneidewinus in coniectan. crit. pg. 146, *iam* $\overset{o}{m}$ *iam* Fr., cdd. *iam modo non*, exc. Par. *quippe ego iam possum,* atque ita etiam, quod Franckenius pg. 9 testatur, florilegium Scaligeri. Idem vitium IIII, 13, 3 in AC observatur. — ib. *possim* Fr., *possum* v.

ib. 34 *de magno* Fr., *de magno est* AB, exc. Par. Satis tamen bene habet illud, quoniam sententia est communis.

ib. 12 *florea* C, *florida* AB.

ib. 13, 14. Hoc distichon Haasio duce [l. m. pg. 10 sq.] traieci post 18.

ib. 13 *donum* scripsi, ut statim *munera; pomum* v.

ib. 14 *agricolam deum* Puccius, *agricolae deum* cdd.; *agricolae deo* Muretus.

ib. 37 *de* C, *e* AB.

ib. 44 *si licet* v., *scilicet* ABC, exc. Par. et Scaligeri.

ib. 48 *imbre* exc. Par., *igne* ABC.

ib. 49 *sit dives iure.* Pro *iure* illud *rure* legisse se in excerptis testatur Scaliger: nihil tamen de ea re notatum in ed. Plantiniana. Ceterum Itali de coniectura reposuere *inire,* Franckenius *ferre* ut infra *parce solutis crinibus et teneris, Delia, parce genis.*

ib. 51 *potius pereatque* liber Statii, *pereat potiusque* v.

ib. 55 *victum* Itali, *vinctum* v.

ib. 64 *neque* Fr., *nec* v.

ib. 67 *tum* Hauptius, *tu* cdd.

ib. 71 *nec* Fr., *neque* v.

ib. 72 *capiti, capite* exc. Par., Itali. Sane difficile dictu dativus casus an ablativus huic loco sit aptior.

ib. 74 *conseruisse* Heynius, *inseruisse* v.

ib. 77 *conposito — acervo*, cf. Hor. c. II, 2, 23, 24.

I, 2, 14 *florea* Broukh., cf. I, 1, 12, *florida* v.

ib. 17 *qui iuvenis* scripsi lege euphoniae, quam vix

umquam laesit Tibullus. Vid. etiam, quae nuper diximus ad Hor. c. I, 22, 2; *quis iuvenis* v.

ib. 19 *derepere* Fr., cf. Ov. am. III, 1, 51; Cat. frgm 64, 7 ed. Jord.; ann. phil. l. m. pg. 67; *decedere* vel *descendere* v.

ib. 40 *rabido* Itali, *rapido* v.

ib. 58 *ille* Itali, *ipse* A B d e.

ib. 82 *deripuisse* Itali, *diripuisse* A B C.

ib. 88 *uni* Itali, *unus* A B C.

ib. 89 *lusisset* cdd., *dampnasset* exc. Par., quam agnosces scripturam venisse a sacerdote vel alio restrictae frontis homine.

I, 3, 9 *quam* Dousa pater, *cum* v.; cf. IIII, 7, 8. — Idem vitium supra in Cat. 66, 23 observatum.

ib. 12 *trinis* Muretus, *triviis* cdd.

ib. 14 *respueretque* lib. Zwiccaviensis, *respiceretque* v.

ib. 18 *Saturnive* Broukhusius, *Saturni* A B C, *Saturni aut* alii.

ib. 50 *multa reperta via* Vat. quartus, recte, nisi quod librorum scriptura, quae est *viae*, potius effici videbatur illud *via est.* Vulgo legitur *mille repente viae*, id quod duplicem ob causam falsum est; primum quia omni sensu caret illud *repente;* neque enim Tibulli aetate, sed multis saeculis ante Iovis regnum inceperat, deinde omnino adverbium illud alienum ab Albio sicut a plerisque poetarum. Ceterum videnda Broukhusii adnotatio. Ita et Rutilius I, 365: *ferro vivendi prima reperta via est.* Praeterea v. 28 huius carminis ipse Tibullus *picta docet templis multa tabella tuis.*

ib. 52. Post haec verba hiare orationem quod nemo hactenus, in quantum mihi constat, sensit, sane mirum videtur. Quid enim? nonne erat hominis immodesti rogare, ut ipse Iuppiter O. M. monumentum sibi exstrueret? Neque vero ullo pacto potuit fieri, ut Messalla iam significaretur v. 54, quippe quem antea ne compellasset quidem singillatim. Nam vv. 1, 2 erant haec:

Ibitis Aegaeas sine me, Messalla, per undas,
o utinam *memores ipse cohorsque mei.*

Apparet autem excidisse primum aliquot versus, in quibus preces ad Iovem pro incolumitate propria datas, quae nunc tam ieiuna tamque concisa brevitate leguntur, non ut agnoscas Tibullum, longius persequeretur poeta, mox eundem orationem deflexisse ad Messallam.

ib. 86 *colu* Fr., *colo* v.

ib. 87 *at* exc. Par. et fortasse A, *ac* rel. libri Lachm.

I, 4. Hoc carmen piget ac paene pudet quod non eo potissimum versuum ordine repraesentavimus, quem Ritschelius libello de quo dixi in praefatione Catulli a. 1866 proposuit. Certe graviter in illo turbatum. Neque tamen vi inertiae nec inani superstitione series ea versuum, quam exhibent scripti, servata sed causa quam hic afferre alienum est. Quod cum ita sit, Ritschelii inventa in maiore editione quo par erat honore habebimus, interim ordinem versuum qualem ipse commendavit significasse contenti. Quos ita se excipere statuit, ut post 14 ponantur 39—56, 71, 72, 21—26. His subiciendos 15—20, 27—38, 73—84, 57—70. Ceterum ortam confusionem ex archetypo librorum Tibulli scriptura unciali sive maiuscula exarato, qui formae minime magnae senos versus vel potius duodenos dimidiatos in singulis continuerit paginis, Merovingiorum fere aetatem referens.

ib. 22 *longa* A, *summa* v.

ib. 27 *tardus eris*, ita cdd.; *tardueris* Lachm. ad Lucr. pg. 207; et probat Ritschelius. Vereor tamen ne tardendi sive tardescendi vocabulum Tibullo minus conveniat, quam Catullo sive Lucretio, nec vero video, quid displiceat in vulgata. — ib. *transiet*, cf. d. r. m. pg. 403.

ib. 30 *alba* Itali, *alta* AB.

ib. 34 *iam;* ita cdd., *olim* Ritschelius.

ib. 38. Pro illo *nam* Schraderus commendavit *quam,* Ritschelius, id quod magis placet, *hinc.* Suspicor tamen recte se habere scripturam vulgatam; certe particula ista vix aliter posita invenitur apud Lygdamum 4, 43: unde plerumque dubito, an iniuria expulerim eandem ex v. 12 c. 4. l. II; 5, 6, I.

ib. 41 *neu* edd., *ne* Ritschelius.

ib. 44 *nimbifer* Itali, Heinsius, *imbrifer* cdd. — ib. *Eurus* Balbus carm. 20 pg. 154, Huschkius, *arcus* scripti.

ib. 48. Illud *opera*, ablativum esse, qui quidem pendeat ab eo, quod est *atteruisse* monet Ritschelius.

ib. 53. Propter sequens ordine illud *tum* etiam priore loco eadem forma adverbii erat reponenda.

ib. 55 *offeret* Puccius, *afferet* ABC.

ib. 81 *eheu* Ritschelius, ut puto recte, e B, in quo est *he heu*, v. *heu heu*.

I, 5, 42 *a pudet* scripsi, *et pudet* cdd. — ib. *meam* viri docti, *mea* cdd.

ib. 61. De eo versu iam supra dictum pg. XII.

ib. 69 *furta* libri, corr. Muretus.

ib. 72 *ac* BC, *aut* A, *et* Itali, Vossius.

I, 6, 5 *iam* Itali, *nam* ABC.

ib. 7 *iurata* Heynius ex Ov. trist. II, 447; *tam multa* sine ullo sensu cdd. Tibulli.

ib. 20. Post hunc v. collocavi 25—32, quibus minime aptus locus quem tenent in vulgata scriptura.

ib. 25 *signumve* Itali ex Ov. Trist. II, 451; *signumque* v.

ib. 22. Apparet excidisse distichon, cuius quidem initio haud dubie fuit particula *seu* quae responderet ei, quam habes v. 21. Ceterum satis constat Isidis mentionem fuisse factam in versibus perditis, de qua Ovidius in re simili *et modo quae causas praebeat Isis erit.*

ib. 23 *cedas* scripsi, *credas* cdd.; vulgata lectio irrepsit e v. 37.

ib. 38 *detracto* B, fortasse recte, *detrecto* AC.

ib. 39 *colit* cdd., *colis* Guietus; ita semper simili condicione scriptores Latini.

ib. 40 *et fluit* Itali, *effluit* v., quam frustra lectionem loco quodam alieno Claudiani [paneg. in IIII consul. Hon. v. 206] defendit Broukh.; ut omittam ingratissimum sonum.

ib. 42 *sit* scripsi, *stet* v. — ib. reponendum *stet precor* pro eo, quod est in cdd., *procul.* Similiter turbatum in III, 6, 52. Illud *sit procul* plane eodem modo dictum, quo

I, 10, 66. Optat nempe Tibullus, ut quicumque casu occursurus sit puellae aut non nisi longo spatio discretus ab illa transeat in platea eadem, aut potius statim visa ea deflectat in aliam viam.

ib. 53 *attigerit* cdd., corr. Itali; nec intellego, qui potuerit Lachm., ut tueretur lectionem vulgatam, provocare ad v. 39.

ib. 71 *putat* AB, *puter* Itali; — ib. *ducarque* recte idem, *ducorque* AB, *ducterque* alii sine causa; cf. e. g. Iuv. 5, 125.

ib. 80 *dente* Statius, *ducta* v.

I, 7, 4. *Atax* v., corr. Scal.

ib. 11 *testis Arar Rhodanusque celer;* ita cdd.; at Scaliger ap. Franck. pg. 12 *t. Atur Duranusque c.* — ib. *Garonna* Fr., *Garumna* v.; sed rectius fortasse scribitur *Garunna;* cf. Protzenius pg. 12 sqq.

ib. 12 *Carnuti* Scal., *Carnutis* Fr., *Carnoti* v.

ib. 16 *arat* cdd., corr. Itali.

ib. 35. Recipiendum erat illud *iocundos* ex Fr. Ita et alii Tibulli codices alibi.

ib. 49 *et genium ludo* Heynius, *et centum ludos* cdd.

ib. 56. Illud *veneranda* quod est in AB tolerari non posse cum recte persensissent Itali (nam ut alia mittam Messallae honori hoc dedicatum carmen, non filiorum eius, qui tum cum scribebatur erant pueri) posuerunt de coniectura id quod est *venerata.* Sed melius et minore mutatione scripturae traditae potuit res geri. Venit a Tibullo *venerande.* Idem vitium in II, 5, 43.

ib. 58 *candidaque; candida quem* Broukh., immo *candidave.*

ib. 61 *canet* Itali, fortasse recte; *e* addidere idem.

I, 8, 14 *colligat* exc. Par. Itali, Franckenius pg. 2; *colligit* v., quod frustra alienis exemplis testatur Broukh.

ib. 17 *pollentibus* Itali, Broukh., *pallentibus* v.

ib. 35 *inveniet* Scal., *invenit* cdd.

ib. 36 *tumet* Scaliger, non recte ad sententiam carminis. — ib. *ut* — *conserat* scripsi, *et* — *conserit* v.; *et* — *conserere* Heynius, minus bene indice euphonia.

ib. 49 *neu* Scal., *seu* ABC.

ib. 51 *sontica* Fris., Itali, *rustica* pr. A, *sentita* B, *sentica* C.

ib. 53 *vel;* ita recte cdd., quod ad illud *absenti* referendum; *vae* vulgo, qua vocula Tibullus, frequentissimus alias ut reliqui eroticorum interiectionibus admittendis, non utitur.

ib. 77 *at te poena manet;* huc pertinere quod legitur ap. Char. pg. 297 in exemplis manendi verbi cum dativo iuncti '*tibi poena manet*' ut haustum sit Tibulli nomen cum Ciceronis (cuius proxime praecessit) verbis, quae putat Keilius petita ex phil. II, 5, 11, acutissime coniecit Fleckeisenus noster.

I, 9, 25 *lingua* exc. Par., *leva* A, *lene* B.

ib. 45 *a* scripsi, *o* Fr., *tum* v.

ib. 69, 70 traieci post 72.

I, 10, 5, 6 *an nihil ille miser meruit? nos ad mala nostra vertimus, in saevas quod dedit ille feras?* Nullus hic interrogationi locus; neque enim dubitare poetam demonstrant sequentia. Reponenda quae totiens librariorum fraude eversa vocula *a*. Ea hic sequente *n* labem traxit.

ib. 11 *vulgi* cdd., corr. N. Heinsius.

ib. 25. Post hunc v. excidisse et ultimam precum Tibulli partem et primam voti iam intellexere Itali.

ib. 37 *perscissisque* exc. Scal., *perscissis* exc. Par., *percussisque* v.

ib. 49 *pace bidens vomerque vigent; vigent* AC; cf. I, 3, 59. *Nitet* exc. Scal. et Par., *nitent* Guietus, quod firmari ait Richterus pg. 66 illis quae sunt ap. Ov. Fast. IIII, 927, 8.

ib. 50. Post hunc v. quaedam excidisse omnino adsentior Haasio [l. m. pg. 6], licet alias eius de hoc carmine opinationes probare non possim; neque enim est Tibulli narratione tam abrupta in eadem re persequenda transire ad diversissima. Excidit longior descriptio ruralium operum et gaudiorum quae solerent evenire in pace.

ib. 61 *rescindere* N. Heinsius, *perscindere* cdd.

II, 1, 1 *faveat* Scal., *valeat* cdd.; *ades — faveas* Broukh.

ib. 13 *casta placent superis: pura cum veste venite, et manibus puris sumite fontis aquam.* Illud *castus* haud raro dici de rebus ad sensus cadentibus satis constat. Ita Varro in Eumen.: *quae casta vestis,* et Catullus in epithal.: *cum castum amisit polluto corpore florem.* At excerptores Gallici ne hic quidem bibliorum immemores scripsere *pura cum mente venite.*

ib. 43—45 *tum — cum — tum — tum* exc. Paris.

ib. 58 *curtas* Waardenburgius, *hircus* cdd. — ib. *opes* Wassenberghius, *oves* cdd.

ib. 66 *applauso* ed. Regiensis, *appulso* ABC.

ib. 67 *interque greges* Puccius; *quoque inter agros* ABC; *q. i. apros* Klotzius a. ph. a. 1869 pg. 794.

ib. 89 *furvis* N. Heinsius, *fulvis* ABC.

II, 2, 17 *viden ut* Guietus, cf. II, 1, 25; *utinam* cdd.

ib. 21 *hac — avi* N. Heinsius, *hic — avis* v.

II, 3. Huius elegiae vv. 1—60 tali voluit aliquando Scaliger ordine procedere, ut ponerentur 1—32, 49—60, 35—46, 33—34, 47, 48. V. 47 pro illo *tibi* in margine adscriptum *mihi.*

ib. 3, 1 *Cornute* AB, *Cerinthe* Itali, fortasse recte.

ib. 3 *laetos* Itali, *latos* v.

ib. 10 *pussula* Fr., cf. Protzenius pg. 17 sqq., *pustula* v.

ib. 14. Etsi nihil de hoc versu annotatum est, non tamen dubito, quin sit ex eadem fabrica, qua lacuna post v. illum *ipse deus solitus stabulis expellere vaccas* expleta est. Frustra enim Lachmannus existimavit difficultates tolli correcto metro, qui scripsit *mixtu subriguisse.* Manet vel sic oratio inepta et tam culto poeta minime digna. Similiter Franck. iudicavit pg. 18, qui tamen minus recte etiam damnat v. priorem.

ib. 27 *Python* reposui ex A, in quo est *phiton,* et similiter scribendum fuit in Phaedri appendice 6, 6, ubi est in membr. Neapol. *phyton; Pytho* v.

ib. 34 *imperitat* Itali, *imperat ut* v.

ib. 41 obsidere exc. Par., *obsistere* ABC.

ib. 42 *multo innumeram iugere — ovem* A, ut vid., *multa innumera iugera — ove* inepte B, exc. Par.; cf. et quae dixi ad I, 3, 50.

ib. 59 *iste* Heynius, *ipse* cdd.

ib. 61 *Ceres* N. Heinsius, *seges* libri. Eadem varietas in Ov. am. I, 15, 12.

ib. 62 *certa* Puccius, *terra* ABC.

II, 4, 12 *iam* Itali, *nam* ABC, cf. quae diximus ad I, 4, 38, *nunc* exc. Vinc. et Par.

ib. 23 *sacris, focis* C. — ib. *fanis, donis* A, *sacris* C.

ib. 38 *sic* Heynius, *hic* ABC.

II, 5, 4 *mea* Lachmannus, *meas* AC, *tuas* B.

ib. 18 *quid,* ita fortasse A, Muretus, *quod* BC.

ib. 34 *pulsa* Itali, *pulla* cdd.

ib. 35 *diti* Muretus, idque verum et sensu suadente et iudice euphonia, *ditis* cdd.

ib. 43 Scripsi *venerande;* neque enim tam putidae eruditionis poeta est Tibullus, ut ideo dicat Numicium fluvium venerandum, quod virgines Vestales aquam sacris faciendis ex eo haurire sint solitae. Aenean cur dicat venerandum Sibylla facile apparet; nam ita eadem apud Maronem [aen. 6, 125] *sate sanguine divom.* Vulgo *veneranda;* cf. et quae notavi ad I, 7, 56.

ib. 48 *barbare Turne;* ita Propertius IIII, 7, 31 *barbarus Hector.*

ib. 68 *Phyto* (fuit antiquitus scriptum *Phoeto*) Hauptius, *Phoebo* cdd. — *Graiaque* Hauptius, *grataque* A; *grata quod* BC, in quibus est etiam *admonuit.*

ib. 69 *Aniena* Itali; idem *Tiburs; Albana* et *Tiberis* cdd.

ib. 71 *haec* ABC, quam reduxi formam, *hae* v.

ib. 75, 76 recte ut puto post 78 collocavit Rossbachius.

ib. 79 *fuerunt* Itali, *fuerant* AB; *fuerint* Broukh.; idque fortasse melius.

II, 6, 23. 24. Hoc distichon spurium dixit Guilelmus Fischer in quaest. Propert. Bonnae 1863 editis. In maiore equidem v. quid displiceat viro docto non intellego; minor sane inopportunus idemque vulgaris, ut eum ex

eadem fabrica prodisse qua II, 3, 14 haud dissimile videatur veri.

ib. 45 *necat* Pontanus, *vetat* cdd.

III, 1, 2 *hinc* Itali, *hic* v.

ib. 10 *pumex* Puccius, *pumicct* v.

ib. 12 *facta,* fortasse *festa.* — *meum* Itali, *tuum* cdd.

III, 3, 20 *invidia est* exc. Scalig. et Par., *invida quae* ABC.

ib. 38 *Ditis* Itali, *divcs* AB. — ib. *ab* scripsi, *in* cdd. corruptela haud sane insolita.

III, 4, 2 *extrema* Itali, *hesterna* v.

ib. 3 *vanum* C et a pr. m. A, *vani* B.

ib. 4 *nobis* Guietus, *votis* ABC.

ib. 13 *tremores* scripsi, *timores* v., minus recte, quoniam statim sequitur illud *pertimuisse*, unde orta corruptela.

ib. 21 *summa — ab Octa; summo ab Octa* Marklandus; videnda tamen quae dixit Gronovius ad illud in Hercule Furente *Titan summa prospicit Oeta; summo — ab ortu* cdd.

ib. 26 *heroum nec tulit ulla domus* Lachmannus, *humanum nec videt illud opus* cdd.

ib. 65. Hunc versum, quem de coniectura supplerant Itali, ex parte recte, Cuiacianus liber repraesentavit talem, qualis a Tibullo venit; nisi quod in eo minus bene scribitur *validos* pro *varios.*

ib. 66 *posse* ABC Fr., *saeva* Cuiac.

III, 5, 3 *proxima* Scioppius, *maxima* libri.

ib. 7 *deorum* ex v. priore vel insequente cdd. plerique, corr. Itali.

ib. 11. In imo margine exemplaris Scal. legitur hoc: *nec nos sacrilegi templis admovimus ergo;* nec recte putasse N. Heinsium eam scripturam libri Cuiac. apparet ex Scal. castigationibus.

III, 6, 1 *edera* Fr. ABC. — ib. *geras* Itali fort. recte.

ib. 3 *patera medicante* Wyngardius, *pariter medicando* cdd.

ib. 6 *et nobis prona funde Falerna manu.* Scal. *i*, potius *en*.

ib. 21 *convenit* — *severos* Lachmannus, *non venit* — *severus* cdd. plerique.

ib. 32 *multos; multas* recipiendum ex A.

ib. 33 *ei; et* Fr., *hei* v.

ib. 38. Apparet post h. v. esse lacunam. Neque enim ullo modo adduces ut credam tam abrupto sermone Lygdamum usum esse ad repetendam quam vv. 25, 26. 33—36 proposuerat sententiam. Accedit quod idem, cum toto hoc carmine puellarum de perfidia sit questus, ne potuit quidem hoc loco deceptae a viro feminae exemplum proponere nisi id munisset sententia ut puta tali qualis legitur infra vv. 49. 50. Ceterum facillimus erat transitus a Lenaeo, cuius mentio proximo ante lacunam v. facta erat, ad Ariadnam, cuius tristibus verbis obviam isse pro solita mansuetudine Bacchum et illius fatis apparere ne a viris quidem alienam perfidiam haud dubie longius executus erat Lygdamus. Ceterum ne hoc quidem sua caret probabilitate etiam post v. 42 quaedam intercepta; nam liquet, opinor, proxima minus apte conecti.

ib. 44 *carere* ABC, *cavere* Cuiac., exc. Frising., nec aliter reliqua. — *tuo* Fris. ABC, *tuos* (non *toros*) Cuiac., *tuum* Itali.

ib. 46 *subdola* N. Heinsius, *sordida* v. — *prece* exc. Paris. et Scal. ac Vinc., *fide* cdd. Tib., quod videtur irrepsisse e v. 49.

ib. 52 *procul* Itali, *precor* ABC Fr. Videnda etiam quae dixi ad I, 6, 42.

IIII, 1, 1 *me* Itali, *mea* ABC. Inde Lachm. scripsit illud *me et*, quod nimis tamen languet. Codicum error eodem modo ortus, quo Prop. V, 2, 5 legitur in N *mea turba* pro *me turba*.

ib. 2 *valeant* ABC, *nequeant* Cui.

ib. 12 *laeta,* fortasse *lenta*.

ib. 16 *parvos* hic melius quam *parvus* iudice euphonia.

ib. 26 *vovemus,* ita Cuiac. Scal., non ut est ap. Lachm. excerpta, quae non ultra tertium librum pertinuere.

ib. 40 *hinc* — *hinc* Itali, *hic* — *hic* v.

ib. 72 *rabidas* A, *rapidas* v.

ib. 78 *erroris* Cui., *errorum* ABC, fort. rectius, cf. tamen Prop. IIII, 11, 36.

ib. 91 *celerem* Itali, *celeremve* ABC, *celereve* exc. Par. Illud *celeremve* e v. 89 irrepsisse suspicatur Lachmannus. — ib. *angusto* scripsi, cf. I, 4, 11, *arto* v.

ib. 94 *convertere* Crusius, *contendere*, quod ex v. praecedente huc illatum cdd.

ib. 96 *veniat gravis* Cui., exc. Par., *grandis venit* v.

ib. 97 *aptior* Franckenius pg. 10, cf. v. 63, *amplior* v.

ib. 110 *arvis* Itali, *armis* ABC.

ib. 116 *domante* scripsi, *domator* v.

ib. 126 *rabidum* Guietus, *rapidum* v.

ib. 129 *sint* docti, *sunt* v.

ib. 146 *Magynos*, fort. *Macrones, Sigynos* Is. Vossius ad periplum Pont. Eux. pg. 81 Huds.; al. *Mosynos,* sed cf. Herm. ad Orph. Arg. 745.

ib. 151 *considit* N. Heinsius, *consistit* v. Ita etiam ap. Prop. III, 14, 30 in libro G est *sistat* pro *sidat.*

ib. 155 *incerto* Guietus, *incepto* v.

ib. 175 *praeclaros ierint* Cui., corr. Scaliger; cf. Ov. a. am. III, 87 *ite per exemplum genus o mortale dearum.* Mire Lachm. *cierint.* ABC exhibent id quod est *poscent.*

ib. 185 *fecundas ad* — *messes* Cuiac.

ib. 193 *rabidas* Itali, *rapidas* v.

ib. 196 *pronum* scripsi, *parvum* v. (itaque reposui *pnum* pro *puum*).

ib. 202. Prius ut videtur *vel* punctis notatum in Cuiac. *inhaereat ore* Itali, *inhaeret* sive *inerret in* vel similia cdd.

ib. 204 *cum* — *contexerit* Puccius, *tunc* — *cum texerit* libri sinceri, excepto quod de Cuiac. non constat.

IIII, 2, 20 *aquis*, immo *equis,* ut scripsit Scal.; cf. Prop. V, 3, 10.

ib. 23 *haec* Heinsio et Franckenio testibus lib. Cuiac., *hoc* ABC. — ib. *sumat* Itali, *sumet* Cuiac. AB.

IIII, 4, 6 *candida* Itali, *pallida* ex versu priore ABC.

ib. 4, 16. Versus 21, 22 hoc l. inseruit Aldus a. 1515.

IIII, 5, 9 *magne* Itali, *mane* ABC.
ib. 20 *clamne palamne* docti, *clamve palamve* ABC.
IIII, 6, 3 *lota* Canterus, *tota* cdd.
ib. 15 *praecipiat* Hauptius, *praecipit et* cdd. — ib. *optet* Itali, *optat* ABC.
ib. 19 *sit* Itali, *sis* Cuiac., *sic* B, *si* AC. — ib. *gratum* Statius, *grata* cdd. — ib. *veniet* BC, *adveniet* A. In Cuiac. utrum fuerit *veniet* an *atveniet*, non satis constat.
IIII, 7. Hoc carmen recte Sulpiciae videtur tribuisse Rossbachius.
IIII, 9, 3 *genialis* Itali, *natalis*, quod irrepsit ex v. priore, ABC.
IIII, 10, 3 *si* Heinsius, *sit* v.
ib. 5 *doloris* Hauptius, *dolori est* libri.
IIII, 11, 5 *quid* ABFce, *si* Puccius; *quum* Itali.
IIII, 13, 3 *mihi* B, *modo* AC.
ib. 21 *facias* scripsi, *faciam* v.
IIII, 14, 3 *iacta* Pontanus, *facta* v.

DE TIBVLLI ARTE METRICA.

In Tibulli sylloge habentur disticha excepto quod auctor panegyrici ad Messallam simplici usus est metro heroico. Ceterum illius versus elegiaci tanto distant intervallo a Catulli, ut possit videri saeculo posterior. Sed enim vehementer falletur, qui putarit ipsius potissimum provenisse virtute quam miramur in eo distichorum elegantiam, extra dubitationem cum sit positum illud, plurimos poetas qui fuerunt sub initia Augusti id studuisse, ut hexametris pariter ac pentametris cultum adderent ac nitorem. De qua re melius nobis constaret, nisi Galli carmina et Valgii et Varronis cui ab Atace nomen communi litterarum Latinarum naufragio essent hausta. Nec defecerunt tamen Augusto imperante qui duriores numeros adhiberent rursus elegis, cuius rei documentum sat am-

plum extant priores tres libri Propertii. Mox tamen auctoritate Ovidii evenit, ut relictis istis modulis cultissima quaeque sectarentur qui disticha pangerent. Sed enim iam de Albio videamus.

Cuius in arte describenda vix nos morabitur quod addita feruntur carminibus eius aperte aliena, puta Lygdami, Sulpiciae, eius qui scripsit laudes Messallae versu heroico. Nam hi omnes ut aetate suppares ita metrorum rationibus adeo sunt similes Tibulli, facile ut persuadeas tibi ducem eum fuisse illis et magistrum ad poeticam tendentibus. Tamen quae diversa ab eius norma admisere, et numero exigua illa et parvo momento, cum cura indicabuntur.

Igitur hexametri Tibulliani haec est species:

— ⏕ — ⏕ — ⏕ — ⏕ — ⏑ ⏑ — ⏓

excluso ut vides a sede paenultima spondeo. Omnino hunc pedem ut graviorem paullo tardioremque minus quam Catullus et Propertius in simili metro usurpavit ille. His tamen hactenus est similis, quod incisionis semiseptenariae genera plura quam Ovidio cum severissimis auctoribus artis probatum admittit metro heroico. Etenim praeter vulgo recepta haec et talia

— ⏑ ⏑ — | ⏑ ⏑ — ⏑ | ⏑ — | ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑
— ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — | ⏑ ⏑ — | ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑
— ⏑ ⏑ — | ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — | ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑

bisque die | reso*luta* comas | tibi dicere laudes
at quae fida *fuit* nulli, | post victa senecta
ferte et opes: | ego conposito | securus acervo

habet etiam ut puta illa

— ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ | ⏑ — | ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑
— ⏑ ⏑ — ⏑ | ⏑ — ⏑ | ⏑ — | ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑

huc ades adspi*raque* mihi | dum carmine nostro
non ego *totus* ab*esset* amor | sed mutuus esset.

Numquam tamen adhibet speciem sextam, qua et ab*sit trithemim*eres nec trochaeo tertio verbum finiatur. Ea

semel sed legitima cum excusatione usus auctor panegyrici ad Messallam [IIII, 1, 168]

temperat alter et alterius | vires necat aer.

Nec saepius quintam adhibuit idem carmini, duplicato equidem nomine proprio [11]

Erigoneque Canisque, neget | ne longior aetas.

Sed utraque Lygdamus prorsus abstinuit; nec magis illae in quarti libri reperiuntur elegis. Ceterum Tibullus cum suis cum paullo neglegentiores essent circa hephthemimerin, ea tamen re valde laudandi, quod omnino ex carminibus exclusere τομὴν κατὰ τρίτον τροχαῖον.

Praeterea annotavit Lachmannus Lygdamum numquam post quartum trochaeum finire verbum, quam praeisse ei normam Catullum carmine 64 observavit Hauptius.

Quantum ad rhythmos hexametri memoria dignum illud numquam sede secunda hexametri pentametrive inveniri vocabulum dactylicum, ne dicam spondiacum ad hanc formam:

et si *frigida* mors anima seduxerit umbram
a miser, *etsi* quis primo periuria celat.

At circa finem observantiae evenere tales. Numquam sexti pedis ars violatur iniecto monosyllabo praecedente polysyllabo ut puta sic

quam bene Saturno vivebant rege, prius quam.

Quod contra quinis exemplis libri I et II evenit ut quinta pars formaretur vocabulo pyrrichiaco praecedente spondiaco sive anapaestico [I, 6, 1. 63. II, 4, 45. 59. 5, 111]

semper ut inducar blandos offers mihi voltus.

Id sexies, non minus, imitatus est auctor panegyrici ad Messalam [IIII, 1, 28. 59. 107. 168. 194. 205]. Idem et semel pentasyllabo verbo conclusit metrum [59]

incultos adiit Laestrygonas Antiphatenque.

Pentametri plerumque disyllabo vocabulo finiuntur, plane sicut in Priapeis: nec tamen nimis infrequenter trisyllabo sive tetrasyllabo et aliquando pentasyllabo locus. Praeterea dignum memoria pro reliqua qua usus est versuum faciendorum arte Tibullum diligenter cavisse, ne

fines sensuum ac numerorum vehementius discreparent. Vnde raro evenit, ut caesura versus heroici — nam a pentametro eadem exulat licentia — incidat in coniunctiones monosyllabas sive praepositiones; praeterea bis, non saepius, gravius interpunctum post pedem quintum [I, 1, 57. 4, 3]

non ego laudari curo, mea Delia: *tecum*
   dummodo sim, quaeso segnis inersque vocer.
quae tua formosos cepit sollertia: *certe*
   non tibi barba nitet, non tibi culta comast.

Finito autem disticho amat sententiae quoddam interstitium adici, quod interpunctione exprimitur.

Neque vero minutias tales taedii sat plenas cum pulvisculo hic loci exhaurire gestit animus.

Synizesis quae oritur i vel u mutatis in consonam nulla, Graecanica habetur semel [II, 1, 49]

rure levis verno flores apis ingerit *alveo.*

Dihaeresis accidit in illis [I, 7, 2. 10, 62. IIII, 5, 16] *dissoluenda, dissoluisse, soluisse.* Cf. d. r. m. 262.

In elisionibus adhibendis quanta fuerit cautio Albii iam facile apparebit, postquam plurima licentiae eius exempla truncata una vocula '*est*' sustulimus. Praeterea monenda haec:

Nusquam eliduntur iambica, nusquam cretica, neque dactylica quae in m exeant. Nec vero pyrrichiaca eadem littera finita synaloepham patiuntur insequente correpta vel acuta. Porro non eliduntur monosyllaba longa insequente brevi, nec spondiaca eadem condicione nisi quater in prima thesi, semel in quarta I, 2, 89. II, 1, 41. III, 4, 49. IIII, 1, 175. 43.

Elisio in prima ultimave syllaba metri nulla. Praeterea maxime locus synaloephae in primo pede et in quarto, porro in arsi secundi, praeterquam ubi trithemimeri optinetur. — Nusquam autem Tibullus longas aut in m exeuntes vocales elidit a quinti inde pedis thesi; nec magis in altero pentametri hemistichio praeter hoc metrum [I, 4, 56]

post etiam collo se inplicuisse volet.

Elisio longae in tertia sive arsi seu thesi hexametri nulla; eam legem semel inversam inveneris in altera thesi pentametri [I, 2, 58]

omnia: de *me* uno sentiet ipse nihil.

Sed in quinto semipede eiusdem versus synaloepham quamcumque admitti nefas.

Hiatus exemplum unum invenitur, quod cur removerem non inveni [I, 5, 33]

et tantum venerata *virum,* hunc sedula curet.

Neglectae legis eius qua cavetur, ne duae consonae praeter mutam cum liquida excipiant brevem finalem verbi praecedentis excepto ubi nihil interest ea corripiatur an producatur, huius inquam legis neglectae reperiuntur duo exempla in vocabulo quodam Graeco eoque inepto aliter metro dactylico et quidem ultima parte versus heroici [I, 1, 51. II, 4, 27]

o quantumst auri potius pereat*que smaragdi*
o pereat quicumque legit virides*que smaragdos.*

Bis etiam productionem habes brevis [I, 5, 28. 6, 34]

pro sege*tē sp*icas, pro grege ferre dapem.
serva*rē, fru*stra clavis inest foribus.

Brevis finalis producta in hexametro vi caesurae penthemimeris (non aliter) apud Tibullum reperitur quater [I, 4, 27. 10, 13. II, 2, 5. IIII, 2, 3]

at si tardus *eris,* errabis transiet aetas
nunc ad bella *trahor* et iam quis forsitan hostis
ipse suos *genius* adsit visurus honores
hoc Venus *ignoscet:* at tu, violente, caveto.

Nihil faciunt ad hanc quaestionem quae mendose scripta habentur vulgo I, 4, 44. 7, 61. II, 1, 58. 3, 14. 4, 38.

ALBII TIBVLLI

LIBER PRIMVS.

I.

Divitias alius fulvo sibi congerat auro
  Et teneat culti iugera multa soli,
Quem labor adsiduus vicino terreat hoste,
  Martia cui somnos classica pulsa fugent:
Me mea paupertas vita traducat inerti,
  Dum meus adsiduo luceat igne focus.
Iam mihi, iam possim contentus vivere parvo
  Nec semper longae deditus esse viae,
Sed Canis aestivos ortus vitare sub umbra
  Arboris ad rivos praetereuntis aquae.
Nec tamen interdum pudeat tenuisse bidentes
  Aut stimulo tardos increpuisse boves,
Non agnamve sinu pigeat fetumve capellae
  Desertum oblita matre referre domum.
At vos exiguo pecori, furesque lupique,
  Parcite: de magno praeda petenda grege.
Ipse seram teneras maturo tempore vites
  Rusticus et facili grandia poma manu:
Nec Spes destituat, sed frugum semper acervos
  Praebeat et pleno pinguia musta lacu.
Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris,
  Seu vetus in trivio florea serta lapis:
Flava Ceres, tibi sit nostro de rure corona
  Spicea, quae templi pendeat ante fores:
Pomosisque ruber custos ponatur in hortis,

Terreat ut saeva falce Priapus aves.
Et quodcumque mihi donum novus educat annus,
Libatum agricolam ponitur ante deum.
Vos quoque, felicis quondam, nunc pauperis agri
Custodes, fertis munera vestra, Lares.
Tunc vitula innumeros lustrabat caesa iuvencos:
Nunc agna exiguist hostia parva soli.
Agna cadet vobis, quam circum rustica pubes
Clamet 'io messes et bona vina date'.
Hic ego pastoremque meum lustrare quotannis
Et placidam soleo spargere lacte Palem.
Adsitis, divi, nec vos de paupere mensa
Dona nec e puris spernite fictilibus.
Fictilia antiquus primum sibi fecit agrestis
Pocula, de facili conposuitque luto.
Non ego divitias patrum fructusque requiro,
Quos tulit antiquo condita messis avo:
Parva seges satis est, satis est, requiescere lecto
Si licet et solito membra levare toro.
Quam iuvat inmites ventos audire cubantem
Et dominam tenero detinuisse sinu
Aut, gelidas hibernus aquas cum fuderit Auster,
Securum somnos imbre iuvante sequi!
Hoc mihi contingat: sit dives iure, furorem
Qui maris et tristes ferre potest pluvias.
O quantumst auri potius pereatque smaragdi,
Quam fleat ob nostras ulla puella vias.
Te bellare decet terra, Messalla, marique,
Vt domus hostiles praeferat exuvias:
Me retinent victum formosae vincla puellae,
Et sedeo duras ianitor ante fores.
Non ego laudari curo, mea Delia: tecum
Dum modo sim, quaeso segnis inersque vocer.
Te spectem, suprema mihi cum venerit hora,
Te teneam moriens deficiente manu.
Flebis et arsuro positum me, Delia, lecto,
Tristibus et lacrimis oscula mixta dabis.
Flebis: non tua sunt duro praecordia ferro

Vincta, neque in tenero stat tibi corde silex.
Illo non iuvenis poterit de funere quisquam
Lumina, non virgo, sicca referre domum.
Tum Manes ne laede meos, sed parce solutis
Crinibus et teneris, Delia, parce genis.
Interea, dum fata sinunt, iungamus amores:
Iam veniet tenebris Mors adoperta caput,
Iam subrepet iners aetas, nec amare decebit,
Dicere nec cano blanditias capiti.
Nunc levis est tractanda Venus, dum frangere postes
Non pudet et rixas conseruisse iuvat.
Hic ego dux milesque bonus: vos, signa tubaeque,
Ite procul, cupidis volnera ferte viris,
Ferte et opes: ego conposito securus acervo
Despiciam dites despiciamque famem.

II.

Adde merum vinoque novos conpesce dolores,
Occupet ut fessi lumina victa sopor:
Neu quisquam multo perfusum tempora Baccho
Excitet, infelix dum requiescit amor.
Nam positast nostrae custodia saeva puellae,
Clauditur et dura ianua firma sera.
Ianua difficilis dominae, te verberet imber,
Te Iovis imperio fulmina missa petant.
Ianua, iam pateas uni mihi, victa querellis,
Neu furtim verso cardine aperta sones.
Et mala siqua tibi dixit dementia nostra,
Ignoscas: capiti sint precor illa meo.
Te meminisse decet, quae plurima voce peregi
Supplice, cum posti florea serta darem.
Tu quoque ne timide custodes, Delia, falle.
Audendumst: fortes adiuvat ipsa Venus.
Illa favet, seu qui iuvenis novo limina temptat,
Seu reserat fixo dente puella fores:
Illa docet furtim molli derepere lecto,
Illa pedem nullo ponere posse sono,

Illa viro coram nutus conferre loquaces
  Blandaque conpositis abdere verba notis.
Nec docet hoc omnes, sed quos nec inertia tardat
  Nec vetat obscura surgere nocte timor.
En ego cum tenebris tota vagor anxius urbe,
. . . .
Nec sinit occurrat quisquam, qui corpora ferro
  Vulneret aut rapta praemia veste petat.
Quisquis amore tenetur, eat tutusque sacerque
  Qualibet: insidias non timuisse decet.
Non mihi pigra nocent hibernae frigora noctis,
  Non mihi, cum multa decidit imber aqua.
Non labor hic laedit, reseret modo Delia postes
  Et vocet ad digiti me taciturna sonum.
Parcite luminibus, seu vir seu femina fiat
  Obvia: celari volt sua furta Venus.
Neu strepitu terrete pedum, neu quaerite nomen,
  Neu prope fulgenti lumina ferte face.
Siquis et inprudens aspexerit, occulat ille
  Perque deos omnes se meminisse neget:
Nam fuerit quicumque loquax, is sanguine natam,
  Is Venerem e rabido sentiet esse mari.
Nec tamen huic credet coniunx tuus, ut mihi verax
  Pollicitast magico saga ministerio.
Hanc ego de caelo ducentem sidera vidi,
  Fluminis haec rapidi carmine vertit iter,
Haec cantu finditque solum Manesque sepulcris
  Elicit et tepido devocat ossa rogo:
Iam tenet infernas magico stridore catervas,
  Iam iubet adspersas lacte referre pedem.
Cum libet, haec tristi depellit nubila caelo:
  Cum libet, aestivo convocat orbe nives.
Sola tenere malas Medeae dicitur herbas,
  Sola feros Hecatae perdomuisse canes.
Haec mihi conposuit cantus, quis fallere posses:
  Ter cane, ter dictis despue carminibus.
Ille nihil poterit de nobis credere cuiquam,
  Non sibi, si in molli viderit ipse toro.

Tu tamen abstineas aliis: nam cetera cernet
  Omnia: de me uno sentiet ille nihil.
Quid credam? nempe haec eadem se dixit amores
  Cantibus aut herbis solvere posse meos,
Et me lustravit taedis, et nocte serena
  Concidit ad magicos hostia pulla deos.
Non ego totus abesset amor, sed mutuus esset,
  Orabam, nec te posse carere velim.
Ferreus ille fuit, qui te cum posset habere,
  Maluerit praedas stultus et arma sequi.
Ille licet Cilicum victas agat ante catervas,
  Ponat et in capto Martia castra solo,
Totus et argento contextus, totus et auro,
  Insideat celeri conspiciendus equo,
Ipse boves mea si tecum modo Delia possim
  Iungere et in solito pascere monte pecus:
Et te dum liceat teneris retinere lacertis,
  Mollis et inculta sit mihi somnus humo.
Quid Tyrio recubare toro sine amore secundo
  Prodest, cum fletu nox vigilanda venit?
Nam neque tum plumae nec stragula picta soporem
  Nec sonitus placidae ducere posset aquae.
Num Veneris magnae violavi numina verbo,
  Et mea nunc poenas inpia lingua luit?
Num feror incestus sedes adiisse deorum
  Sertaque de sanctis deripuisse focis?
Non ego, si merui, dubitem procumbere templis
  Et dare sacratis oscula liminibus,
Non ego tellurem genibus perrepere supplex
  Et miserum sancto tundere poste caput.
At tu, qui laetus rides mala nostra, caveto
  Mox tibi: non uni saeviet usque deus.
Vidi ego, qui iuvenum miseros lusisset amores,
  Post Veneris vinclis subdere colla senem
Et sibi blanditias tremula conponere voce
  Et manibus canas fingere velle comas:
Stare nec ante fores puduit caraeve puellae
  Ancillam medio detinuisse foro.

Hunc puer, hunc iuvenis turba circumterit arta,
  Despuit in molles et sibi quisque sinus.
At mihi parce, Venus: semper tibi dedita servit
  Mens mea: quid messes uris acerba tuas?

III.

Ibitis Aegaeas sine me, Messalla, per undas,
  O utinam memores ipse cohorsque mei:
Me tenet ignotis aegrum Phaeacia terris:
  Abstineas avidas, Mors precor atra, manus.
Abstineas, Mors atra, precor: non hic mihi mater
  Quae legat in maestos ossa perusta sinus,
Non soror, Assyrios cineri quae dedat odores
  Et fleat effusis ante sepulcra comis,
Delia non usquam; quae me quam mitteret urbe,
  Dicitur ante omnes consuluisse deos.
Illa sacras pueri sortes ter sustulit: illi
  Rettulit e trinis omina certa puer.
Cuncta dabant reditus: tamen est deterrita numquam,
  Quin fleret nostras respueretque vias.
Ipse ego solator, cum iam mandata dedissem,
  Quaerebam tardas anxius usque moras.
Aut ego sum causatus aves aut omina dira,
  Saturnive sacram me tenuisse diem.
O quotiens ingressus iter mihi tristia dixi
  Offensum in porta signa dedisse pedem!
Audeat invito nequis discedere Amore,
  Aut sciat egressum se prohibente deo.
Quid tua nunc Isis mihi, Delia, quid mihi prosunt
  Illa tua totiens aera repulsa manu,
Quidve, pie dum sacra colis, pureque lavari
  Te (memini) et puro secubuisse toro?
Nunc, dea, nunc succurre mihi (nam posse mederi
  Picta docet templis multa tabella tuis),
Vt mea votivas persolvens Delia voces
  Ante sacras lino tecta fores sedeat

Bisque die resoluta comas tibi dicere laudes
  Insignis turba debeat in Pharia.
At mihi contingat patrios celebrare Penates
  Reddereque antiquo menstrua tura Lari.
Quam bene Saturno vivebant rege, priusquam
  Tellus in longas est patefacta vias!
Nondum caeruleas pinus contempserat undas,
  Effusum ventis praebueratque sinum,
Nec vagus ignotis repetens conpendia terris
  Presserat externa navita merce ratem.
Illo non validus subiit iuga tempore taurus,
  Non domito frenos ore momordit equus,
Non domus ulla fores habuit, non fixus in agris,
  Qui regeret certis finibus arva, lapis.
Ipsae mella dabant quercus, ultroque ferebant
  Obvia securis ubera lactis oves.
Non acies, non ira fuit, non bella, nec ensem
  Inmiti saevus duxerat arte faber.
Nunc Iove sub domino caedes et vulnera semper,
  Nunc mare, nunc leti multa reperta viast.
Parce, pater. timidum non me periuria terrent,
  Non dicta in sanctos inpia verba deos.

* * *

Quod si fatales iam nunc explevimus annos,
  Fac lapis inscriptis stet super ossa notis:
'Hic iacet inmiti consumptus morte Tibullus,
  Messallam terra dum sequiturque mari.'
Sed me, quod facilis tenero sum semper Amori,
  Ipsa Venus campos ducet in Elysios.
Hic choreae cantusque vigent, passimque vagantes
  Dulce sonant tenui gutture carmen aves,
Fert casiam non culta seges, totosque per agros
  Floret odoratis terra benigna rosis:
At iuvenum series teneris inmixta puellis
  Ludit, et adsidue proelia miscet Amor.
Illic est, cuicumque rapax mors venit amanti,
  Et gerit insigni myrtea serta coma.
At scelerata iacet sedes in nocte profunda

Abdita, quam circum flumina nigra sonant:
Tisiphoneque inpexa feros pro crinibus angues
Saevit, et huc illuc inpia turba fugit:
Tunc niger in porta serpentum Cerberus ore
Stridet et aeratas excubat ante fores.
Illic Iunonem temptare Ixionis ausi
Versantur celeri noxia membra rota,
Porrectusque novem Tityos per iugera terrae
Adsiduas atro viscere pascit aves.
Tantalus est illic, et circum stagna: sed acrem
Iam iam poturi deserit unda sitim:
Et Danai proles, Veneris quod numina laesit,
In cava Lethaeas dolia portat aquas.
Illic sit, quicumque meos violavit amores,
Optavit lentas et mihi militias.
At tu casta precor maneas, sanctique pudoris
Adsideat custos sedula semper anus.
Haec tibi fabellas referat positaque lucerna
Deducat plena stamina longa colu,
At circa gravibus pensis affixa puella
Paulatim somno fessa remittat opus.
Tum veniam subito, nec quisquam nuntiet ante,
Sed videar caelo missus adesse tibi.
Tunc mihi, qualis eris, longos turbata capillos,
Obvia nudato, Delia, curre pede.
Hoc precor, hunc illum nobis Aurora nitentem
Luciferum roseis candida portet equis.

IIII.

'Sic umbrosa tibi contingant tecta, Priape,
Ne capiti soles, ne noceantque nives:
Quae tua formosos cepit sollertia? certe
Non tibi barba nitet, non tibi culta comast,
Nudus et hibernae producis frigora brumae,
Nudus et aestivi tempora sicca Canis.'
Sic ego: tum Bacchi respondit rustica proles,
Armatus curva sic mihi falce deus.

'O fuge te tenerae puerorum credere turbae:
  Nam causam iusti semper amoris habent.
Hic placet, angustis quod equum conpescit habenis:
  Hic placidam niveo pectore pellit aquam:
Hic, quia fortis adest audacia, cepit: at illi
  Virgineus teneras stat pudor ante genas.
Sed ne te capiant, primo si forte negabit,
  Taedia: paulatim sub iuga colla dabit.
Longa dies homini docuit parere leones,
  Longa dies molli saxa peredit aqua:
Annus in apricis maturat collibus uvas,
  Annus agit certa lucida signa vice.
Nec iurare time: Veneris periuria venti
  Inrita per terras et freta longa ferunt.
Gratia magna Iovi: vetuit pater ipse valere,
  Iurasset cupide quidquid ineptus amor:
Perque suas inpune sinit Dictynna sagittas
  Adfirmes, crines perque Minerva suos.
At si tardus eris, errabis: transiet aetas.
  Quam cito non segnis stat remeatque dies!
Quam cito purpureos deperdit terra colores,
  Quam cito formosas populus alba comas!
Quam iacet, infirmae venere ubi fata senectae,
  Qui prior Eleost carcere missus equus!
Vidi iam iuvenem, premeret cum serior aetas,
  Maerentem stultos praeteriisse dies.
Crudeles divi! serpens novus exuit annos:
  Formae non ullam fata dedere moram.
Solis aeternast Phoebo Bacchoque iuventa:
  Nam decet intonsus crinis utrumque deum.
Tu, puero quodcumque tuo temptare libebit,
  Cedas: obsequio plurima vincit amor.
Neu comes ire neges, quamvis via longa paretur
  Et Canis arenti torreat arva siti,
Quamvis praetexens picea ferrugine caelum
  Venturam admittat nimbifer Eurus aquam.
Vel si caeruleas puppi volet ire per undas,
  Ipse levem remo per freta pelle ratem.

Nec te paeniteat duros subiisse labores
Aut opera insuetas atteruisse manus,
Nec, velit insidiis altas si claudere valles,
Dum placeas, umeri retia ferre negent.
Si volet arma, levi temptabis ludere dextra:
Saepe dabis nudum, vincat ut ille, latus.
Tum tibi mitis erit, rapias tum cara licebit
Oscula: pugnabit, sed tamen apta dabit.
Rapta dabit primo, mox offeret ipse roganti,
Post etiam collo se inplicuisse volet.
Heu male nunc artes miseras haec saecula tractant:
Iam tener adsuevit munera velle puer.
At tu, qui Venerem docuisti vendere primus,
Quisquis es, infelix urgeat ossa lapis.
Pieridas, pueri, doctos et amate poetas,
Aurea nec superent munera Pieridas.
Carmine purpureast Nisi coma: carmina ni sint,
Ex umero Pelopis non nituisset ebur.
Quem referent Musae, vivet, dum robora tellus,
Dum caelum stellas, dum vehet amnis aquas.
At qui non audit Musas, qui vendit amorem,
Idaeae currus ille sequatur Opis
Et tercentenas erroribus expleat urbes
Et secet ad Phrygios vilia membra modos.
Blanditiis volt esse locum Venus ipsa: querelis
Supplicibus, miseris fletibus illa favet.'
Haec mihi, quae canerem Titio, deus edidit ore:
Sed Titium coniunx haec meminisse vetat.
Pareat ille suae: vos me celebrate magistrum,
Quos male habet multa callidus arte puer.
Gloria cuique suast: me, qui spernentur, amantes
Consultent: cunctis ianua nostra patet.
Tempus erit, cum me Veneris praecepta ferentem
Deducat iuvenum sedula turba senem.
Heu heu quam Marathus lento me torquet amore!
Deficiunt artes, deficiuntque doli.
Parce, puer, quaeso, ne turpis fabula fiam,
Cum mea ridebunt vana magisteria.

V.

Asper eram et bene discidium me ferre loquebar:
At mihi nunc longe gloria fortis abest.
Namque agor, ut per plana citus sola verbere turben,
Quem celer adsueta versat ab arte puer.
Vre ferum et torque, libeat ne dicere quicquam
Magnificum post haec: horrida verba doma.
Parce tamen, per te furtivi foedera lecti,
Per Venerem quaeso conpositumque caput.
Ille ego, cum tristi morbo defessa iaceres,
Te dicor votis eripuisse meis,
Ipseque te circum lustravi sulfure puro,
Carmine cum magico praecinuisset anus:
Ipse procuravi ne possent saeva nocere
Somnia, ter sancta deveneranda mola:
Ipse ego velatus filo tunicisque solutis
Vota novem Triviae nocte silente dedi.
Omnia persolvi: fruitur nunc alter amore,
Et precibus felix utitur ille meis.
At mihi felicem vitam, si salva fuisses,
Fingebam demens, sed renuente deo.
Rura colam, frugumque aderit mea Delia custos,
Area dum messes sole calente teret,
Aut mihi servabit plenis in lintribus uvas
Pressaque veloci candida musta pede,
Consuescet numerare pecus, consuescet amantis
Garrulus in dominae ludere verna sinu.
Illa deo sciet agricolae pro vitibus uvam,
Pro segete spicas, pro grege ferre dapem.
Illa regat cunctos, illi sint omnia curae:
At iuvet in tota me nihil esse domo.
Huc veniet Messalla meus, cui dulcia poma
Delia selectis detrahat arboribus:
Et tantum venerata virum, hunc sedula curet,
Huic paret atque epulas ipsa ministra gerat.
Haec mihi fingebam, quae nunc Eurusque Notusque
Iactat odoratos vota per Armenios.

Saepe ego temptavi curas depellere vino:
At dolor in lacrimas verterat omne merum.
Saepe aliam tenui: sed iam cum gaudia adirem,
Admonuit dominae deseruitque Venus.
Tunc me discedens devotum femina dixit
(A pudet) et narrat scire nefanda meam.
Non facit hoc verbis, facie tenerisque lacertis
Devovet et flavis nostra puella comis.
Talis ad Haemonium Nereis Pelea quondam
Vectast frenato caerula pisce Thetis.
Haec nocuere mihi, quod adest huic dives amator:
Venit in exitium callida lena meum.
Sanguineas edat illa dapes atque ore cruento
Tristia cum multo pocula felle bibat:
Hanc volitent animae circum sua fata querentes
Semper et e tectis strix violenta canat:
Ipsa fame stimulante furens herbasque sepulcris
Quaerat et a saevis ossa relicta lupis,
Currat et inguinibus nudis ululetque per urbes,
Post agat e triviis aspera turba canum.
Evenient: dat signa deus: sunt numina amanti,
Saevit et iniusta lege relicta Venus.
At tu quam primum sagae praecepta rapacis
Desere: nam donis vincitur omnis amor.
Pauper erit praesto semper tibi, pauper adibit
Primus et in tenero fixus erit latere,
Pauper in angusto fidus comes agmine turbae
Subicietque manus efficietque viam,
Pauper ad occultos furtim deducet amicos
Vinclaque de niveo detrahet ipse pede.
Heu canimus frustra, nec verbis victa patescit
Ianua, sed plenast percutienda manu.
At tu, qui potior nunc es, mea fata timeto:
Versatur celeri Fors levis orbe rotae.
Non frustra quidam iam nunc in limine perstat
Sedulus et crebro prospicit ac refugit,
Et simulat transire domum, mox deinde recurrit
Solus et ante ipsas excreat usque fores.

Nescioquid furtivus amor parat. utere quaeso,
  Dum licet: in liquida nat tibi linter aqua.

VI.

Semper, ut inducar, blandos offers mihi voltus,
  Post tamen es misero tristis et asper, Amor.
Quid tibi saevitiae mecumst? an gloria magnast
  Insidias homini conposuisse deum?
Iam mihi tenduntur casses: iam Delia furtim
  Nescioquem tacita callida nocte fovet.
Illa quidem iurata negat, sed credere durumst:
  Sic etiam de me pernegat usque viro.
Ipse miser docui, quo posset ludere pacto
  Custodes: heu heu nunc premor arte mea.
Fingere tunc didicit causas, ut sola cubaret,
  Cardine tunc tacito vertere posse fores:
Tunc sucos herbasque dedi, quis livor abiret,
  Quem facit inpresso mutua dente Venus.
At tu, fallacis coniunx incaute puellae,
  Me quoque servato, peccet ut illa nihil.
Neu iuvenes celebret multo sermone, caveto,
  Neve cubet laxo pectus aperta sinu,
Neu te decipiat nutu, digitoque liquorem
  Ne trahat et mensae ducat in orbe notas.
Saepe, velut gemmas eius signumve probarem,
  Per causam memini me tetigisse manum:
Saepe mero somnum peperi tibi, at ipse bibebam
  Sobria supposita pocula victor aqua.
Non ego te laesi prudens: ignosce fatenti.
  Iussit Amor: contra quis ferat arma deos?
Ille ego sum, nec me iam dicere vera pudebit,
  Instabat tota cui tua nocte canis.
Exibit quam saepe, time, seu visere dicet
  Sacra bonae maribus non adeunda deae,

*   *   *

At mihi si cedas, illam sequar unus ad aras:

Tunc mihi non oculis sit timuisse meis.
Quid tenera tibi coniuge opus? tua si bona nescis
Servare, frustra clavis inest foribus.
Te tenet, absentes alios suspirat amores
Et simulat subito condoluisse caput.
At mihi servandam credas: non saeva recuso
Verbera, detrecto non ego vincla pedum.
Tum procul absitis, quisquis colis arte capillos,
Et fluit effuso cui toga laxa sinu:
Quisquis et occurret, ne possit crimen habere,
Sit procul, aut alia stet precor ante via.
Sic fieri iubet ipse deus, sic magna sacerdos
Est mihi divino vaticinata sono:
Haec ubi Bellonae motust agitata, nec acrem
Flammam, non amens verbera torta timet:
Ipsa bipenne suos caedit violenta lacertos
Sanguine et effuso spargit inulta deam,
Statque latus praefixa veru, stat saucia pectus,
Et canit eventus, quos dea magna monet.
'Parcite, quam custodit Amor, violare puellam,
Ne pigeat magno post didicisse malo.
Attigeris, labentur opes, ut volnere nostro
Sanguis, ut hic ventis diripiturque cinis.'
Et tibi nescioquas dixit, mea Delia, poenas:
Si tamen admittas, sit precor illa levis.
Non ego te propter parco tibi, sed tua mater
Me movet atque iras aurea vincit anus.
Haec mihi te adducit tenebris multoque timore
Coniungit nostras clam taciturna manus,
Haec foribusque manet noctu me adfixa proculque
Cognoscit strepitus me veniente pedum.
Vive diu mihi, dulcis anus: proprios ego tecum,
Sit modo fas, annos contribuisse velim.
Te semper natamque tuam te propter amabo:
Quidquid agit, sanguis est tamen illa tuus.
Sit modo casta, doce, quamvis non vitta ligatos
Impediat crines nec stola longa pedes,
Et mihi sint durae leges, laudare nec ullam

Possim ego, quin oculos appetat illa meos,
Et siquid peccasse puter, ducarque capillis
Inmerito pronas proripiarque vias.
Non ego te pulsare velim, sed, venerit iste
Si furor, optarim non habuisse manus:
Nec saevo sis casta metu, sed mente fideli;
Mutuus absenti te mihi servet amor.
At, quae fida fuit nulli, post victa senecta
Ducit inops tremula stamina torta manu
Firmaque conductis adnectit licia telis
Tractaque de niveo vellere dente putat.
Hanc animo gaudente vident iuvenumque catervae
Conmemorant merito tot mala ferre senem,
Hanc Venus ex alto flentem sublimis Olympo
Spectat et infidis quam sit acerba monet.
Haec aliis maledicta cadant: nos, Delia, amoris
Exemplum cana simus uterque coma.

VII.

Hunc cecinere diem Parcae fatalia nentes
Stamina, non ulli dissoluenda deo;
Hunc fore, Aquitanas posset qui fundere gentes,
Quem tremeret forti milite victus Atur.
Evenere: novos pubes Romana triumphos
Vidit et evinctos brachia capta duces:
At te victrices lauros, Messalla, gerentem
Portabat niveis currus eburnus equis.
Non sine mest tibi partus honos: Tarbella Pyrene
Testis et Oceani litora Sanctonici,
Testis Arar Rhodanusque celer magnusque Garonna,
Carnuti et flavi caerula lympha Liger.
An te, Cydne, canam, tacitis qui leniter undis
Caeruleus placidis per vada serpis aquis,
Quantus et aetherio contingens vertice nubes
Frigidus intonsos Taurus alat Cilicas?
Quid referam, ut volitet crebras intacta per urbes
Alba Palaestino sancta columba Syro,

Vtque maris vastum prospectet turribus aequor
  Prima ratem ventis credere docta Tyros,
Qualis et, arentes cum findit Sirius agros,
  Fertilis aestiva Nilus abundet aqua?
Nile pater, quanam possim te dicere causa
  Aut quibus in terris occuluisse caput?
Te propter nullos tellus tua postulat imbres,
  Arida nec pluvio supplicat herba Iovi.
Te canit atque suum pubes miratur Osirin
  Barbara, Memphiten plangere docta bovem.
Primus aratra manu sollerti fecit Osiris
  Et teneram ferro sollicitavit humum,
Primus inexpertae conmisit semina terrae
  Pomaque non notis legit ab arboribus.
Hic docuit teneram palis adiungere vitem,
  Hic viridem dura caedere falce comam:
Illi iucundos primum matura sapores
  Expressa incultis uva dedit pedibus.
Ille liquor docuit voces inflectere cantu,
  Movit et ad certos nescia membra modos,
Bacchus et agricolae magno confecta labore
  Pectora tristitiae dissoluenda dedit.
Bacchus et adflictis requiem mortalibus affert,
  Crura licet dura compede pulsa sonent.
Non tibi sunt tristes curae nec lectus, Osiri,
  Sed chorus et cantus et levis aptus amor,
Sed varii flores et frons redimita corymbis,
  Fusa sed ad teneros lutea palla pedes
Et Tyriae vestes et dulcis tibia cantu
  Et levis occultis conscia cista sacris.
Huc ades et Genium ludo Geniumque choreis
  Concelebra et multo tempora funde mero:
Illius et nitido stillent unguenta capillo,
  Et capite et collo mollia serta gerat.
Sic venias hodierne: tibi dem turis honores,
  Liba et Mopsopio dulcia melle feram.
At tibi succrescat proles, quae facta parentis
  Augeat et circa stet, venerande, senem.

Nec taceat monumenta viae, quem Tuscula tellus
  Candidaque antiquo detinet Alba Lare.
Namque opibus congesta tuis hic glarea dura
  Sternitur, hic apta iungitur arte silex.
Te canit agricola, e magna cum venerit urbe
  Serus inoffensum rettuleritque pedem.
At tu, natalis multos celebrande per annos,
  Candidior semper candidiorque veni.

VIII.

Non ego celari possum, quid nutus amantis
  Quidve ferant miti lenia verba sono.
Nec mihi sunt sortes nec conscia fibra deorum,
  Praecinit eventus nec mihi cantus avis:
Ipsa Venus magico religatum brachia nodo
  Perdocuit multis non sine verberibus.
Desine dissimulare: deus crudelius urit,
  Quos videt invitos succubuisse sibi.
Quid tibi nunc molles prodest coluisse capillos
  Saepeque mutatas disposuisse comas,
Quid fuco splendente genas ornare, quid ungues
  Artificis docta subsecuisse manu?
Frustra iam vestes, frustra mutantur amictus,
  Ansaque conpressos colligat arta pedes.
Illa placet, quamvis inculto venerit ore
  Nec nitidum tarda compserit arte caput.
Num te carminibus, num te pollentibus herbis
  Devovit tacito tempore noctis anus?
Cantus vicinis fruges traducit ab agris,
  Cantus et iratae detinet anguis iter,
Cantus et e curru Lunam deducere temptat,
  Et faceret, si non aera repulsa sonent.
Quid queror heu misero carmen nocuisse, quid herbas?
  Forma nihil magicis utitur auxiliis:
Sed corpus tetigisse nocet, sed longa dedisse
  Oscula, sed femori conseruisse femur.

Nec tu difficilis puero tamen esse memento
  (Persequitur poenis tristia facta Venus),
Munera nec poscas: det munera canus amator,
  Vt foveas molli frigida membra sinu.
Carior est auro iuvenis, cui levia fulgent
  Ora nec amplexus aspera barba terit.
Huic tu candentes umero suppone lacertos,
  Et regum magnae despiciantur opes.
At Venus inveniet puero succumbere furtim,
  Dum timet, ut teneros conserat usque sinus,
Et dare anhelanti pugnantibus umida linguis
  Oscula et in collo figere dente notas.
Non lapis hanc gemmaeque iuvant, quae frigore sola
  Dormiat et nulli sit cupienda viro.
Heu sero revocatur amor seroque iuventa,
  Cum vetus infecit cana senecta caput.
Tum studium formaest: coma tum mutatur, ut annos
  Dissimulet viridi cortice tincta nucis:
Tollere tum curast albos a stirpe capillos
  Et faciem dempta pelle referre novam.
At tu, dum primi floret tibi temporis aetas,
  Vtere: non tardo labitur illa pede.
Neu Marathum torque: puero quae gloria victost?
  In veteres esto dura, puella, senes.
Parce precor tenero: non illi sontica causast,
  Sed nimius luto corpora tingit amor.
Vel miser absenti maestas quam saepe querelas
  Conicit et lacrimis omnia plena madent!
'Quid me spernis?' ait. 'poterat custodia vinci:
  Ipse dedit cupidis fallere posse deus.
Nota Venus furtiva mihist, ut lenis agatur
  Spiritus, ut nec dent oscula rapta sonum:
Et possum media quamvis obrepere nocte
  Et strepitu nullo clam reserare fores.
Quid prosunt artes, miserum si spernit amantem
  Et fugit ex ipso saeva puella toro?

Vel cum promittit, subito sed perfida fallit,
  Est mihi nox multis evigilanda malis.
Dum mihi venturam fingo, quodcumque movetur,
  Illius credo tunc sonuisse pedem.'
Desistas lacrimare, puer: non frangitur illa,
  Et tua iam fletu lumina fessa tument.
Oderunt, Pholoe, moneo, fastidia divi,
  Nec prodest sanctis tura dedisse focis.
Hic Marathus quondam miseros ludebat amantes,
  Nescius ultorem post caput esse deum:
Saepe etiam lacrimis fertur risisse dolentis
  Et cupidum ficta detinuisse mora:
Nunc omnes odit fastus, nunc displicet illi
  Quaecumque oppositast ianua dura sera.
At te poena manet. ni desinis esse superba,
  Quam cupies votis hunc revocare diem!

VIIII.

Quid mihi, si fueras miseros laesurus amores,
  Foedera per divos, clam violanda, dabas?
A miser, et siquis primo periuria celat,
  Sera, tamen tacitis Poena venit pedibus.
Parcite, caelestes: aequumst inpune licere
  Numina formosis laedere vestra semel.
Lucra petens habili tauros adiungit aratro
  Et durum terrae rusticus urget opus,
Lucra petituras freta per parentia ventis
  Ducunt instabiles sidera certa rates:
Muneribus meus est captus puer. at deus illa
  In cinerem et liquidas munera vertat aquas.
Iam mihi persolvet poenas, pulvisque decorem
  Detrahet et ventis horrida facta coma,
Vretur facies, urentur sole capilli,
  Deteret invalidos et via longa pedes.
Admonui quotiens 'auro ne pollue formam:
  Saepe solent auro multa subesse mala.
Divitiis captus siquis violavit amor

Asperaquest illi difficilisque Venus.
Vre meum potius flamma caput et pete ferro
Corpus et intorto verbere terga seca.
Nec tibi celandi spes sit peccare paranti:
Est deus, occultos qui vetat esse dolos.
Ipse deus tacito permisit lingua ministro
Ederet ut multo libera verba mero:
Ipse deus somno domitos emittere vocem
Iussit et invitos facta tegenda loqui.'
Haec ego dicebam: nunc me flevisse loquentem,
Nunc pudet ad teneros procubuisse pedes.
Tunc mihi iurabas nullius divitis auri
Pondere, non gemmis, vendere velle fidem,
Non tibi si pretium Campania terra daretur,
Non tibi si Bacchi cura Falernus ager.
Illis eriperes verbis mihi sidera caeli
Lucere et puras fulminis esse vias.
Quin etiam flebas: at non ego fallere doctus
Tergebam umentes credulus usque genas.
Quid faciam, nisi et ipse fores in amore puellae?
Sed precor exemplo sit levis illa tuo.
O quotiens, verbis ne quisquam conscius esset,
Ipse comes multa lumina nocte tuli!
Saepe insperanti venit tibi munere nostro
Et latuit clausas post adoperta fores.
A, miser interii, stulte confisus amari:
Nam poteram ad laqueos cautior esse tuos.
Quin etiam attonita laudes tibi mente canebam,
Et me nunc nostri Pieridumque pudet.
Illa velim rapida Volcanus carmina flamma
Torreat et liquida deleat amnis aqua.
Tu procul hinc absis, cui formam vendere curast
Et pretium plena grande referre manu.
At te, qui puerum donis corrumpere es ausus,
Rideat adsiduis uxor inulta dolis,
Et cum furtivo iuvenem lassaverit usu,
Tecum interposita languida veste cubet.
Semper sint externa tuo vestigia lecto,

Et pateat cupidis semper aperta domus:
Nec lasciva soror dicatur plura bibisse
Pocula vel plures emeruisse viros.
Illam saepe ferunt convivia ducere Baccho,
Dum rota Luciferi provocet orta diem:
Illa nulla queat melius consumere noctem
Aut operum varias disposuisse vices.
At tua perdidicit: nec tu, stultissime, sentis,
Cum tibi non solita corpus ab arte movet.
Tune putas illam pro te disponere crines
Aut tenues denso pectere dente comas?
Non tibi, sed iuveni cuidam volt bella videri, 71
Devoveat pro quo remque domumque tuam. 72
Istaec persuadet facies, auroque lacertos 69
Vinciat et Tyrio prodeat apta sinu. 70
Nec facit hoc vitio, sed corpora foeda podagra
Et senis amplexus culta puella fugit.
Huic tamen accubuit noster puer: hunc ego credam
Cum trucibus Venerem iungere posse feris.
Blanditiasne meas aliis tu vendere es ausus?
Tune aliis demens oscula ferre mea?
Tum flebis, cum me vinctum puer alter habebit
Et geret in regno regna superba tuo.
At tua tum me poena iuvet, Venerique merenti
Fixa notet casus aurea palma meos.
'Hanc tibi fallaci resolutus amore Tibullus
Dedicat et grata sis, dea, mente rogat.'

X.

Quis fuit, horrendos primus qui protulit enses?
Quam ferus et vere ferreus ille fuit!
Tum caedes hominum generi, tum proelia nata,
Tum brevior dirae mortis aperta viast.
A nihil ille miser meruit! nos ad mala nostra
Vertimus, in saevas quod dedit ille feras.
Divitis hoc vitiumst auri; nec bella fuerunt,
Faginus adstabat cum scyphus ante dapes,

Non arces, non vallus erat, somnumque petebat
 Securus varias dux gregis inter oves.
Tunc mihi vita foret dulcis, nec tristia nossem
 Arma nec audissem corde micante tubam:
Nunc ad bella trahor, et iam quis forsitan hostis
 Haesura in nostro tela gerit latere.
Sed patrii servate Lares: aluistis et idem,
 Cursarem vestros cum tener ante pedes.
Neu pudeat prisco vos esse e stipite factos:
 Sic veteris sedes incoluistis avi.
Tum melius tenuere fidem, cum paupere cultu
 Stabat in exigua ligneus aede deus.
Hic placatus erat, seu quis libaverat uvam,
 Seu dederat sanctae spicea serta comae:
Atque aliquis voti compos liba ipse ferebat
 Postque comes purum filia parva favum.
At nobis aerata, Lares, depellite tela,

* *
*

 Hostiaque e plena rustica porcus hara.
Hanc pura cum veste sequar myrtoque canistra
 Vincta geram, myrto vinctus et ipse caput.
Sic placeam vobis: alius sit fortis in armis,
 Sternat et adversos Marte favente duces,
Vt mihi potanti possit sua dicere facta
 Miles et in mensa pingere castra mero.
Quis furor est atram bellis arcessere mortem?
 Inminet et tacito clam venit illa pede.
Non seges est infra, non vinea culta, sed audax
 Cerberus et Stygiae navita turpis aquae:
Illic perscissisque genis ustoque capillo
 Errat ad obscuros pallida turba lacus.
Quam potius laudandus hic est, quem prole parata
 Occupat in parva pigra senecta casa!
Ipse suas sectatur oves, at filius agnos,
 Et calidam fesso conparat uxor aquam.
Sic ego sim, liceatque caput candescere canis,
 Temporis et prisci facta referre senem.

Interea Pax arva colat. Pax candida primum
  Duxit araturos sub iuga panda boves,
Pax aluit vites et sucos condidit uvae,
  Funderet ut nato testa paterna merum:
Pace bidens vomerque vigent, at tristia duri
  Militis in tenebris occupat arma situs.

* * *

Rusticus e lucoque vehit, male sobrius ipse,
  Vxorem plaustro progeniemque domum.
Sed Veneris tunc bella calent, scissosque capillos
  Femina perfractas conqueriturque fores:
Flet teneras subtusa genas, sed victor et ipse
  Flet sibi dementes tam valuisse manus.
At lascivus Amor rixae mala verba ministrat,
  Inter et iratum lentus utrumque sedet.
A, lapis est ferrumque, suam quicumque puellam
  Verberat: e caelo deripit ille deos.
Sit satis e membris tenuem rescindere vestem,
  Sit satis ornatus dissoluisse comae,
Sit lacrimas movisse satis: quater ille beatus
  Quo tenera irato flere puella potest.
Sed manibus qui saevus erit, scutumque sudemque
  Is gerat et mihi sit procul a Venere.
At nobis, Pax alma, veni spicamque teneto,
  Perfluat et pomis candidus ante sinus.

ALBII TIBVLLI

LIBER SECVNDVS.

I.

Quisquis adest, faveat: fruges lustramus et agros,
Ritus ut a prisco traditus extat avo.
Bacche, veni, dulcisque tuis e cornibus uva
Pendeat, et spicis tempora cinge, Ceres.
Luce sacra requiescat humus, requiescat arator,
Et grave suspenso vomere cesset opus.
Solvite vincla iugis: nunc ad praesepia debent
Plena coronato stare boves capite.
Omnia sint operata deo: non audeat ulla
Lanificam pensis inposuisse manum.
Vos quoque abesse procul iubeo, discedat ab aris,
Cui tulit hesterna gaudia nocte Venus.
Casta placent superis: pura cum veste venite
Et manibus puris sumite fontis aquam.
Cernite, fulgentes ut eat sacer agnus ad aras
Vinctaque post olea candida turba comas.
Di patrii, purgamus agros, purgamus agrestes:
Vos mala de nostris pellite limitibus,
Neu seges eludat messem fallacibus herbis,
Neu timeat celeres tardior agna lupos.
Tunc nitidus plenis confisus rusticus agris
Ingeret ardenti grandia ligna foco,
Turbaque vernarum, saturi bona signa coloni,
Ludet et ex virgis extruet ante casas.
Eventura precor: viden ut felicibus extis
Significet placidos nuntia fibra deos?
Nunc mihi fumosos veteris proferte Falernos
Consulis et Chio solvite vincla cado.
Vina diem celebrent: non festa luce madere
Est rubor, errantes et male ferre pedes.
Sed 'bene Messallam' sua quisque ad pocula dicat,

Nomen et absentis singula verba sonent.
Gentis Aquitanae celeber Messalla triumphis
Et magna intonsis gloria victor avis,
Huc ades aspiraque mihi, dum carmine nostro
Redditur agricolis gratia caelitibus.
Rura cano rurisque deos. his vita magistris
Desuevit querna pellere glande famem:
Illi conpositis primum docuere tigillis
Exiguam viridi fronde operire domum,
Illi etiam tauros primi docuisse feruntur
Servitium et plaustro supposuisse rotam.
Tunc victus abiere feri, tunc consita pomus,
Tunc bibit inriguas fertilis hortus aquas,
Aurea tunc pressos pedibus dedit uva liquores
Mixtaque securost sobria lympha mero.
Rura ferunt messes, calidi cum sideris aestu
Deponit flavas annua terra comas.
Rure levis verno flores apis ingerit alveo,
Conpleat ut dulci sedula melle favos.
Agricola adsiduo primum satiatus aratro
Cantavit certo rustica verba pede
Et satur arenti primumst modulatus avena
Carmen, ut ornatos diceret ante deos,
Agricola et minio suffusus, Bacche, rubenti
Primus inexperta duxit ab arte choros.
Huic datus a pleno, memorabile munus, ovili
Dux pecoris curtas auxerat hircus opes.
Rure puer verno primum de flore coronam
Fecit et antiquis inposuit Laribus.
Rure etiam teneris curam exhibitura puellis
Molle gerit tergo lucida vellus ovis.
Hinc et femineus labor est, hinc pensa colusque,
Fusus et adposito pollice versat opus:
Atque aliqua adsiduae textrix operata Minervae
Cantat, et adplauso tela sonat latere.
Ipse interque greges interque armenta Cupido
Natus et indomitas dicitur inter equas.
Illic indocto primum se exercuit arcu:

Ei mihi, quam doctas nunc habet ille manus!
Nec pecudes, velut ante, petit: fixisse puellas
Gestit et audaces perdomuisse viros.
Hic iuveni detraxit opes, hic dicere iussit
Limen ad iratae verba pudenda senem:
Hoc duce custodes furtim transgressa iacentes
Ad iuvenem tenebris sola puella venit
Et pedibus praetemptat iter suspensa timore,
Explorat caecas cui manus ante vias.
A miseri, quos hic graviter deus urget! at ille
Felix, cui placidus leniter adflat Amor.
Sancte, veni dapibus festis, sed pone sagittas
Et procul ardentes hinc precor abde faces.
Vos celebrem cantate deum pecorique vocate.
Voce palam pecori, clam sibi quisque vocet.
Aut etiam sibi quisque palam: nam turba iocosa
Obstrepit et Phrygio tibia curva sono.
Ludite: iam Nox iungit equos, currumque secuntur
Matris lascivo sidera fulva choro,
Postque venit tacitus furvis circumdatus alis
Somnus et incerto Somnia nigra pede.

II.

Dicamus bona verba — venit natalis — ad aras
Quisquis ades, lingua, vir mulierque, fave.
Vrantur pia tura focis, urantur odores,
Quos tener e terra divite mittit Arabs.
Ipse suos Genius adsit visurus honores,
Cui decorent sanctas mollia serta comas.
Illius puro destillent tempora nardo,
Atque satur libo sit madeatque mero,
Adnuat et, Cornute, tibi, quodcumque rogabis.
En age, quid cessas? adnuit ille: roga.
Auguror, uxoris fidos optabis amores:
Iam reor hoc ipsos edidicisse deos.
Nec tibi malueris, totum quaecumque per orbem
Fortis arat valido rusticus arva bove,

Nec tibi, gemmarum quidquid felicibus Indis
  Nascitur, Eoi qua maris unda rubet.
Vota cadunt. viden ut strepitantibus advolet alis
  Flavaque coniugio vincula portet Amor,
Vincula, quae maneant semper, dum tarda senectus
  Inducat rugas inficiatque comas.
Hac veniat natalis avi prolemque ministret,
  Ludat et ante tuos turba novella pedes.

III.

Rura meam, Cornute, tenent villaeque puellam:
  Ferreus est, heu heu, quisquis in urbe manet.
Ipsa Venus laetos iam nunc migravit in agros,
  Verbaque aratoris rustica discit Amor.
O ego, cum aspicerem dominam, quam fortiter illic
  Versarem valido pingue bidente solum
Agricolaeque modo curvum sectarer aratrum,
  Dum subigunt steriles arva serenda boves!
Nec quererer, quod sol graciles exureret artus,
  Laederet et teneras pussula rupta manus.
Pavit et Admeti tauros formosus Apollo,
  Nec cithara intonsae profueruntve comae,
Nec potuit curas sanare salubribus herbis:
  Quidquid erat medicae vicerat artis amor.
Ipse deus solitus stabulis expellere vaccas
  . . . .
Et miscere novo docuisse coagula lacte,
* * *
  [Lacteus et mixtus obriguisse liquor.]
Tum fiscella levi detextast vimine iunci,
  Raraque per nexus est via facta sero.
O quotiens illo vitulum gestante per agros
  Dicitur occurrens erubuisse soror!
O quotiens ausae, caneret dum valle sub alta,
  Rumpere mugitu carmina docta boves!
Saepe duces trepidis petiere oracula rebus,
  Venit et a templis irrita turba domum:

Saepe horrere sacros doluit Latona capillos,
Quos admiratast ipsa noverca prius.
Quisquis inornatumque caput crinesque solutos
Aspiceret, Phoebi quaereret ille comam.
Delos ubi nunc, Phoebe, tuast, ubi Delphica Python?
Nempe amor in parva te iubet esse casa.
Felices olim, Veneri cum fertur aperte
Servire aeternos non puduisse deos.
Fabula nunc illest: sed cui sua cura puellast,
Fabula sit mavolt quam sine amore deus.
At tu, quisquis is es, cui tristi fronte Cupido
Imperitat, nostra sint tua castra domo,

* * *

Ferrea non Venerem, sed praedam, saecula laudant:
Praeda tamen multis est operata malis.
Praeda feras acies cinxit discordibus armis:
Hinc cruor, hinc caedes mors propiorque venit.
Praeda vago iussit geminare pericula ponto,
Bellica cum dubiis rostra dedit ratibus.
Praedator cupit inmensos obsidere campos,
Vt multo innumeram iugere pascat ovem;
Cui lapis externus curaest, urbisque tumultus
Portatur validis mille columna iugis,
Claudit et indomitum moles mare, lentus ut intra
Neglegat hibernas piscis adesse minas.
At tibi laeta trahant Samiae convivia testae
Fictaque Cumana lubrica terra rota.
Heu heu divitibus video gaudere puellas:
Iam veniant praedae, si Venus optat opes;
Vt mea luxuria Nemesis fluat utque per urbem
Incedat donis conspicienda meis.
Illa gerat vestes tenues, quas femina Coa
Texuit, auratas disposuitque vias:
Illi sint comites fusci, quos India torret,
Solis et admotis inficit ignis equis:
Illi selectos certent praebere colores
Africa puniceum purpureumque Tyros.

* * *

Nota loquor: regnum iste tenet, quem saepe coegit
  Barbara gypsatos ferre catasta pedes.
At tibi dura Ceres, Nemesim qui abducis ab urbe,
  Persolvat nulla semina certa fide.
Et tu, Bacche tener, iucundae consitor uvae,
  Tu quoque devotos, Bacche, relinque lacus.
Haud inpune licet formosas tristibus agris
  Abdere: non tanti sunt tua musta, pater.
O valeant fruges, ne sint modo rure puellae:
  Glans alat, et prisco more bibantur aquae.
Glans aluit veteres, et passim semper amarunt:
  Quid nocuit sulcos non habuisse satos?
Tum, quibus aspirabat Amor, praebebat aperte
  Mitis in umbrosa gaudia valle Venus.
Nullus erat custos, nulla exclusura dolentes
  Ianua: si fas est, mos precor ille redi.
. . . .
  Horrida villosa corpora veste tegant.
Nunc si clausa meast, si copia rara videndi,
  Heu miserum, laxam quid iuvat esse togam?
Ducite: ad imperium dominae sulcabimus agros:
  Non ego me vinclis verberibusque nego.

IIII.

Hic mihi servitium video dominamque paratam:
  Iam mihi, libertas illa paterna, vale.
Servitium sed triste datur, teneorque catenis,
  Et numquam misero vincla remittit Amor,
Et seu quid merui, seu quid peccavimus, urit.
  Vror io: remove, saeva puella, faces.
O ego ne possim tales sentire dolores,
  Quam mallem in gelidis montibus esse lapis,
Stare vel insanis cautes obnoxia ventis,
  Naufraga quam vasti tunderet unda maris!
Nunc et amara dies et noctis amarior umbrast:
  Omnia iam tristi tempora felle madent.
Nec prosunt elegi nec carminis auctor Apollo:

Illa cava pretium flagitat usque manu.
Ite procul, Musae, si non prodestis amanti:
Non ego vos, ut sint bella canenda, colo,
Nec refero solisque vias et qualis, ubi orbem
Conplevit, versis Luna recurrit equis.
Ad dominam faciles aditus per carmina quaero:
Ite procul, Musae, si nihil ista valent.
A, mihi per caedem et facinus sunt dona paranda,
Ne iaceam clausam flebilis ante domum:
Aut rapiam suspensa sacris insignia fanis:
Sed Venus ante alios est violanda mihi.
Illa malum facinus suadet dominamque rapacem
Dat mihi: sacrilegas sentiat illa manus.
O pereat, quicumque legit viridesque smaragdos
Et niveam Tyrio murice tingit ovem.
Hinc dat avaritiae causas et Coa puellis
Vestis et e rubro lucida concha mari.
Haec fecere malas: hinc clavim ianua sensit
Et coepit custos liminis esse canis.
Sed pretium si grande feras, custodia victast,
Nec prohibent claves, et canis ipse tacet.
Heu quicumque dedit formam caelestis avarae,
Quale bonum multis attulit ille malis!
Hinc fletus rixaeque sonant, haec denique causa
Fecit ut infamis sic deus esset Amor.
At tibi, quae pretio victos excludis amantes,
Eripiant partas ventus et ignis opes:
Quin tua tum iuvenes spectent incendia laeti,
Nec quisquam flammae sedulus addat aquam.
Seu veniet tibi mors, nec erit qui lugeat ullus,
Nec qui det maestas munus in exequias.
At bona quae nec avara fuit, centum licet annos
Vixerit, ardentem flebitur ante rogum:
Atque aliquis senior veteres veneratus amores
Annua constructo serta dabit tumulo
Et 'bene' discedens dicet 'placideque quiescas,
Terraque securae sit super ossa levis.'
Vera quidem moneo, sed prosunt quid mihi vera?

Illius est nobis lege colendus Amor.
Quin etiam sedes iubeat si vendere avitas,
Ite sub imperium sub titulumque, Lares.
Quidquid habet Circe, quidquid Medea veneni,
Quidquid et herbarum Thessala terra gerit,
Et quod, ubi indomitis gregibus Venus adflat amores,
Hippomanes cupidae stillat ab inguine equae,
Si modo me placido videat Nemesis mea vultu,
Mille alias herbas misceat illa, bibam.

V.

Phoebe, fave: novus ingreditur tua templa sacerdos:
Huc age cum cithara carminibusque veni.
Nunc te vocales inpellere pollice chordas,
Nunc precor ad laudes flectere verba mea.
Ipse triumphali devinctus tempora lauro,
Dum cumulant aras, ad tua sacra veni.
Sed nitidus pulcherque veni: nunc indue vestem
Sepositam, longas nunc bene pecte comas,
Qualem te memorant Saturno rege fugato
Victori laudes concinuisse Iovi.
Tu procul eventura vides, tibi deditus augur
Scit bene quid fati provida cantet avis,
Tuque regis sortes, per te praesentit aruspex,
Lubrica signavit cum deus exta notis:
Te duce Romanos numquam frustrata Sibylla,
Abdita quae senis fata canit pedibus!
Phoebe, sacras Messalinum sine tangere chartas
Vatis, et ipse precor quid canat illa doce.
Haec dedit Aeneae sortes, postquam ille parentem
Dicitur et raptos sustinuisse Lares;
Nec fore credebat Romam, cum maestus ab alto
Ilion ardentes respiceretque deos.
(Romulus aeternae nondum firmaverat urbis
Moenia, consorti non habitanda Remo,
Sed tunc pascebant herbosa Palatia vaccae
Et stabant humiles in Iovis arce casae.

Lacte madens illic suberat Pan ilicis umbrae
Et facta agresti lignea falce Pales,
Pendebatque vagi pastoris in arbore votum,
Garrula silvestri fistula sacra deo,
Fistula, cui semper decrescit arundinis ordo:
Nam calamus cera iungitur usque minor.
At qua Velabri regio patet, ire solebat
Exiguus pulsa per vada linter aqua.
Illa saepe gregis diti placitura magistro
Ad iuvenem festast vecta puella die,
Cum qua fecundi redierunt munera ruris,
Caseus et niveae candidus agnus ovis.)
'Inpiger Aenea, volitantis frater Amoris,
Troica qui profugis sacra vehis ratibus,
Iam tibi Laurentes adsignat Iuppiter agros,
Iam vocat errantes hospita terra Lares.
Illic sanctus eris, cum te, venerande, Numici
Vnda deum caelo miserit Indigetem.
Ecce super fessas volitat Victoria puppes,
Tandem ad Troianos diva superba venit.
Ecce mihi lucent Rutulis incendia castris:
Iam tibi praedico, barbare Turne, necem.
Ante oculos Laurens castrum murusque Lavinist
Albaque ab Ascanio condita longa duce.
Te quoque iam video, Marti placitura sacerdos
Ilia, Vestales deseruisse focos,
Concubitusque tuos furtim vittasque iacentes
Et cupidi ad ripas arma relicta dei.
Carpite nunc, tauri, de septem montibus herbas,
Dum licet: hic magnae iam locus urbis erit.
Roma, tuum nomen terris fatale regendis,
Qua sua de caelo prospicit arva Ceres,
Quaque patent ortus et qua fluitantibus undis
Solis anhelantes abluit amnis equos.
Troia quidem tunc se mirabitur et sibi dicet
Vos bene tam longa consuluisse via.
Vera cano: sic usque sacras innoxia laurus
Vescar, et aeternum sit mihi virginitas.'

Haec cecinit vates et te sibi, Phoebe, vocavit,
  Iactavit fusas et caput ante comas.
Quidquid Amalthea, quidquid Marpesia dixit
  Herophile, Phyto Graiaque quod monuit,
Quasque Aniena sacras Tiburs per flumina sortes
  Portarit sicco pertuleritque sinu,
(Haec fore dixerunt belli mala signa cometen,
  Multus ut in terras deplueretque lapis:
Atque tubas atque arma ferunt strepitantia caelo
  Audita et lucos praecinuisse fugam,
Et simulacra deum lacrimas fudisse tepentes
  Fataque vocales praemonuisse boves,
Ipsum etiam Solem defectum lumine vidit
  Iungere pallentes nubilus annus equos)
Haec fuerunt olim: sed tu iam mitis, Apollo,
  Prodigia indomitis merge sub aequoribus:
Et succensa sacris crepitet bene laurea flammis,
  Omine quo felix et sacer annus erit.
Laurus ubi bona signa dedit, gaudete coloni:
  Distendet spicis horrea plena Ceres,
Oblitus et musto feriet pede rusticus uvas,
  Dolia dum magni deficiantque lacus.
At madidus Baccho sua festa Palilia pastor
  Concinet: a stabulis tunc procul este lupi.
Ille levis stipulae sollemnes potus acervos
  Accendet, flammas transilietque sacras,
Et fetus matrona dabit, natusque parenti
  Oscula conprensis auribus eripiet,
Nec taedebit avum parvo advigilare nepoti
  Balbaque cum puero dicere verba senem.
Tunc operata deo pubes discumbet in herba,
  Arboris antiquae qua levis umbra cadit,
Aut e veste sua tendent umbracula sertis
  Vincta, coronatus stabit et ante calix.
At sibi quisque dapes et festas extruet alte
  Cespitibus mensas cespitibusque torum.
Ingeret hic potus iuvenis maledicta puellae,
  Post modo quae votis irrita facta velit:

Nam ferus ille suae plorabit sobrius idem
Et se iurabit mente fuisse mala.
Pace tua pereant arcus pereantque sagittae,
Phoebe, modo in terris erret inermis Amor.
Ars bona: sed postquam sumpsit sibi tela Cupido,
Heu heu quam multis ars dedit illa malum!
Et mihi praecipue. iaceo cum saucius annum
Et faveo morbo, cum iuvat ipse dolor,
Vsque cano Nemesim, sine qua versus mihi nullus
Verba potest iustos aut reperire pedes.
At tu (nam divum servat tutela poetas),
Praemoneo, vati parce, puella, sacro,
Vt Messalinum celebrem, cum praemia belli
Ante suos currus oppida victa feret,
Ipse gerens lauros: lauro devinctus agresti
Miles 'io' magna voce 'triumphe' canet.
Tum Messalla meus pia det spectacula turbae
Et plaudat curru praetereunte pater.
Adnue: sic tibi sint intonsi, Phoebe, capilli,
Sic tua perpetuo sit tibi casta soror.

VI.

Castra Macer sequitur: tenero quid fiet Amori?
Sit comes et collo fortiter arma gerat?
Et seu longa virum terrae via seu vaga ducent
Aequora, cum telis ad latus ire volet?
Vre, puer, quaeso, tua qui ferus otia liquit,
Atque iterum erronem sub tua signa voca.
Quod si militibus parces, erit hic quoque miles,
Ipse levem galea qui sibi portet aquam.
Castra peto, valeatque Venus valeantque puellae:
Et mihi sunt vires, et mihi facta tubast.
Magna loquor, sed magnifice mihi magna locuto
Excutiunt clausae fortia verba fores.
Iuravi quotiens rediturum ad limina numquam!
Cum bene iuravi, pes tamen ipse redit.
Acer Amor, fractas utinam tua tela sagittas,
Si licet, extinctas aspiciamque faces!

Tu miserum torques, tu me mihi dira precari
  Cogis et insana mente nefanda loqui.
Iam mala finissem leto, sed credula vitam
  Spes fovet et fore cras semper ait melius.
Spes alit agricolas, Spes sulcis credit aratis
  Semina, quae magno fenore reddat ager:
Haec laqueo volucres, haec captat arundine pisces,
  Cum tenues hamos abdidit ante cibus:
Spes etiam valida solatur compede vinctum
  (Crura sonant ferro, sed canit inter opus):
Spes facilem Nemesim spondet mihi, sed negat illa.
  Ei mihi, ne vincas, dura puella, deam.
Parce, per inmatura tuae precor ossa sororis:
  Sic bene sub tenera parva quiescat humo.
Illa mihi sanctast, illius dona sepulcro
  Et madefacta meis serta feram lacrimis,
Illius ad tumulum fugiam supplexque sedebo
  Et mea cum muto fata querar cinere.
Non feret usque suum te propter flere clientem:
  Illius ut verbis, sis mihi lenta, veto,
Ne tibi neglecti mittant mala somnia Manes,
  Maestaque sopitae stet soror ante torum,
Qualis ab excelsa praeceps delapsa fenestra
  Venit ad infernos sanguinolenta lacus.
Desino, ne dominae luctus renoventur acerbi:
  Non ego sum tanti, ploret ut illa semel.
Nec lacrimis oculos dignast foedare loquaces:
  Lena nocet nobis, ipsa puella bonast.
Lena necat miserum Phryne furtimque tabellas
  Occulto portans itque reditque sinu:
Saepe, ego cum dominae dulces a limine duro
  Agnosco voces, haec negat esse domi:
Saepe, ubi nox promissa mihist, languere puellam
  Nuntiat aut aliquas extimuisse minas.
Tunc morior curis, tunc mens mihi perdita fingit,
  Quisve meam teneat, quot teneatve modis:
Tunc tibi, lena, precor diras: satis anxia vivas,
  Moverit e votis pars quotacumque deos.

ALBII TIBVLLI

LIBER TERTIVS.

LYGDAMI ELEGIAE.

I.

Martis Romani festae venere kalendae
(Exoriens nostris hinc fuit annus avis),
Et vaga nunc certa discurrunt undique pompa
Perque vias urbis munera perque domos:
Dicite, Pierides, quonam donetur honore
Seu mea, seu fallor, cara Neaera tamen.
Carmine formosae, pretio capiuntur avarae:
Gaudeat, ut dignast, versibus illa meis.
Lutea sed niveum involvat membrana libellum,
Pumex et canas tondeat ante comas
Summaque praetexat tenuis fastigia chartae,
Indicet ut nomen littera facta meum,
Atque inter geminas pingantur cornua frontes:
Sic etenim comptum mittere oportet opus.
Per vos, auctores huius mihi carminis, oro
Castaliamque umbram Pieriosque lacus,
Ite domum cultumque illi donate libellum,
Sicut erit: nullus defluat inde color.
Illa mihi referet, si nostri mutua curast
An minor, an toto pectore deciderim.
Sed primum meritam larga donate salute
Atque haec submisso dicite verba sono.
'Haec tibi vir quondam, nunc frater, casta Neaera
Mittit et accipias munera parva rogat,
Teque suis iurat caram magis esse medullis,
Sive sibi coniunx sive futura soror.
Sed potius coniunx: huius spem nominis illi
Auferet extincto pallida Ditis aqua.'

II.

Qui primus caram iuveni carumque puellae
  Eripuit iuvenem, ferreus ille fuit.
Durus et ille fuit, qui tantum ferre dolorem,
  Vivere et erepta coniuge qui potuit.
Non ego firmus in hoc, non haec patientia nostro
  Ingenio: frangit fortia corda dolor:
Nec mihi vera loqui pudor est vitaeque fateri
  Tot mala perpessae taedia nata meae.
Ergo cum tenuem fuero mutatus in umbram
  Candidaque ossa super nigra favilla teget,
Ante meum veniat longos incompta capillos
  Et fleat ante meum maesta Neaera rogum.
Sed veniat carae matris † comitata dolore:
  Maereat haec genero, maereat illa viro.
Praefatae ante meos Manes animamque precatae
  Perfusaeque pias ante liquore manus,
Pars quae sola mei superabit corporis, ossa
  Incinctae nigra candida veste legent,
Et primum annoso spargent collecta Lyaeo,
  Mox etiam niveo fundere lacte parent,
Post haec carbaseis umorem tollere velis
  Atque in marmorea ponere sicca domo.
Illic quas mittit dives Panchaia merces
  Eoique Arabes, pinguis et Assyria,
Et nostri memores lacrimae fundantur eodem:
  Sic ego conponi versus in ossa velim.
Sed tristem mortis demonstret littera causam
  Atque haec in celebri carmina fronte notet.
'Lygdamus hic situs est: dolor huic et cura Neaerae,
  Coniugis ereptae, causa perire fuit.'

III.

Quid prodest caelum votis inplesse, Neaera,
  Multaque cum blanda tura dedisse prece,
Non ut marmorei prodirem e limine tecti,

Insignis clara conspicuusque domo,
Aut ut multa mei renovarent iugera tauri
Et magnas messes terra benigna daret,
Sed tecum ut longae sociarem gaudia vitae
Inque tuo caderet nostra senecta sinu,
Tum cum permenso defunctus tempore lucis
Nudus Lethaea cogerer ire rate?
Nam grave quid prodest pondus mihi divitis auri,
Arvaque si findant pinguia mille boves?
Quidve domus prodest Phrygiis innixa columnis,
Taenare sive tuis, sive Caryste tuis,
Et nemora in domibus sacros imitantia lucos
Aurataeque trabes marmoreumque solum?
Quidve in Erythraeo legitur quae litore concha
Tinctaque Sidonio murice lana iuvat,
Et quae praeterea populus miratur? in illis
Invidiast: falso plurima volgus amat.
Non opibus mentes hominum curaeque levantur.
Nam Fortuna sua tempora lege regit.
Sit mihi paupertas tecum iucunda, Neaera:
At sine te regum munera nulla volo.
O niveam, quae te poterit mihi reddere, lucem!
O mihi felicem terque quaterque diem!
At si, pro dulci reditu quaecumque voventur,
Audiat aversa non meus aure deus,
Nec me regna iuvant nec Lydius aurifer amnis
Nec quas terrarum sustinet orbis opes.
Haec alii cupiant, liceat mihi paupere cultu
Securo cara coniuge posse frui.
Adsis et timidis faveas, Saturnia, votis,
Et faveas concha, Cypria, vecta tua.
Aut si fata negant reditum tristesque sorores,
Stamina quae ducunt quaeque futura neunt,
Me vocet in vastos amnes nigramque paludem
Ditis ab ignava luridus Orcus aqua.

IIII.

Di meliora ferant, nec sint insomnia vera,
Quae tulit extrema pessima nocte quies.
Ite procul, vanum falsumque avertite visum:
Desinite in nobis quaerere velle fidem.
Divi vera monent, venturae nuntia sortis
Vera monent Tuscis exta probata viris:
Somnia fallaci ludunt temeraria nocte
Et pavidas mentes falsa timere iubent.
Et natum in curas hominum genus omina noctis
Farre pio placant et saliente sale?
Set tamen, utcumquest, sive illi vera moneri,
Mendaci somno credere sive volent,
Efficiat vanos noctis Lucina tremores
Et frustra inmeritum pertimuisse velit,
Si mea nec turpi mens est obnoxia facto
Nec laesit magnos inpia lingua deos.
Iam Nox aetherium nigris emensa quadrigis
Mundum caeruleo laverat amne rotas,
Nec me sopierat menti deus utilis aegrae:
Somnus sollicitas deficit ante domos.
Tandem, cum summa Phoebus prospexit ab Oeta,
Pressit languentis lumina sera quies.
Hic iuvenis casta redimitus tempora lauro
Est visus nostra ponere sede pedem.
Non illo quicquam formosius ulla priorum
Aetas, heroum nec tulit ulla domus.
Intonsi crines longa cervice fluebant,
Stillabat Syrio myrtea rore coma.
Candor erat, qualem praefert Latonia Luna,
Et color in niveo corpore purpureus,
Vt iuveni primum virgo deducta marito
Inficitur teneras ore rubente genas,
Et cum contexunt amarantis alba puellae
Lilia et autumno candida mala rubent.
Ima videbatur talis inludere palla:
Namque haec in nitido corpore vestis erat.

Artis opus rarae, fulgens testudine et auro
  Pendebat laeva garrula parte lyra.
Hanc primum veniens plectro modulatus eburno,
  Felices cantus ore sonante dedit:
Sed postquam fuerant digiti cum voce locuti,
  Edidit haec dulci tristia verba modo.
'Salve, cura deum: casto nam rite poetae
  Phoebusque et Bacchus Pieridesque favent:
Sed proles Semeles Bacchus doctaeque sorores
  Dicere non norunt, quid ferat hora sequens:
At mihi fatorum leges aevique futuri
  Eventura pater posse videre dedit.
Quare ego quae dico non fallax accipe vates,
  Quodque deus vero Cynthius ore feram.
Tantum cara tibi, quantum nec filia matri,
  Quantum nec cupido bella puella viro,
Pro qua sollicitas caelestia numina votis,
  Quae tibi securos non sinit ire dies,
Et cum te fusco somnus velavit amictu,
  Vanum nocturnis fallit imaginibus,
Carminibus celebrata tuis formosa Neaera
  Alterius mavolt esse puella viri,
Diversasque suas agitat mens inpia curas,
  Nec gaudet casta nupta Neaera domo.
A, crudele genus nec fidum femina nomen!
  A, pereat, didicit fallere siqua virum.
Sed flecti poterit: mens est mutabilis illis:
  Tu modo cum multa brachia tende prece.
Saevus Amor docuit varios temptare labores,
  Saevus Amor docuit verbera posse pati.
Me quondam Admeti niveas pavisse iuvencas
  Non est in vanum fabula ficta iocum:
Tunc ego nec cithara poteram gaudere sonora
  Nec similes chordis reddere voce sonos,
Sed perlucenti cantus meditabar avena
  Ille ego Latonae filius atque Iovis.
Nescis quid sit amor, iuvenis, si ferre recusas
  Inmitem dominam coniugiumque ferum.

Ergo ne dubita blandas adhibere querellas:
  Vincuntur molli pectora dura prece.
Quod si vera canunt sacris oracula templis,
  Haec illi nostro nomine dicta refer:
Hoc tibi coniugium promittit Delius ipse
  Felix, hoc: alium desine velle virum.'
Dixit, et ignavus defluxit corpore somnus.
  A ego ne possim tanta videre mala!
Nec tibi crediderim votis contraria vota
  Nec tantum crimen pectore inesse tuo:
Nam te nec vasti genuerunt aequora ponti
  Nec flammam volvens ore Chimaera fero
Nec canis anguinea redimitus terga caterva,
  Cui tres sunt linguae tergeminumque caput,
Scyllaque virgineam canibus succincta figuram,
  Nec te conceptam saeva leaena tulit,
Barbara nec Scythiae tellus horrendave Syrtis,
  Sed culta et duris non habitanda domus
Et longe ante alias omnes mitissima mater
  Isque pater quo non alter amabilior.
Haec deus in melius crudelia somnia vertat
  Et iubeat tepidos irrita ferre Notos.

V.

Vos tenet, Etruscis manat quae fontibus unda,
  Vnda sub aestivum non adeunda Canem,
Nunc autem sacris Baiarum proxima lymphis,
  Cum se purpureo vere remittit humus:
At mihi Persephone nigram denuntiat horam:
  Inmerito iuveni parce nocere, dea.
Non ego temptavi nulli temeranda virorum
  Audax laudandae sacra docere deae,
Nec mea mortiferis infecit pocula sucis
  Dextera nec cuiquam trita venena dedit,
Nec nos sacrilegi templis admovimus ignes,
  Nec cor sollicitant facta nefanda meum,
Nec nos insanae meditantes iurgia mentis

Inpia in adversos solvimus ora deos:
Et nondum cani nigros laesere capillos,
Nec venit tardo curva senecta pede.
Natalem primo nostrum videre parentes,
Cum cecidit fato consul uterque pari.
Quid fraudare iuvat vitem crescentibus uvis
Et modo nata mala vellere poma manu?
Parcite, pallentes undas quicumque tenetis
Duraque sortiti tertia regna dei.
Elysios olim liceat cognoscere campos
Lethaeamque ratem Cimmeriosque lacus,
Cum mea rugosa pallebunt ora senecta
Et referam pueris tempora prisca senex.
Atque utinam vano nequiquam terrear aestu!
Languent ter quinos sed mea membra dies.
At vobis Tuscae celebrantur numina lymphae
Et facilis lenta pellitur unda manu.
Vivite felices, memores et vivite nostri,
Sive erimus seu nos fata fuisse velint.
Interea nigras pecudes promittite Diti
Et nivei lactis pocula mixta mero.

VI.

Candide Liber, ades (sic sit tibi mystica vitis
Semper, sic edera tempora vincta feras),
Aufer et ipse meum patera medicante dolorem:
Saepe tuo cecidit munere victus amor.
Care puer, madeant generoso pocula Baccho,
Et nobis prona funde Falerna manu.
Ite procul durum curae genus, ite labores:
Fulserit hic niveis Delius alitibus.
Vos modo proposito dulces faveatis amici,
Neve neget quisquam me duce se comitem:
Aut siquis vini certamen mite recusat,
Fallat eum tecto cara puella dolo.
Ille facit dites animos deus, ille ferocem
Contudit et dominae misit in arbitrium,

Armenias tigres et fulvas ille leaenas
  Vicit et indomitis mollia corda dedit.
Haec Amor et maiora valet. sed poscite Bacchi
  Munera: quem vestrum pocula sicca iuvant?
Convenit ex aequo nec torvus Liber in illis,
  Qui se quique una vina iocosa colunt:
Convenit iratus nimium nimiumque severos:
  Qui timet irati numina magna, bibat.
Quales his poenas qualis quantusque minetur,
  Cadmeae matris praeda cruenta docet.
Sed procul a nobis hic sit timor, illaque, siquast,
  Quid valeat laesi sentiat ira dei.
Quid precor a, demens? venti temeraria vota,
  Aeriae et nubes diripienda ferant.
Quamvis nulla mei superest tibi cura, Neaera,
  Sis felix, et sint candida fata tua.
At nos securae reddamus tempora mensae:
  Venit post multos una serena dies.
Ei mihi, difficilest imitari gaudia falsa,
  Difficilest tristi fingere mente iocum,
Nec bene mendaci risus conponitur ore,
  Nec bene sollicitis ebria verba sonant.
Quid queror infelix? turpes discedite curae:
  Odit Lenaeus tristia verba pater.

* * *

Gnosia, Theseae quondam periuria linguae
  Flevisti ignoto sola relicta mari:
Sic cecinit pro te doctus, Minoi, Catullus
  Ingrati referens inpia facta viri.
Vos ego nunc moneo: felix, quicumque dolore
  Alterius disces posse cavere tuum.
Nec vos aut capiant pendentia brachia collo
  Aut fallat blanda subdola lingua prece.
Etsi perque suos fallax iurabit ocellos
  Iunonemque suam perque suam Venerem,
Nulla fides inerit: periuria ridet amantum
  Iuppiter et ventos irrita ferre iubet.

Ergo quid totiens fallacis verba puellae
  Conqueror? ite a me, seria verba, procul
Quam vellem tecum longas requiescere noctes
  Et tecum longos pervigilare dies,
Perfida nec merito nobis inimica merenti,
  Perfida, sed, quamvis perfida, cara tamen!
Naida Bacchus amat: cessas, o lente minister?
  Temperet annosum Marcia lympha merum.
Non ego, si fugiat nostrae convivia mensae
  Ignotum cupiens vana puella torum,
Sollicitus repetam tota suspiria nocte.
  Tu puer, i, liquidum fortius adde merum.
Iam dudum Syrio madefactus tempora nardo
  Debueram sertis inplicuisse comas.

ALBII TIBVLLI

LIBER QVARTVS.

INCERTI AVCTORIS PANEGYRICVS MESSALLAE.

I.

Te, Messalla, canam; quamquam me cognita virtus
Terret, ut infirmae valeant subsistere vires,
Incipiam tamen. a meritis si carmina laudes,
Deficiant: humilis tantis sim conditor actis,
Nec tua praeterte chartis intexere quisquam
Facta queat, dictis ut non maiora supersint.
Est nobis voluisse satis, nec munera parva
Respueris. etiam Phoebo gratissima dona
Cres tulit, et cunctis Baccho iucundior hospes
Icarus, ut puro testantur sidera caelo
Erigoneque Canisque, neget ne longior aetas.
Quin etiam Alcides, deus adscensurus Olympum,
Laeta Molorcheis posuit vestigia tectis,
Parvaque caelestes placavit mica, nec illis
Semper inaurato taurus cadit hostia cornu.
Hic quoque sit gratus parvos labor, ut tibi possim
Inde alios aliosque memor conponere versus.
Alter dicat opus magni mirabile mundi,
Qualis in inmenso desederit aere tellus,
Qualis et in curvum pontus confluxerit orbem,
Et vagus, e terris qua surgere nititur, aer,
Huic et contextus passim fluat igneus aether,
Pendentique super claudantur ut omnia caelo:
At, quodcumque meae poterunt audere Camenae,
Seu tibi par poterunt seu, quod spes abnuit, ultra
Sive minus (certeque canent minus), omne vovemus
Hoc tibi, nec tanto careat mihi carmine charta.

Nam quamquam antiquae gentis superant tibi laudes,
Non tua maiorum contentast gloria fama,
Nec quaeris quid quaque index sub imagine dicat,
Sed generis priscos contendis vincere honores,
Quam tibi maiores maius decus ipse futuris:
At tua non titulus capiet sub nomine facta,
Aeterno sed erunt tibi magna volumina versu,
Convenientque tuas cupidi conponere laudes
Vndique quique canent vincto pede quique soluto.
Quis potior, certamen erit: sim victor in illis,
Vt nostrum tantis inscribam nomen in actis.
  Nam quis te maiora gerit castrisve forove?
Nec tamen hinc aut hinc tibi laus maiorve minorve,
Iusta pari premitur veluti cum pondere libra,
Prona nec hac plus parte sedet nec surgit ab illa,
Qualis, inaequatum si quando onus urguet utrimque,
Instabilis natat alterno depressior orbe.
  Nam seu diversi fremat inconstantia vulgi,
Non alius sedare queat: seu iudicis ira
Sit placanda, tuis poterit mitescere verbis.
Non Pylos aut Ithace tantos genuisse feruntur
Nestora vel parvae magnum decus urbis Vlixen,
Vixerit ille senex quamvis, dum terna per orbem
Saecula fertilibus Titan decurreret horis,
Ille per ignotas audax erraverit urbes,
Qua maris extremis tellus includitur undis.
Nam Ciconumque manus adversis reppulit armis,
Nec valuit lotos coeptos avertere cursus,
Cessit et Aetnaeae Neptunius incola rupis
Victa Maroneo foedatus lumina Baccho:
Vexit et Aeolios placidum per Nerea ventos:
Incultos adiit Laestrygonas Antiphatenque,
Nobilis Artacie gelida quos inrigat unda:
Solum nec doctae verterunt pocula Circes,
Quamvis illa foret Solis genus, apta vel herbis

Aptaque vel cantu veteres mutare figuras:
Cimmerion etiam obscuras accessit ad arces,
Quis numquam candente dies adparuit ortu,
Seu supra terras Phoebus seu curreret infra:
Vidit, ut inferno Plutonis subdita regno
Magna deum proles levibus discurreret umbris,
Praeteriitque cita Sirenum litora puppi.
Illum inter geminae nantem confinia mortis
Nec Scyllae saevo conterruit impetus ore,
Cum canibus rabidas inter fera serperet undas,
Nec violenta suo consumpsit more Charybdis,
Vel si sublimis fluctu consurgeret imo,
Vel si interrupto nudaret gurgite pontum.
Non violata vagi sileantur pascua Solis,
Non amor et fecunda Atlantidos arva Calypsus,
Finis et erroris miseri Phaeacia tellus.
Atque haec seu nostras inter sunt cognita terras,
Fabula sive novum dedit his erroribus orbem,
Sit labor illius, tua dum facundia, maior.
  Iam te non alius belli tenet aptius artes,
Qua deceat tutam castris praeducere fossam,
Qualiter adversos hosti defigere cervos,
Quemve locum ducto melius sit claudere vallo,
Fontibus ut dulces erumpat terra liquores,
Vt facilisque tuis aditus sit et arduus hosti,
Laudis et adsiduo vigeat certamine miles.
Quis tardamve sudem melius celeremve sagittam
Iecerit aut lento perfregerit obvia pilo?
Aut quis equum celerem angusto conpescere freno
Possit et effusas tardo permittere habenas,
Inque vicem modo directo contendere passu,
Seu libeat, curvo brevius convertere gyro,
Quis parma, seu dextra velit seu laeva, tueri,
Sive hac sive illac veniat gravis impetus hastae,
Aptior, aut signata cita loca tangere funda?
Iam simul audacis venient certamina Martis,
Adversisque parent acies concurrere signis,
Tum tibi non desit faciem conponere pugnae,

Seu sit opus quadratum acies consistat in agmen,
Rectus ut aequatis decurrat frontibus ordo,
Seu libeat duplicem seiunctim cernere Martem,
Dexter uti laevum teneat dextrumque sinister
Miles sitque duplex gemini victoria casus.
  At non per dubias errant mea carmina laudes:
Nam bellis experta cano. testis mihi victae
Fortis Iapydiae miles, testis quoque fallax
Pannonius, gelidas passim disiectus in Alpes
Testis Arupinis et pauper natus in arvis,
Quem siquis videat vetus ut non fregerit aetas,
Terna minus Pyliae miretur saecula famae.
Centum fecundos Titan renovaverit annos,
Ipse tamen velox celerem super edere corpus
Gaudet equum validisque sedet moderator habenis.
Te duce non alias conversus terga domante
Libera Romanae subiecit colla catenae.
  Nec tamen his contentus eris: maiora peractis
Instant, compertumst veracibus ut mihi signis,
Quis Amythaonius nequeat certare Melampus.
Nam modo fulgentem Tyrio subtegmine vestem
Indueras oriente die duce fertilis anni,
Splendidior liquidis cum Sol caput extulit undis
Et fera discordes tenuerunt flamina venti,
Curva nec adsuetos egerunt flumina cursus,
Quin rabidum placidis etiam mare constitit undis,
Nulla nec aerias volucris perlabitur auras
Nec quadrupes densas depascitur aspera silvas,
Quin largita tuis sint muta silentia votis.
Iuppiter ipse levi vectus per inania curru
Adfuit et caelo vicinum liquit Olympum
Intentaque tuis precibus se praebuit aure
Cunctaque veraci capite adnuit: additus aris
Laetior eluxit structos super ignis acervos.
  Quin hortante deo magnis insistere rebus
Incipe: non idem tibi sint aliisque triumphi.
Non te vicino remorabitur obvia Marte
Gallia nec latis audax Hispania terris

Nec fera Theraeo tellus obsessa colono,
Nec qua vel Nilus vel regia lympha Choaspes
Profluit aut rapidus, Cyri dementia, Gyndes
Aret Arecteis haut una per ostia campis,
Nec qua regna vago Tamyris finivit Araxe,
Inpia nec saevis celebrans convivia mensis
Vltima vicinus Phoebo tenet arva Padaeus:
Quaque Hebrus Tanaisque Getas rigat atque Magynos.
Quid moror? Oceanus ponto qua continet orbem,
Nulla tibi adversis regio sese offeret armis.
Te manet invictus Romano Marte Britannus
Teque interiecto mundi pars altera sole.
Nam circumfuso considit in aere tellus
Et quinque in partes toto disponitur orbe.
Atque duae gelido vastantur frigore semper:
Illic et densa tellus absconditur umbra,
Et nulla incerto perlabitur unda liquore,
Sed durata riget densam in glaciemque nivemque,
Quippe ubi non umquam Titan super egerit ortus.
At mediast Phoebi semper subiecta calori,
Seu propior terris aestivum fertur in orbem
Seu celer hibernas properat decurrere luces:
Non igitur presso tellus exurgit aratro,
Nec frugem segetes praebent nec pabula terrae:
Non illic colit arva deus, Bacchusve Ceresve,
Nulla nec exustas habitant animalia partes.
Fertilis hanc inter positast interque rigentes
Nostraque et huic adversa solo pars altera nostro,
Quas similes utrimque tenens vicinia caeli
Temperat, alter et alterius vires necat aer:
Hinc placidus nobis per tempora vertitur annus.
Hic et colla iugo didicit submittere taurus
Et lenta excelsos vitis conscendere ramos,
Tondeturque seges maturos annua partus,
Et ferro tellus, pontus confinditur aere,
Quin etiam structis exurgunt oppida muris.
Ergo ubi per claros ierint tua facta triumphos,

Solus utroque idem diceris magnus in orbe.
Non ego sum satis ad tantae praeconia laudis,
Ipse mihi non si praescribat carmina Phoebus.
Est tibi, qui possit magnis se accingere rebus,
Valgius: aeterno propior non alter Homero.
Languida non noster peragit labor otia, quamvis
Fortuna, ut mos est illi, me adversa fatiget.
Nam mihi, cum magnis opibus domus alta niteret,
Cui fuerant flavi ditantes ordine sulci
Horrea fecundas ad deficientia messes,
Cuique pecus denso pascebant agmine colles
(Et domino satis et nimium furique lupoque),
Nunc desiderium superest: nam cura novatur,
Cum memor ante actos semper dolor admonet annos.
Sed licet asperiora cadant spolierque relictis,
Non te deficient nostrae memorare Camenae.
Nec solum tibi Pierii tribuentur honores:
Pro te vel rabidas ausim maris ire per undas,
Adversis hiberna licet tumeant freta ventis,
Pro te vel densis solus subsistere turmis
Vel pronum Aetnaeae corpus conmittere flammae.
Sum quodcumque, tuumst. nostri si parvola cura
Sit tibi, quanta libet, si sit modo, non mihi regna
Lydia, non magni potior sit fama Gylippi,
Posse Meleteas nec mallem vincere chartas.
Quod tibi si versus noster, totusve minusve,
Vel bene sit notus, summo vel inhaereat ore,
Nulla mihi statuent finem te fata canendi.
Quin etiam mea cum tumulus contexerit ossa,
Seu matura dies celerem properat mihi mortem,
Longa manet seu vita, tamen, mutata figura
Seu me finget equum rigidos percurrere campos
Doctum seu tardi pecoris sim gloria taurus
Sive ego per liquidum volucris vehar aera pennis,
Quandocumque hominem me longa receperit aetas,
Inceptis de te subtexam carmina chartis.

TIBVLLVS.

II.

Sulpiciast tibi culta tuis, Mars magne, kalendis:
Spectatum e caelo, si sapis, ipse veni.
Hoc Venus ignoscet: at tu, violente, caveto
Ne tibi miranti turpiter arma cadant.
Illius ex oculis, cum volt exurere divos,
Accendit geminas lampadas acer Amor.
Illam, quidquid agit, quoquo vestigia movit,
Conponit furtim subsequiturque Decor.
Seu solvit crines, fusis decet esse capillis:
Seu compsit, comptis est veneranda comis.
Vrit, seu Tyria voluit procedere palla:
Vrit, seu nivea candida veste venit.
Talis in aeterno felix Vertumnus Olympo
Mille habet ornatus, mille decenter habet.
Sola puellarum dignast, cui mollia caris
Vellera det sucis bis madefacta Tyros,
Possideatque, metit quidquid bene olentibus arvis
Cultor odoratae dives Arabs segetis
Et quascumque niger rubro de litore gemmas
Proximus Eois colligit Indus aquis.
Hanc vos, Pierides, festis cantate kalendis,
Et testudinea Phoebe superbe lyra.
Hoc solemne sacrum multos haec sumat in annos:
Dignior est vestro nulla puella choro.

III.

Parce meo iuveni, seu quis bona pascua campi
Seu colis umbrosi devia montis aper,
Nec tibi sit duros acuisse in proelia dentes,
Incolumem custos hunc mihi servet Amor.
Sed procul abducit venandi Delia cura:
O pereant silvae, deficiantque canes!
Quis furor est, quae mens, densos indagine colles
Claudentem teneras laedere velle manus?

Quidve iuvat furtim latebras intrare ferarum
  Candidaque hamatis crura notare rubis?
Sed tamen, ut tecum liceat, Cerinthe, vagari,
  Ipsa ego per montes retia torta feram,
Ipsa ego velocis quaeram vestigia cervi
  Et demam celeri ferrea vincla cani.
Tunc mihi, tunc placeant silvae, si, lux mea, tecum
  Arguar ante ipsas concubuisse plagas:
Tunc veniat licet ad casses, inlaesus abibit,
  Ne Veneris cupidae gaudia turbet, aper.
Nunc sine me sit nulla Venus, sed lege Dianae,
  Caste puer, casta retia tange manu:
Et quaecumque meo furtim subrepit amori,
  Incidat in saevas diripienda feras.
At tu venandi studium concede parenti,
  Et celer in nostros ipse recurre sinus.

IIII.

Huc ades et tenerae morbos expelle puellae,
  Huc ades, intonsa Phoebe superbe coma.
Crede mihi, propera: nec te iam, Phoebe, pigebit
  Formosae medicas adplicuisse manus.
Effice ne macies pallentes occupet artus,
  Neu notet informis candida membra color,
Et quodcumque malist et quidquid triste timemus,
  In pelagus rapidis evehat amnis aquis.
Sancte, veni, tecumque feras, quicumque sapores,
  Quicumque et cantus corpora fessa levant:
Neu iuvenem torque, metuit qui fata puellae
  Votaque pro domina vix numeranda facit.
Interdum vovet, interdum, quod langueat illa,
  Dicit in aeternos aspera verba deos.
Pone metum, Cerinthe: deus non laedit amantes.
  Tu modo semper ama: salva puella tibist.
21 Nil opus est fletu: lacrimis erit aptius uti,
22   Si quando fuerit tristior illa tibi.

At nunc tota tuast, te solum candida secum
  Cogitat, et frustra credula turba sedet.
Phoebe, fave: laus magna tibi tribuetur in uno
  Corpore servato restituisse duos.
Iam celeber, iam laetus eris, cum debita reddet
  Certatim sanctis laetus uterque focis.
Tunc te felicem dicet pia turba deorum,
  Optabunt artes et sibi quisque tuas.

V.

Qui mihi te, Cerinthe, dies dedit, hic mihi sanctus
  Atque inter festos semper habendus erit.
Te nascente novum Parcae cecinere puellis
  Servitium et dederunt regna superba tibi.
Vror ego ante alias: iuvat hoc, Cerinthe, quod uror,
  Si tibi de nobis mutuus ignis adest.
Mutuus adsit amor, per te dulcissima furta
  Perque tuos oculos per Geniumque rogo.
Magne Geni, cape tura libens votisque faveto,
  Si modo, cum de me cogitat, ille calet.
Quod si forte alios iam nunc suspirat amores,
  Tunc precor infidos, sancte, relinque focos.
Nec tu sis iniusta, Venus: vel serviat aeque
  Vinctus uterque tibi, vel mea vincla leva.
Sed potius valida teneamur uterque catena,
  Nulla queat posthac nos soluisse dies.
Optat idem iuvenis quod nos, sed tectius optat:
  Nam pudet haec illum dicere verba palam.
At tu, Natalis, quoniam deus omnia sentis,
  Adnue: quid refert, clamne palamne roget?

VI.

Natalis Iuno, sanctos cape turis acervos,
  Quos tibi dat tenera docta puella manu.
Lota tibist hodie, tibi se laetissima compsit,
  Staret ut ante tuos conspicienda focos.

Illa quidem ornandi causas tibi, diva, relegat:
Est tamen, occulte cui placuisse velit.
At tu, sancta, fave, neuquis divellat amantes,
Sed iuveni quaeso mutua vincla para.
Sic bene conpones: ullae non ille puellae
Servire aut cuiquam dignior illa viro.
Nec possit cupidos vigilans deprendere custos,
Fallendique vias mille ministret Amor.
Adnue purpureaque veni perlucida palla:
Ter tibi fit libo, ter, dea casta, mero.
Praecipiat natae mater studiosa, quod optet:
Illa aliud tacita, iam sua, mente rogat.
Vritur, ut celeres urunt altaria flammae,
Nec, liceat quamvis, sana fuisse velit.
Sit iuveni gratum: veniet cum proximus annus,
Hic idem votis iam vetus adsit amor.

SVLPICIA.

VII.

Tandem venit amor: qualem texisse pudori
Quam nudasse alicui sit mihi fama magis.
Exorata meis illum Cytherea Camenis
Attulit in nostrum deposuitque sinum.
Exolvit promissa Venus: mea gaudia narret,
Dicetur siquis non habuisse sua.
Non ego signatis quicquam mandare tabellis,
Ne legat id nemo quam meus ante, velim,
Sed peccasse iuvat, voltus conponere famae
Taedet: cum digno digna fuisse ferar.

VIII.

Invisus natalis adest, qui rure molesto
Et sine Cerintho tristis agendus erit.
Dulcius urbe quid est? an villa sit apta puella

Atque Arretino frigidus amnis agro?
Iam, nimium Messalla mei studiose, quiescas,
Non tempestivae saepe propinque viae.
Hic animum sensusque meos abducta relinquo,
Arbitrio quoniam non sinis esse meo.

VIIII.

Scis iter ex animo sublatum triste puellae?
Natali Romae iam licet esse tuo.
Omnibus ille dies nobis genialis agatur,
Qui nec opinanti nunc tibi forte venit.

X.

Gratumst, securus multum quod iam tibi de me
Permittis, subito ne male inepta cadam,
Si tibi cura togae potior pressumque quasillo
Scortum quam Servi filia Sulpicia:
Solliciti sunt pro nobis, quibus illa doloris,
Ne cedam ignoto, maxima causa, toro.

XI.

Estne tibi, Cerinthe, tuae pia cura puellae,
Quod mea nunc vexat corpora fessa color?
A ego non aliter tristes evincere morbos
Optarim, quam te si quoque velle putem.
At mihi quid prosit morbos evincere, cum tu
Nostra potes lento pectore ferre mala?

XII.

Ne tibi sim, mea lux, aeque iam fervida cura,
Ac videor paucos ante fuisse dies,
Sic quicquam tota conmisi stulta iuventa,
Cuius me fatear paenituisse magis,

Hesterna quam te solum quod nocte reliqui,
Ardorem cupiens dissimulare meum.

TIBVLLVS.

XIII.

Nulla tuum nobis subducet femina lectum:
Hoc primum iunctast foedere nostra Venus.
Tu mihi sola places, nec iam te praeter in urbe
Formosast oculis ulla puella meis.
Atque utinam posses uni mihi bella videri!
Displiceas aliis: sic ego tutus ero.
Nil opus invidiast, procul absit gloria volgi:
Qui sapit, in tacito gaudeat ille sinu.
Sic ego secretis possum bene vivere silvis,
Qua nulla humano sit via trita pede.
Tu mihi curarum requies, tu nocte vel atra
Lumen, et in solis tu mihi turba locis.
Nunc licet e caelo mittatur amica Tibullo,
Mittetur frustra deficietque Venus.
Haec tibi sancta tuae Iunonis numina iuro,
Quae sola ante alios est tibi magna deos.
Quid facio demens? heu heu mea pignora cedo.
Iuravi stulte: proderat iste timor.
Nunc tu fortis eris, nunc tu me audacius ures:
Hoc peperit misero garrula lingua malum.
Iam, facias quodcumque voles, tuus usque manebo,
Nec fugiam notae servitium dominae,
Sed Veneris sanctae considam vinctus ad aras.
Haec notat iniustos supplicibusque favet.

XIIII.

Rumor ait crebro nostram peccare puellam:
Nunc ego me surdis auribus esse velim.

Crimina non haec sunt nostro sine iacta dolore:
  Quid miserum torques, rumor acerbe? tace.

Charisius pg. 66: hoc femur, huius femoris. sed frequenter huius feminis, huic femini dictum est; et pluraliter tam femina quam femora. ideoque etiam Tibullus hoc ipsum erudite custodit, cum dicit

implicuitque femur femini.

Idem pg. 105: femini Tibullus

inplicuit*que* femur femini.

Haec verba aut e deperdito Albii carmine venerunt aut, quod minus probabile, pertinent ad illa [I, 8, 26] 'femori conseruisse femur'; in quibus reponendum utique id quod est 'femini' mihi quidem videtur haud dissimile veri.

I. INDEX CARMINVM.

II. INDEX NOMINVM.

III. INDEX GRAMMATICVS.

ADDENDA.

I, 1, 6. In hoc versu unice verum esse id quod vulgo fertur *adsiduo — igne,* non quod excerptoribus Gallicis placuit *exiguo,* satis comprobavimus opusculo eo quod annalibus philologicis insertum supra memoravi. Ibi cum dixerimus praeter alia testimonia plurima adstrui illud *adsiduo* inscriptione quae apud Meyerum habetur 1177; in qua est 'tunc meus assidue semper bene luxit amice focus', data occasione monebo aliam imitationem Tibulli haberi in versibus Pompeianis, qui extant inscr. Lat. t. IIII [n. 1837]

si potes et non vis, ⏑ ⏑ – cur gaudia differs?
spemque foves et cras usque redire iubes?

Ita Albius [II, 6, 20]:

spes fovet et fore cras semper ait melius.

Tum leguntur ibidem haec [1520]

candida me docuit nigras odisse puellas.

Propertius [I, 1, 5]

donec me docuit castas odisse puellas.

Et porro [1595]

spectator scaenae sive es studiosus equorum.

Ov. am. III, 2, 1

non ego nobilium sedeo studiosus equorum.

Et in isdem inscriptionibus illa [1904 coll. 2461. 87]

admiror paries te non cecidisse *ruinis,*
qui tot scriptorum taedia sustineas

in memoriam revocant Priapeum 61. Praeterea eroticorum versus in monumentis antiquis leguntur hi:

I. Inscr. R. N. n. 6374:

in solis tu mihi turba locis.

Est Tibulli IIII, 13, 12.

II. C. I. L. t. IIII. n. 1894:

ianitor ad dantis vigilet, si pulsat inanis,
surdus in obductam somniet usque seram.

Legitur ap. Propertium V, 4, 47, 48, ubi fertur *dantes* et *pulset*.

III. Porro 1950:

quisquis amator erit, Scythiae licet ambulet oris,
nemo adeo, ut feriat, barbarus esse volet.

Prostat apud eundem IIII, 16, 13; ubi est in membranis *Scythicis* nec minus *noceat*.

IIII. Deinceps 1893:

surda sit oranti tua ianua, laxa ferenti.
audiat exclusi verba receptus amans.

Ovidii am. I, 8, 77, 78.

V. Tum 1895:

quid pote tan durum saxso aut quid mollius unda?
dura tamen molli saxsa cavantur aqua.

Ov. a. am. I, 475, 476, ubi legitur 'quid magis est saxo durum q. m. u.'

VI. Denique 1520:

odero si potero, si non, invitus amabo.

Hic versus quem primus et legit recte et auctori suo vindicavit Zangemeisterus qui de eo disseruit in notis ad l. d. et in addendis — nam ante miris modis erat turbatum [cf. Henzenus in Orellii inscr. III, 7, 294; Buechelerus m. Rh. XII, 253] — habetur in Ov. am. l. III. c. 11 tricesimus quintus. Apparet nihil nos iuvari his inscriptionibus, nisi quod fides hexametri ultimo loco positi, quem suspectarunt Heinsius et secutus eum Bentleius [ad Hor. ep. 15, 15], non nos, iam certo adseritur.

SEX. PROPERTII

ELEGIAE.

PRAEFATIO

Propertius quam certo speraverit nominis immortalitatem, iustissima quidem illa quae a meritis oritur firmatus superbia, compluribus carminum suorum apte declaravit locis, veluti hoc:

meque inter seros laudabit Roma nepotes,
illum post cineres auguror ipse diem.
ne mea contempto lapis indicet ossa sepulcro,
provisumst Lycio vota probante deo.

Fatendum tamen eventum huius augurii non satis respondisse spei, certe ante pulsam saeculo XV medii aevi barbariem.

Ex aequalibus quidem Ovidius quanti eum fecerit satis declarat propriis testimoniis. Idem carmina eius, plane ut Tibulli ac Lygdami et laudatoris Messallae, saepe imitando expressit. Quid quod heroidum librum et fastos duce ac magistro inprimis Propertio creditur conscripsisse? Ceterum ne primo quidem p. Ch. n. saeculo videntur defuisse, qui Propertium quo par erat haberent honore. Nam et Statius eius meminit cum laude nec minus Martialis et Secundus Plinius. Praeterea auctor est Quintilianus fuisse qui illi principatum inter elegiacos deferrent, rectissimo quidem illi, me si audies, usi iudicio. Ceterum eundem admirationi magis fuisse cultissimo huic saeculo quam exemplo apparet poetarum huius temporis, qui haud pauci superant, libris. Et est sane difficilis Propertius, cuius sensus ac rationes nisi diligentissimo pariter ac longissimo studio perspicere non possis, sed ut eos quo magis penetraris hoc vehementius te alliciant; plane sicut Tacitus, cum quo in quantum materiae sinit diversitas mirum in modum illi convenit.

Quare quod narrat Plinius in epistulis [VIIII, 22] Passennum quendam Paullum, a Propertio, adoptione ut puto deductum, trahentem genus aemulando felicissime expressisse scripta eius, quem inter maiores suos numeraret, aut ego vehementer fallor aut ille caritate amici inductus mirifice lapsus est iudicio. Nam Paullum fuisse hominem scholasticum et simiae quae omnes imitatur, nemo tamen ut ipsam, simillimum, satis aperte declaratur ipsis illius verbis quae e re duxi apponi: 'in litteris veteres aemulatur, exprimit, reddit, Propertium inprimis, a quo genus ducit. nuper ad lyrica deflexit, in quibus ita Horatium ut in illis illum alterum effingit'. Nam Propertium apte ut imitere, ipse sis oportet Propertius.

Saeculo insequente Propertii mentionem facit Appuleius, tersissimi homo ingenii. Mox autem tam rara eius memoria, ut appareat non nisi unum alterumve lectorem esse nactum poetam. Nec frequentes sane grammatici Latini in versibus eius afferendis, et quidem ut appareat plerosque non ex ipsis Propertii libris sua sumpsisse, sed ex communi illo scholasticae eruditionis fonte, qui saeculo p. Ch. primo medio provenit. Ceterum Iustinian aetate extitisse poetam Graecum, Paullum Silentiarium qui haud ita raro imitaretur Propertium post Huschkium quem primum ea res advertit, contendit Hertzbergius quaest. Prop. pg. 230. Neque habet illud per se cur videatur a fide alienum. Nam et Martialis ultimorum temporum Graeculis saepe fuit exemplo. Iam nemo post saeculum sextum per medium aevum extitit qui meminisset Propertii. Eius autem carminum codex videtur esse inventus aetate Franc. Petrarcae medio fere inter Catulli et Tibulli carmina recuperata temporis intervallo. Certe Petrarca habuit Propertium pariter atque Catullum in bibliotheca. Ex qua ut exempla horum poetarum sibi describerentur anno 1374 petiit Coluccius. Cf. quae Hauptius in actis societatis litterariae Saxonicae ante hos viginti annos editis disseruit pg. 257 sqq. Mox eadem carmina a plurimis cum magna cupiditate descripta sunt et ut mos erat illis temporibus passim interpolata. Ceterum

codices saeculo XV priores extant aut nulli aut paucissimi.

Sed ex magna farragine librorum manuscriptorum duos potissimum elegit Lachmannus, quos sequendos duceret, e quibus alter fuit Neapolitanus, qui nunc Guelferbiti asservatur, de quo infra dicetur, alter Groninganus. Nam quem tertium auctoritate parem vel priorem addidit antiquissimum librum Bernardini Vallae, a Franc. Puccio adhibitum, eius fidem vix pluris habendam quam reliqua Italorum excerpta optime docuit Keilius in observ. crit. pg. 22 sq. et apertius etiam in praef. Prop. pg. 4; cuius iudicio acriter rem meditati plane subscribimus.

Vsus tamen Puccius membrana non omnino spernenda nec dissimili prorsus Neapolitanae, ex quali etiam Regiensis a. 1481 fluxit editio. Vnde his quos dixi libris quin bis terve verius repraesentetur archetypi lectio equidem nullus dubito. Tamen cum alias neque id raro interpolationis apertissima prenderentur vestigia, religioni duxi quidquam adsumere ex illis, nisi quod vel sine ulla membranarum fide esset recipiendum.

Ceterum Lachmannus [praef. pg. 9] multo plus tribuit Groningano libro quam Neapolitano, et secutus eum Hertzbergius [quaest. Prop. 233—235]. Verum iam Keilius in observat. pg. 11 sqq. haud sane paucas eiusdem interpolationes detexit pariterque Neapolitani fidem adseruit. Videnda etiam quae dixit idem pg. 25, 26. Etiam magis rem firmavit exemplis additis Hauptius in libello academico a. 1854 ed. [pgg. 4—9], ubi et ipse quaedam Italorum licentiae, quae exercita sit in librum Groninganum, profert documenta. Intendit hoc Heimreichius, qui in diss., quam inscripsit quaestiones Propertianas, a. 1863 publicata nullam omnino libri Groningani cuius descriptionem addidit pgg. 4, 5 auctoritatem esse statuit, atque adeo quotquot versus sive versuum particulae in illo cum extarent abessent a Neapolitano ea fraude conficta censuit. Simile praeierat Hauptius qui in prohoemio quod modo memoravi proposuit exempla quae ipsi viderentur lacu-

narum ab Italis crassa Minerva completarum haec. Itaq IIII, 1, 27 Gustavum Wolfium secutus pro eo quod est libro Groningano *cunabula parvi* scribendum dixit *c prole Scamandro;* idem IIII, 5, 39 commendavit *noc tum* pro *gigantum,* et III, 34, 53 *restabimus undas* p *restaverit undas.* His locis omnibus dest a Neap. c quidquid prostat in Gron., nisi quod habet pro *restav* illud *restabit.* Et haec quidem omnia rectissime perse tum putamus Hauptium: minus tamen certum illud, utr sicut in N etiam in archetypo unde ductus est fuerit de ctus verborum an extiterint vocabula difficilia lectu qu illius librarius taedio ac difficultate victus omitteret, G ningani rudi arte partim depingeret partim expleret. Co sidera modo mihi illa, quae supra iam posita extant lo indicatis in G: *cun*abu*la* p*ar*vi, *resta*verit *undas*, giga *tum,* agnosces miram et vix fortuitam literarum similit dinem cum eis quae constant in lectione emendata. I etsi nemo sit, ut puto, qui serio existimet omnes reliqu codices provenisse ex N, illud quidem concedetur a pler que, ut ubique in Prop. libris, ita maxime vigilandu eis locis, ubi omittuntur verba codice optimo. Ceteru minime audiendus Heimreichius, qui quidquid ab hoc a est ea quasi furcis expellenda ex Prop. existimat carm nibus, de qua re, prout fert occasio, in commentario c tico agetur. Fidem codicis G a plerisque iam ut vidim valde suspectatam, denuo adstruere conatus est Christ nus Luetiohannes in commentationibus Propertianis, qu prodiere a. 1869 Kiliae, pg. 3 sqq., satis quidem ille c cumspecto et prudenti usus iudicio. Mihi, ut meam i sententiam aperiam, videtur G haud dissimilis codicis C tulli Datani, in quo quasdam egregiae fidei lectiones i venias, alias cum audacia interpolatas, ut tamen ille c dex longe saepius sit immutatus Italorum arbitrio qu hic. Etiam hoc commune utrique libro, quod emenda res quicumque fuerunt cum haud pauca et ex parte san sima temptassent, vix tamen rarius ineptissima quaeq mirifica tulere indulgentia. Ceterum interpolationis qu saevierit in librum G exempla plurima pariter atq

apertissima cum attulerint Keilius, Heimreichius, Luetiohannes, apponere ipse supersedeo.

Iam dicendum de codice olim Neapolitano, nunc Guelferbitano; qui quamquam longe superat bonitate Groninganum, est tamen, ubi et ipse teneatur fraudis. Cuius exempla maxime observavi haec.

Legitur in II, 3, 22 *carmina quae quivis non putat aequa suis;* ex quo quod confecit Scaliger *carminaque aequaevis* potissimus quisque criticorum merito reiecerunt. Ibi habet G pro *quivis* illud *lyrnes*, quod vocabulum cum sit nihili, nulla interpolatione potuit esse ortum. Et pridem restitutum est quod scripsit Propertius *Erinnae* nomen. Similiter proprium vocabulum fraudi fuit libraric cod. N V, 10, 1, ubi pro *Feretri* exhibet *fateri,* et quidem solus. Tertium liberioris mutationis exemplum habes III, 32, 33 sq. ubi sunt in G haec:

ipsa Venus quamvis corrupta libidine Martis
nec minus in caelo semper honesta fuit.

Illud *nec* cum non intellegeret scriba accipiendum esse per schema quod dicitur ἀπὸ κοινοῦ scripsit in priore versu crassa Minerva pro *quamvis fertur.* Praeterea considerato mihi hoc. In III, 30, 19 cum archetypus pro eo quod est *num* videatur exhibuisse *non* vel *nunc* (hae voculae innumeris locis Prop. inter se confusae), cumque illud *iam* quod sequitur minus facile esset ad legendum, is qui G scripsit servavit tamen id quod verum est *num iam dure paras*, nisi quod habet *nunc* et *dura,* sicut est in ed. Reg. *num iam dure paras.* At Neap. librarius, cum id quod est *iam* ipsi videretur potius esse *tam̃,* pessime recordatus v. 27 c. 19 l. IIII invexit illud *non tamen inmerito.* Praeterea apparet in V, 7, 85 minus licenter immutatum quod habet G *Tyburtina iacet hac aurea* (simillime Puccii liber et ed. Reg.), quam quod est in N *set Tiburna iacet hic aurea.*

Est etiam ubi uterque codex diverso quidem modo expertus sit interpolatores. Cuius rei exemplum habetur III, 15, 49. Ibi cum antiquitus esset traditum *tu modo dum licet fructum ne desere vitae* (ita Reg.), is qui ^G^

psit reposuit *lucet,* qui G *liceat,* uterque explendo metro sed parum feliciter. Cf. etiam quae notabimus ad II, 1, 31; IIII, 13, 35. Sed hercule quid mirum si in coruptissima traditione ne potissimus quidem liber, sed qui haud sane vetustate sit insignis, interpolatorum prorsus arbitrio caret? Est tamen utcumque magni pretii et dignissimus qui diligentius describatur.

Igitur est codex inter Gudianos n. 224 membranaceus in octavo maiore, quod barbare dicitur, sive quarto minore, quali forma haud paucos eroticorum libros invenies scriptos. Nec scriptura eius sibi constat plane neque atramentum, ne in priore quidem parte. At a folio inde 49 usque ad 71 videtur mihi alia manu eodem tamen tempore exaratus. In hac parte atramentum plerumque minus pallidum magisque nigrum quam fuit ante. Est autem integer, nisi quod inter 70 et 71 excisa est nescioquo casu pagina. Versus in priore parte sunt fere viceni septeni, in posteriore ut plurimum triceni, vel uno seu duobus pauciores vel plures. Carminum distinctiones vacante spatio factae vel addita inscriptione sunt nullae, nec magis librorum nisi quod inter III et IIII interque IIII et V singulorum versuum relicta intervalla. Ceterum ne in Groningano quidem codice lib. I a II separatur [cf. Heimr. l. m. pg. 4]. Initiales carminum literae, ubicumque librario certo de principiis constare videretur, splendidissime pictae colore rubro, viridi, caeruleo, alias initia elegorum non nisi lineolis incurvis in margine additis seu rubro colore sive solito atramento significantur, saepe ne his quidem.

Et proximi cuiusque a primo versu initialis plerumque colore ex eis quos dixi insignis. Hinc aliquando factum, ut principis distichi litterae primae (sive altera ex eis) relictae rubricatori et omissae ab eo exciderent, quamquam aliis locis eae in sinistro margine atramento solito leguntur adscriptae. At in dextro saepe habetur signum NP vel p vel similia sed quae minus facile hic loci repraesentes, praeterea litterae ut puta u n a o t, ex quibus compluries licet vocabula quae sunt *vota tua nota* effici, ac sub-

inde aliae. In his siquid latet arcanae sapientiae, reperire mihi certe non contigit.

Porro Lachmannus et secutus eum Hertzbergius affirmant codicem esse extra Italiam scriptum, ob eam ut videtur causam (nec enim argumentis rem asseruerunt) quod litterarum ductus essent simpliciores et paullo minus rotundi quam qui Italis saeculi XIII placuissent. Mihi de hac re minus certo constat. Ceterum contrarium ei quod illi statuerunt videtur innui formis quae ubique in N recurrunt *michi nichil.*

Idem ut iam indicavi saec. XIII tribuunt codicem, huic vel praecedenti Keilius observ. crit. pg. 3. Mihi ut dicam quod sentio omni tempore non minus visum est mirum extare codicem Propertii ante restauratas in Italia literas scriptum quam haberi Breslaviae Statii silvas saeculo XIII exaratas, qui scirem eas a Poggio primum inventas. Quid enim, amabo, saec. XII vel XIII, quid scholasticis et mysticis cum Propertio? Nec vero haec suspitio ea re elevatur, quod Ovidii elegiaca carmina frequentissime tum temporis sunt descripta. Neque quisquam, ut memoravi, ante annum 1374 certam Propertii memoriam post saec. VI extare comprobavit. Aucta inde dubitatio, cum ipse in manus meas venisset liber N. Nam scriptura sane ut ne a duodecima quidem atque adeo undecimo saeculo prorsus aliena, ita nec a tertiodecimo abhorrebat, paucioribus tamen aliquando insignis compendiis quam quae huius temporis codices referunt. Sed maxime movebant suspitionem literae initiales carminum splendidissime pariter atque elegantissime pictae, ut memoravi, cum neque luxuriae similis in classicorum poetarum libros saeculo tertiodecimo adhibitae exemplum suppeteret et artis illius diversis istis, quos memoravi, coloribus tam scite literas initiales pingendi plurimus fuisset usus quintodecimo.

Quid quod ipsae membranae saeculum XV potius quam XIII referre videbantur?

Praeterea memoria digna haec. Cum saepe correcturae vitiorum non modo manu eadem sed eodem etiam

atramento sint factae, occurrunt aliquando aliae atramento longe magis nigro sed isdem plane litterarum ductibus ut agnoscas hominem imitando quas vellet manus exercitatum. Minus notabile videtur illud quod i litterae aliquando, cum geminata est, ab eadem manu (nam recentiores quasdam, quas expertus est codex, non curo) additae sunt lineolae obliquae supra lineam vel aliquando quamquam rarissime infra.

His omnibus accurate pensitatis non videtur improbabile scriptum esse librum N. saec. XIIII vel potius XV a librario, cui curae esset, ut haud raro factum illo tempore antiquioris saeculi, ut puta XI, imitari ductus, et qui fortasse libri archetypi reverentia inductus vetustiores litteras imitaretur. Hanc equidem non quasi de tripode fero sententiam, sed aio esse coniecturam, quam tamen si non veram certe haud ineptam visum iri spero, siquis aliquando maiore quam nos librorum peritia instructus denuo examinarit codicem. Nempe abhorret a moribus nostris ambigua et difficilia ad iudicandum proponere quasi certa et comperta.

Sed ut aetate multo sit inferior codex quam visum Lachmanno, nihil de praestantia eius velim detractum; est certe omnium qui iam extant longe optimus; id quod nobis apparuit denuo instituta collatione. Atque illud maximum commodum percepimus ex eo labore, quoniam perpauca quae mentione ulla essent digna, Lachmanni et Hertzbergii curas fefellerant. Hinc evenit ut locis sat multis, qui priores non adverterant criticos, aut suo iam honori restitueremus sinceras libri N lectiones, aut e corruptis eliceremus verum.

Descriptum esse librum ex ipso archetypo ut supra memoravi mihi quidem videtur haud improbabile. Hic autem cuius fuerit aetatis difficile videtur posse discerni. Quamquam siquis eum nono fere saeculo scriptum esse existimarit, quo tempore Caroli Magni virtute redintegrata sunt studia antiquarum litterarum, equidem non habeo cur obloquar. Notandum membranam illam in prima fronte caruisse omni inscriptione operis Propertiani, n

nomen quidem ut exhiberet poetae. Nam ita se habere prout dixi, quamquam nemo ante nos animadvertit, certissime apparet ea re, quod N liber praeter inscriptionem longe recentiorem reliqua scriptura, quae est *incipit Propertius,* omnis expers est tituli. Hinc in libris minus sinceris provenere interpolationes. Nam cum ex ipsis Prop. scriptis librarii recuperassent nomen poetae, quem quidem ridicula eorundem inducti corruptela [III, 24, 38] putavere fuisse nautam, alii ex Donati vita Vergiliana (nam Salmasiana anthologia saec. XV nondum innotuerat) addidere praenomen Sexti, quidam Martialis apophoretorum [189] lemmate inducti totum opus inscripserunt *monobiblon*, quos tandem errorem dedocuit Scaliger. Praeterea nonnulli Propertii nomen cum Prudentii confundentes sicut factum etiam in codicibus libelli de dubiis nominibus [gr. lat. V, 576, 22 K.] eum Aurelii nomine ditarunt; quo primus liberavit Hauptius [act. soc. litt. Saxon. a. 1849 pg. 260 sqq.]. Denique fuere qui eum facerent Mevaniensem, v. 123 c. 1 l. V decepti illi. Iam cum vel caecus videat nihil esse amissum in principio carminis, sequitur in aversa pagina folii praecedentis inscriptionem libri fuisse; qua re ipsa haud contemnendam adfuisse archetypo vetustatem evincitur. Eundem ne scriptura nimis difficili aut evanida exaratum fuisse credam, ea maxime re adducor, quod in libro N etsi pleraque sunt corrupta longe tamen rarius ac vix umquam existunt monstra verborum talia, quae observantur in libris Catullianis. Quamquam minime ignoro nullo tempore, nedum saeculis XIII, XIIII, XV, extitisse librarios tam diligentes, ut religioni ducerent verba minus sibi intellecta apertioribus, quae ipsis viderentur, mutare. Pentametri in archetypo non fuere reducti; carmina singula in eodem male fuisse divisa Neapolitanae membranae docemur exemplo. Sed ne libri quidem nisi paenultimum cum ultimo satis aperte videntur fuisse dirempti. Notum est primum Lachmannum librum alterum rescidisse in duos, quorum posterior inciperet ab illis *sed tempus lustrare aliis Helicona choreis.* Id ut statueret maxime fuit permotus disticho notissimo

quod quidem recte ita videtur scribi [III, 13, 25, 26]:

sat mea, sat magnast, si tres sint pompa libelli,
quos ego Persephonae maxima dona feram.

Et illud sane nemo negabit Propertium si ipse libros suo praeter primum edidisset, numquam commissurum fuisse ut in secundo volumine ea verba legerentur. Accedi quod in priore parte alterius libri qui ferebatur ante Lach mannum etiam alias lacunas deprendi constat. Minuitu sane probabilitas ratiocinationis ab eodem institutae ea r quod mihi quidem plane persuasit Hertzbergius [quaes Prop. 213—223], qui priscum librorum numerum re tinuit, nullum praeter primum librum ab ipso Properti editum (quem quidem etiam post mortem poetae singil latim saepius venisse Martialis testimonio quod supra ad latum apparet), reliquos amicorum curis publici iuri factos, quos aliquando in digerendis carminibus neglegen tiores fuisse sat constat.

Sed tamen omni pignore potest adfirmari certe qui bus optinetur liber paenultimus elegias ab ipso Proper tio huic fuisse insertas. Nam nequis putet elegiam III 13 ex insequente volumine (quod multis visum) in prae cedens importuno casu delatam, ea re prohibetur, quo metricis rationibus plane priorem libro IIII, qui Lach manno visus, fuisse carmen illud fit probabile. Nam te [v. 24. 40. 48] in pentametri fine recurrit vocabulum hy perdisyllabum, neque excusatum illud nomine propri vel Graeco; quod contra in toto libro quarto similis in elegantiae duo — non plura — prostant exempla [3, 28 19, 10]. Et omnino hunc posteriorem tempore magisqu elaboratum nec facile ab interpolatoribus immixtum a turbatum alienis clamat ipsa versuum ars. At Hertzberg sententiae illud favet, quod fugisse Lachmannum et reli quos mirum (primus notavit [quaest. Prop. pg. 32] Heim reichius), Nonium pg. 169 s. v. secundare hunc versur '*iam liquidum nautis aura secundat iter*' adscribere diserti verbis libro III, non IIII (neque enim alibi umquam grammaticis in afferendis huius poetae verbis notatus volu

minum numerus). Quamquam ne hoc quidem sua caret probabilitate et praecedentibus tribus iota et sequente eadem potuisse facile hauriri unam.

Itaque omnibus quae considerari debuere momentis cum cura pensitatis Lachmanni librorum divisionem retinendam esse existimavi, non quidem illam ab omni parte securam, sed plurimas tamen quae expediret difficultates. Sed iam satis superque dictum de re non ita gravi.

Ceterum quartum librum recentissimum inter eroticos fuisse metricis ut supra dixi firmatur rationibus; quintum omnium habendum supremum pentametri finientis arte et aliis versuum legibus apparet itidem. Certe siqua fuere prius conscripta, ea abdicato amore Cynthiae retractasse Propertium et ad modulos qui iam magis placerent aequalibus inflexisse omni pignore spondendum.

Tamen identidem in hoc ordo sententiarum minus apte procedit, nec semper definias Propertii id evenerit culpa an librariorum; neque enim ipse haec carmina quantumvis castigata videtur omnino absolvisse. Fuere qui spurium dicerent et a Passenno Paullo vel alio quodam versificatore saec. p. Chr. I vel II compositum: quibus quid sit respondendum iam supra indicavi.

Ceterum afferri aliquid ex eo volumine a veteribus praeter vv. c. 1, 11—14 a Lactantio inst. div. II, 6, 14 adhibitos, e quo loco tertium repetit Isidorus orig. XVIII, 4, 1, equidem non memini. At saepius imitatus Ovidius, primum quidem toto carmine in Amoribus [I, 8 coll. Prop. V, 5], mox aliquotiens in arte amatoria [I, 67. III, 117—20; coll. Prop. V, 8, 75. 1, 11. 12. 3. 4], ac subinde in libris posterioribus.

Fuere novello tempore qui plerosque in Propertii libris suppositicios versus agnoscere sibi viderentur. A quibus ego longe dissentio. Nam hic poeta, qui nec in scholis fuit umquam lectitatus et in ipsa antiquitate, ne dicam de medio aevo, paucissimos sui studiosos invenit, unde tanta inquinaretur labe? Mitto eorum temeritatem qui non volnera sed sanissima quaeque per inscitiam inmodicam temptavere. Sed ne his quidem ve[illegible] qui

aperte feruntur mendosi spongiam adhibendam censeo. Pleraque enim omnia vitia in Propertii carminibus emendando tollenda: siqua restant graviora quam ut humana ope possint sanari, ipsae tamen reliquiae quantumvis lacerae et depravatae demonstrant peritis et quasi clamant summi poetae, non scholastici nescio cuius (qui non potuit fieri quin Ovidii imitatione proditurus se fuerit) ea esse monumenta. Ac sane non plus quattuor versus ex ipsius fere Sexti libris importune repetitos obelo notare me memini.

Singulorum carminum legitima disponendi spatia cum sat exiguam in hac parte Neapolitani libri auctoritatem esse supra indicarim arbitrium plerumque concessum lectoribus.

Traiectionibus versuum primum inter criticos Scaligerum usum esse constat, quae ex magna parte ineptae, certe importunae, tamen ad Burmanni minoris usque aetatem in editionibus Batavorum haeserunt, quamvis pridem expulisset Vulpius. Nos quantum ab huius et eorum qui secuti sunt eum recentissimo tempore temeritate, tantum putavimus recedendum ab eis qui nihil venerantur nisi libros scriptos. Ceterum cum omnino difficilis sit ac lubrica aleaeque plena crisis Propertiana, tum longe spinosissima existit quaestio de versibus transponendis, partim ob tantam subsidiorum criticorum tenuitatem, partim quia ut in omnibus carminibus ita maxime in elegiacis amant aliquando interrumpi sententiae digressionibus nec fere recta via sed quasi per salebras incedere. Quare fallentur, in Propertio qui omnia ad severissimas ratiocinationis logicae normas moroso exegerint iudicio.

Qua scriptura fuerit exaratus archetypus diu mihi perscrutanti non magis reperire contigit quam quot fuerint in singulis paginis versus. Quaedam sine dubio vitia quae observantur in N vel G adhaeserunt ex scriptura quadrata vel unciali velut IIII, 24, 10 *fluere* pro *eluere,* V, 11, 30 *aera* pro *Afra,* 7, 45 *lalace* pro *Lalage,* ib. 10, 42 *caesa* pro *gaesa,* ib. 1, 61 *gingat* pro *cingat,* et aliquando *t* posita *pro i.* Praeterea horum codicum testimoniis declaratur in

archetypo *i* et *l* vix potuisse dignosci. Nec tamen haec sufficiunt ad genus scripturae eius certo definiendum.

Restat ut de orthographia libri Neap. disseram; quae mirum in modum exhibet mixta et confusa interse vera falsa dubia. Vt a spiritu omisso vel adiecto incipiam, legitur in illo *pulcher pulcherrima*, sed sequente statim *r* omissa aliquando *h*. Scribitur bis terve *umerus*, sed saepius longe *humerus*. Nec raro occurrunt illa *a ei*, aliquando cum corruptelis velut I, 9, 30; 11, 5; sed frequentius *ah* et *hei*. Littera *h* ubique perperam addita in illo *thorus*. aliquando in eo quod est *tus*. Legitur et *honustus*, sed e contrario *aenus*. Omnino *h* saepius perperam sive addita sive abiecta. *C* prior semper omissa in vocabulo *Bacchus*, nec minus in *Iacchus* II, 3, 17, unde pro hoc V, 2, 31 scriptum est *achei*. Eandem litteram falso additam semper, ut puto, habes in *michi, nichil*, ut in libris Italicae originis, quamquam bis terve deleta *c*. Similiter abundat in *heccine* [I, 17, 8], *siccine* [II, 15, 8]; sed recte abest ab *autumnalia* [V, 2, 15]. Ponitur ubique, nisi quid me fugit, *obicere* et similia per unum *i*, itaque *temptare*. Minus recte, ut opinor, extant ibidem aut omnibus locis aut certe plurimis ut puta *dampnum alumpnus sompnus columpna sollempnis tempno* et quae inde descendunt, qualia et ipsa in libris vetustissimis saepe occurrunt. In eodem plerumque est *littus* (ut et *littera* V, 3, 5), aliquando tamen *litus*. Legitur ubique *bucina*, atque ita *braca* [V, 10, 43], contra *braccatus* [IIII, 4, 17]. Recte ponitur *nequiquam* nec absurde *rutunda* [V, 7, 61], at male *Iupiter, Tesiphone, Perithous, solatia*. *O* pro *u* praecedente *u* servari non memini nisi III, 34, 38 *equos* pro *equus* et V, 2, 4 *Volsanios* pro *Vulsunios*. Dignum quod reciperetur, quamquam repudiavimus, fuit *gyla* V, 10, 44. Saepe pro coniunctione et aliquando pro praepositione *cum* legitur *c̄* hoc est *con*, quasi fuerit in archetypo *com*, quod tamen hic indicasse satis habemus. Alia aperte fal[illegible]
sed ex codice satis vetusto ducta sunt; ut p
devear, abstraat, oportunus, suplex, menbra,
nius. Illud *sed* plerumque scribitur per abb

h. e. *s*; neque alias finalis sibi constat. Tum pro *ae* vel *oe* ex more temporis quo confectus est liber legitur *e* sive simplex seu caudata. In praepositionibus adsimilandis nihil fidei seu constantiae expectaris.

Ad summum agnosces librarium ex parte scripturam libri veteris cum fide repraesentantem, sed non rarius eandem sui temporis vitiis permutantem. Nos quae aperte falsa viderentur, correximus, quae dubia, prout tradita erant reliquimus, ne inconstantiae quidem crimen veriti.

Reliqui autem libri praeter eos de quibus modo diximus etiamsi hic illic praebent quod in ordinem verborum sit recipiendum, tamen longius eos persequi h. l. non opus.

Editorum Propertii potissimos enumerandi munere ut supersedere ferme possim faciunt ea quae in Catulli inque Tibulli praefationibus disseruimus, cum plerique criticorum his pariter atque illi operam navarint, nec fere se diversos praestiterint in libris diversorum. Itaque primum memorandam existimo editionem Burmanni Secundi, quae duobus post mortem eius annis ab amico eius et sectatore Laurentio Santenio confecta in lucem prodiit. Ea virtutibus ac vitiis reliqua Burmanni refert opera. Habes ibi apparatum criticum ex libris cum scriptis tum editis conflatum satis magnum sed neque descriptas cum diligentia neque discretas apte copias et quibus promiscue fere utatur. Nam Italorum interpolationes ipse vix magis perspexit quam Santenius, quamquam potuere meliora doceri a Nicolao Heinsio et Iosepho Scaligero; sed illi ubicumque scripti atque adeo vetusti codicis auctoritate lectionem aliquam firmari ab istis audirent, ipso quasi sono verborum plerumque mirificum in modum imponi sibi passi sunt. — Quasi vero intersit coniectura heri an quattuor saeculis ante sit facta aut quasi hodieque in testium fide expendenda numerus potius quam auctoritas respiciatur!

Extollendus tamen Burmannus eo nomine quod plurima, ut veterum Batavorum plerique, poetarum fuit lectione imbutus, quem laudis titulum eo minus decet elevari,

quo rarius qui hodie se ferunt Dauniae Camenae arbitros eodem possunt ornari. Tamen quod mirere cum ipse fuerit carminum Latinorum auctor haud inelegans, plurima eius doctrina non potuit prohibere, quin aliquando crassiore usus Minerva explicaret Propertii versus. Emendandis isdem etsi non spernendam, non tamen praecipuam navavit operam. Nec multum profecit Santenius qui magis ea re notabilis quod studium litterarum Latinarum tunc temporis sensim intermoriens apud Batavos quoad vixit pro virili parte sustentavit quam quod ipse multum praestitisset scriptoribus classicis. Ceterum horum de quibus hic agitur curas ut corrigere facile, ita numquam eis possis egere. Mox Lachmannus a. 1816 superavit omnes Burmannos virtute et industria. Idem XIII annis interiectis denuo Propertii carmina recognita emisit in publicum, qua editione quid consilii secutus esset, vix ac ne vix quidem se intellegere multi sunt professi. Sed quas in praefatione Catulli exposuimus eius fuisse rationes iam alii recte perspexerant. Proxime nominandus est Hertzbergius, qui annis 1843—45 Propertii opera apparatu critico et commentariis instructa nec minus quaestionum tribus liberis munita Halis Saxonum edidit. De eius curis acerbissimum pariter atque iniquissimum tulit iudicium Car. Muellenhoffius in menstruis Kiliensibus a. 1854 editis, pg. 186, 187. Nos, qui ut irae ita studii causas procul habemus, bene illum de Propertio meritum esse existimamus, cum quaestionibus de vita et scriptis eius institutis, in quibus haud paucos Lachmanni aliorumque errores refellere ei contigit, tum ipsa interpretatione. Minus tamen felix idem mihi quidem videtur fuisse circa coniecturas. Neque nego eum multo plus potuisse praestare, si et ipsius Propertii verba accuratius quam enarratorum eius respexisset, et exempla undique congesta ponderasset magis quam numerasset, nec Iacobos potius ac Paldamos quam Heinsios et Schraderos in iudicanda Sexti indole duces assumpsisset. Est hercule dignus hic poeta, quem non modo per σχήματα λέξεως et διανοίας interpreteris nec eruditionis undecumque petitae mole et diversis-

simi temporis sive generis exemplorum farragine obruas, sed primum ex ipsius ingenii elegantia, ex reliquorum ita, ut proximi ei sunt poetico spiritu nec minus arte et lima, metiendum existimes.

De Iacobi et Hauptii Keiliique editionibus iam diximus in prohoemio Catulli.

Sed age iam enumeremus quibus potissimum in locis a Lachmanni editione posteriore visum sit dissentire (omissis tamen ut solemus hic illic rebus leviculis), et siqua aliter elegiacorum florentissimo haud indigna observavimus data occasione proferamus.

I, 1. Statim in prima Sexti pagina verendum ne fallacia quadam irretiamur. Nam vv. 19—21 leguntur haec:

at vos, deductae quibus est fallacia lunae
et labor in magicis sacra piare focis,
en agedum dominae mentem convertite nostrae.

In quibus falsissimum esse vocabulum *fallaciae* omni affirmamus pignore. Quid enim? Propertius tam ineptus esset, ut ab eis auxilium speraret, quos impostores esse et crederet ipse et aperte diceret? Id cum per se careat omni probabilitate, refutatur v. 23, quo aperte significat poeta hactenus se dubitantem de potentia magorum iam conciliata per eos Cynthia in partes eorum iturum. Praeterea vide mihi, quam inconcinne iungantur illa quae sunt *fallacia* et *labor*. Quae cum ita sint reponendum mutatione minima illud *fiducia*. De participio *deductae* videnda quae Hertzb. disputavit qu. Prop. pg. 120. Ceterum conferenda quae leguntur IIII, 24, 9. 10.

ib. 20. Suspectum de mendo illud *sacra*. Nam ut omittam alibi non reperiri *sacra piare*, satis improprie h. l. dicitur id ipsum, cum alii sacerdotes non minus quam magi illi sacrificiis redditis deos placare sint soliti. Puto fuisse in arch. Prop. hoc *atra* (s superscr.), nempe *astra;* nec id voc. pro divis dictum, ut alias nonnumquam, sed sensu proprio. — Eandem proposuit coniecturam Robertus Vngerus, vir doctissimus, anal. Prop. pg. 57.

ib. 24 *Cytaines* Lachm., *cythainis* N.

I, 2, 11 *felicius* Lachm., *formosius* libri. Pauperis profecto esset ingenii in eadem descriptione adhibere vocabulum quod est *formosus*, cum binis versibus fuisset ante *formosus*. Illud tamen dubito, utrum Lachmannus fuerit sequendus potius, an Bentleius qui voluit rescribi *frondosior*, sicut ante eum Heinsius.

ib. 13 *praelucent* Hertzbergius, *collucent* G, *persuadent* N. Vereor tamen ne altius h. l. lateat vitium.

I, 3, 16 *osculaque admota sumere et arma manu.* Illa quae sunt *et arma* nihili esse post virorum equidem doctorum disputationes mihi videtur haud dubium. Vnde plerique scripsere, quod I. Fr. Gronovio placuit *ad ora,* idque sane apparet minime esse ineptum. Idem tamen superfluum nimisque remotum a traditis. Itaque melius Baehrensius substituit *cara.* Ita Tib. I, 4, 53 *rapias tum cara licebit oscula.*

ib. 39 *producas* ed. Gryphiana a. 1551; *perducas* cdd. Cf. Cat. 109, 5; Paul. Nol. 23, 116.

I, 5, 3 *meae* Hemsterhusius, *meos* cdd.

ib. 8 *sciet* Itali, *solet* libri.

ib. 20 *domum; domo* Lachm. sine causa; cf. d. r. m. 458.

I, 6, 4 *domo Memnonia* Hauptius, *domos Memnonias* cdd.

ib. 15 *convitia, cū vitia* N.

ib. 34 *et accepti pars eris imperii.* Illud *pars eris* ineptum esse verissime monuit Lachmannus, quamquam nemo est eum secutus. Reponendum ille duxit, ut puta, *sors erit,* hoc quidem rectissime, ut tamen appareat praeterea scribendum esse *ut* pro *et.*

I, 7, 16 *quo nolim nostros te violasse deos.* In cdd. est *quod,* quo saepe errore peccatum, nec minus *eviolasse.* Et hoc quidem quin sit ne flocci quidem faciendum nemo dubitat; male tamen se habet quod plerique recipiendum duxerunt *evoluisse,* primum quod longius abest a scriptura tradita deinde quia Propertius diaeresi in verbis volvendi et solvendi non utitur. Quod cum ita sit, restituendum mutatione lenissima id quod supra posuimus. Illud *te*

violasse iam aliis repertum. *Nostri* autem *dei* sunt Amor et Venus, ut alibi ap. Prop. *Nolim violasse* ut infra [V, 3, 70] *hac ego te sola lege redisse velim.*

I, 8, 7 *pruinas* Itali, *ruinas* NG; idem vitium ap. Nonium 72, 10.

ib. 13, 14 post 16 collocavit Scaliger.

ib. 19 *ut te felici praevecta Ceraunia remo accipiat placidis Oricos aequoribus.* Illud *praevecta* cum nulla ratione latini sermonis stare possit, Lachmannus scripsit *vites* pro *ut te,* apte sane per se; nec tamen verba illa habent cur ea removeri velimus; immo *ut* consecutivum quanto melius conveniat orationi quam asyndeton facile perspicitur; praeterea *te* ad illud *accipiat* melius additur quam suppletur. Denique vehementer displicet participium praeteriti adhibitum pro praesentis. Quare videndum an similius sit veri propiusque distet a librorum scriptura id quod est *post lecta* (nempe *p'lecta* pro *p̄uecta*).

ib. 22 *vera* Passeratius, hoc est *veri cum questu signa edam amoris, verba* cdd.; idem vitium IIII, 24, 12; *fida* pro *vita* Lachmannus.

ib. 25 *Autariis* Itali, *Atraciis* N.

ib. 26 *Hylleis* ed. Rovilliana, Muretus; *hyleis* G, *hileis* N.

I, 8b. Haec a prioribus primus separavit Lipsius.

I, 9, 4 *quovis* Itali, *quaevis* NG.

ib. 34 *dicere quo pereas, saepe in amore levat.* Ita cdd., satis ieiune; nam priore loco pro puella amata, posteriore pro sensu amoris accipias necesse erit illud *amore:* rectius Dousa filius *qua.*

I, 10, 11 *concredere* Beroaldus, libri *concedere.* Dubito aliquando num sit dignum verbum hoc Propertio: nec tamen dissimulandum idem etiam corruptum apud Cat. 64, 213 ubi est in membranis *cum crederet.* Cf. et quae notavimus ad Tib. IIII, 1, 204.

ib. 19 *Cynthia me docuit semper quaecumque petenda quaeque cavenda forent: non nihil egit amor.* Illud *quaecumque* languidissimum est, mihi quidem ut videtur.

Praeterea tota haec descriptio [v. 15—30] vertitur in eo ut dicat Propertius se proprio amore edoctum etiam *aliis* simili ardore correptis didicisse consulere. Itaque reponendum *quae cuique*. Similiter peccatum in Priap. 68, 31.

I, 11, 1 *ecquid*, fortasse *ecqui;* nempe *d* ex proxima littera videtur provenisse; ib. *Bais* N, quod reduxi.

ib. 3 *te Protei* Parrhasius, *Thesproti* cdd.

ib. 5 *aducere* G, *adducere* N.

ib. 10 *cymba;* ita semper cdd. Propertiani, numquam *cumba,* etsi saepe alibi ita reperitur scriptum; contra in isdem ubique *murra* — praeter III, 19, 16, ubi tamen est nomen proprium —, et *murreus.*

ib. 18 *veretur* Lchm., *timetur* quod ex v. 20 videtur irrepsisse cdd.

ib. 21 *a* Lachmannus, *an* libri. Hae perpetuo interse mixtae et confusae voculae.

I, 12, 2 *Cynthia* Itali, *conscia* cdd. Ita prioris elegiae v. 1 in G pro *Cynthia* habes *littora;* II, 7, 11 in N *tibia,* ubi sane statim sequitur idem vocabulum. — ib. *amore* Hertzb., cuius videnda adnotatio; *Roma* libri.

ib. 19 *desistere* Puccius, *dissistere* N, *discedere* G, v.

I, 13, 13 *Malus* cur *rumor* non potuerit dici a Propertio h. l. post ea quae vv. 7. 8 memoraverat, equidem non intellego. Hauptius pro *malo* dedit *aio,* qua Propertius non magis quam Tibullus forma utitur. Idem nihil ex eo verbo adhibuere nisi id quod est *ait,* excepto quod apud Sextum ex communis vitae usu petita feruntur haec *quod aiunt, ut aiunt.* Praeterea in l. V, qui maioris est spiritus, legitur 2, 7 *et aiunt.* Ceterum addendo illo *ego* saepe mirum in modum liberales elegiaci.

ib. 24 *ab* Scaliger, *in* cdd.; cf. quae notavimus ad Tib. III, 3, 38; *iugis* idem, *rogis* Schraderus.

ib. 29 *dignae* N. Heinsius, *digna et* cdd.

ib. 35. Recte sensus distinxit Lchm.

ib. 36 *quotcumque* Dousa pater, *quodcumque* G, *quocumque* N.

I, 14, 5 *unde* Lchm., *omne* cdd.

ib. 24 *regna aut.* Vulgo scribunt ex G *regna nec.* At

in Neap. Menteliano aliis libris multis habetur *vel;* unde lenissima mutatione usi effecimus id quod supra dedimus. Nempe in arch. exciderat *a* propter praecedentem vocalem eandem; mox quod restabat *ut* librariorum stupore pro nota eius quod est *vel* acceptum. Similiter turbatum IIII, 21, 25.

I, 15, 12. Illud *multa* post positum priore v. *multos* valde displicet; fortasse *vana*, quae firmatur coniectura disticho sequente.

ib. 15, 16. Post v. 20 inseruit Marklandus.

I, 16, 11, 12 *nec tamen illa suae revocatur parcere famae turpior et saecli vivere luxuria.* In his pentametrum, nisi corruptelam traxit, uno tantum modo explicari licet, ut ab eo quod est parcere per zeugma pendeat et dativus substantivi et infinitivus verbi. Haec interpretatio quin possit adhiberi salva Latinitate nemo dubitabit; cf. e. g. Prop. IIII, 18, 11, 12. V, 2, 53, 54. 9, 39—41. Hor. c. I 1, 19—21. II, 16, 37—40. Minus certum illud an digna sit Propertii elegantia. Quod sicui videbitur aliter se habere, scribendum erit quod Hauptius quaest. crit. pg. 50 proposuit *it* pro *et*. Ceterum illud distichon spurium indicavit Lachmannus in ed. priore, mox in finem reiciendum putavit, utrumque mihi ut videtur sine causa. Immo concinnitas evertitur sententiarum, si alio quam qui initio [1—10] fuerat sensu carmen clauditur.

ib. 13. Suspecta lectio de mendo; nam *deflere* absolute positum legere me non memini, nisi apud poetas haud sane inelegantes, nimis tamen seros puta Avianum 1, 1 et qui scripsit tragoediam de Oresta 860. Nec tamen magis placent coniecturae doctorum, quas videre est ap. Hertzbergium.

ib. 14 *a* interiectionem esse recte, ni fallor, monuit Hertzb., quamquam et praepositioni locus.

ib. 32 *surget et invitis spiritus in lacrimis.* Vulgo *et* accipiunt propria significatione, sed positum est pro *etiam;* ita fortior evadit oratio. Naso in remediis amoris [268] *longus et invito pectore sedit amor.*

ib. 37, 38 *te non ulla meae laesit petulantia linguae, quae solet irato dicere tota loco. Ingrato* verissime Heinsius; sed male idem *torva* pro *tota*, quod nimis longe abest a scriptura vetere, neque ad sententiam aptum. Melius erat quod Hauptio placuit *taetra,* nisi Propertius cum Tibullo et plerisque poetarum Latinorum abstineret ab hoc adiectivo plane sicut nostrorum plurimi ab eo quod est *scheusslich.* Ceterorum commenta adferre non est tanti. Rescribe duabus potissimum mutatis litterulis: quae solet ingrato *figere theta* loco. Ita Persius 4, 13 *et potis es nigrum vitiis praefigere theta.* Et alius: *o multum ante alias infelix littera theta.* Conferenda etiam quae notavit ad Persii versum scholiasta quaeque Iahnius.

ib. 48 *alterna* Marklandus, *aeterna* cdd., quo admisso ineptissime ταὐτολογεῖ oratio. Vix enim monendum id quod praecedit *semper* pertinere ad verbum *differor.* Idem plane vitium observatur in Cat. 109, 6.

I, 17, 3 *salvam* ego, *solidam* Wyttenbachius, *solito* cdd.; *Cassiopes statio* Lachmannus. Eos qui putarunt servata lectione tradita ex proximo versu supplendum illud *littore,* fugit neque eandem in pentametro dici oram quam in hexametro, et ineptum esse antitheton quod contineatur his quae sunt *solito* — *ingrato.*

I, 18, 13 *calore* G, *colore* N.

ib. 21. 22 *teneras* — *vestris, vestras* — *teneris* Schraderus, fort. recte.

ib. 23. Illud *an* non minus sensu caret quam quod 11, 21 expulit Lachmannus. Rescribe una eaque initiali litterula inversa *en;* mox *quod* ut I, 13, 36; V, 3, 36 accipiendum pro *quot.*

ib. 27 *dumosi montes* N. Heinsius, *divini fontes* v.

I, 20, 7 *huic* docti, *hunc* cdd.

ib. 11 *cupidis* — *rapinis* G.

ib. 17 *Pagasae* reduxi (vulgo *Pagases*); nam in G N est *pegase.* Porro *Argon* idem libri, quod immerito sprevere docti. Cf. quae dicta sunt ad Priap. 68, 23.

ib. 49 *responset: at* Hauptius; *responsa sed* cdd.

I, 22, 6. Secuti sumus Lachmannum. Pro eo quod est *sic* cdd. habent *sit.*

II, 1, 5 *coccis* Lachmannus, *cogis* N G. Idem vv. 5—10 inverso collocavit ordine.

ib. 30. Reduxi *Ptolomaeei*, nisi rectius scribetur *Ptolomaei*, in N est *ptolomenei*, in G *pheolomēi.* Cf. ann. philol. a. 1868 pg. 750 sqq.

ib. 31 *aut canerem* † *cyptum et Nilum.* Hic primum pro *aut* restituendum *et* (ut Schradero visum emend. pg. 115); deinde verum vidisse existimo Baehrensium, qui una libri optimi litterula mutata (nam N habet *cyptum,* G *cyprum*) reposuit *Coptum*, apte recordatus Statii illud [Theb. I, 264 sq.] *melius votis Mareotica fumat Coptos et aerisoni lugentia flumina Nili;* ubi scholiasta *Coptos civitas Mareotica Aegypti, in qua Io versa in Isidem colitur: cuius sacris sistro celebratis Nilus exaestuat.* Cf. et Strab. XVI, 781; XVII, 815. — Ib. in arch. erat scriptum *com tractus*, pro quo habet G *contractus*, N graviore interpolatione *cum attractus.*

ib. 45 *nos contra angusto versantes proelia lecto.* Debet Propertius id memorare quod proprium sibi enumerare soleat; hoc autem ex scriptura tradita elici posse nullis umquam ratiunculis efficietur. Nam proelia simpliciter dicta non minus vel etiam magis militum sunt quam amatorum. Repone una mutata litterula *versantis.* Dicit se referre pugnas amantium quales vv. 13. 14 indicavit. Ita infra [V, 3, 11] *vertentes* habet N pro *vertentis.*

ib. 51. Illud *sunt* recte ex optimo libro revocarunt Lachm. ed. priore et Hertzb.; v. *sint.*

ib. 54. *Iolciacis* Scaliger, *Colchiacis* cdd.

ib. 63 *Haemonii* Heinsius; cf. Ov. am. II, 9, 7; *Haemonia* v.

ib. 66 *Tantaleae* Beroaldus, *Tantalea* cdd.

ib. 67 *umbris* Baehrensius; cf. v. seq.; *urnis* inepte cdd.

ib. 73 *pars* G, *spes* N, ut ap. Ov. met. IIII, 795. VIIII, 10.

II, 2, 4 *ignoro, vel sco* suprascr. m. 1 N. — ib. *furta; fata* N. — Ib. 7 *Munychias* Itali, *Dulichias* N G.

ib. 11. *Mercurioque* Aldus, *Mercurio* cdd. Haesit id vitium ex scriptura quadrata. — ib. *Sais* Domitius Calderinus, *satis* N G.

II, 3, 19 *Aeolio;* vix credo Cynthiam ut Horatium Aeolio carmine ad Italos modos deducendo famam quaesisse; scribendum *Aonio,* ut supra [I, 2, 27, 8]: *cum tibi praesertim Phoebus sua carmina donet Aoniamque libens Calliopea lyram.* Eadem varietas ap. Ov. am. II, 18, 26; her. 15, 200.

ib. 23 *non* N, *num* minus recte G.

ib. 24 *candidus* Macrobius gr. lat. V, 626 et ex eo auctor exc. Bobiensium ib. 651; *ardidus* N, *arduus* G. — ibid. *augustae* Macrobius cum excerptore, unde *augustum* Pontanus; cf. Lchm. ad h. v. — ib. *sternuit* cdd. grammaticorum, quos modo memoravi, cum N, *stertuit* G.

ib. 29—32. Cf. Keil. obs. crit. in Prop. pg. 40.

ib. 33 *ñ* sed supra add. m. 1 *c* est in N; *non* G. — ib. *flagrat* Keilius, *flagret* v.

ib. 42 *arte* Itali, *ante* N G.

ib. 45 *ei* Lachm., *aut* libri; alii *a,* puto rectius.

ib. 48 *arma* Itali, fortasse vere; cf. Ov. am. I, 2, 16.

II, 5, 3 *mi* non G modo, etiam N, sed male (in arch. fuit $\overset{i}{m}$).

II, 6, 20 *durae; dure* G ut affirmant Burm. et in ed. poster. Lchm.; cf. V, 4, 54; *duro* N; fortasse *crudo.*

ib. 41 *diducet* Lchm., *me ducet* N G.

II, 7, 13 *Parthis* Ruhnkenius, *patriis* cdd. — ib. male edunt *gnatos* ex N; recipiendum quod in G et ed. Reg. habetur *natos.* Etenim non magis quam Tibullus aut Vergilius praeter aeneida Prop. dixit gnatum pro nato. Nam in V, 1, 43 N G exhibent *in nati,* quod reduximus. Saepius librariorum dolo illud *gnatus* repositum pro *natus* ut ap. Cat. 64, 298 et passim in tragoediis Senecae.

ib. 15 †*vera,* fortasse *sera;* nam et eodem modo pridem Senecae Tragici locum quendam [H. Oet. 1030] sanavimus.

II, 8, 7, 8 post 10 collocavit Scaliger.

ib. 11 *vae* pro *vel* Lchm., non recte; videnda quae dicentur ad V, 4, 68.

ib. 13—16. Cf. Keil. observ. cr. pg. 43.

ib. 13 *tam* G, *iam* N.

ib. 14 *qum* scripsi, *quin* N, *qui* v.; ita IIII, 13, 64 *equm* idem liber.

II, 8 b. Novam elegiam his contineri Lchm. in ed. priore significavit.

ib. 21 *Antigonae;* vulgo contra libros scribunt *Antigones;* et similiter aliis locis. Mihi in nominibus iam inde ab Ennii et reliquorum tragicorum tempore populariter habitis apud Romanos quaeque Propertius ipse in aliis casibus haud dubie ad latinam saepius inflexit normam tutius visum servare codicum fidem, qua velut fundamento posset niti, qui retractaturus esset aliquando poetarum latinorum in nominibus graecis declinandis placita.

ib. 24 *nollet inire* scripsi; *noluit ire* v.

ib. 30 *in thecis* Guietus, *in tectis* v., quam non capio lectionem quomodo potuerit tutari Lachmannus Il. XXIIII, 471.

ib. 31 *fuga stratos* Passeratius, *fugas tractos* N, *fuga tractos* G.

ib. 38 *fortem illum Haemoniis Hectora traxit equis. Illum,* quod alienis prorsus exemplis tuetur Hertzbergius, omnino indignum Propertio. Non male Kootenius in comm. ad Hom. Lat. pg. 15 *ille,* sed propius abest a scriptura tradita meliusque habet ad sententiam *idem.* Ita III, 23, 5 habet N *idem* (lineola transfixum) pro *illam,* quod prima manu additum.

II, 9, 9 *Achillen* recte docti ut *Vlixen* v. 7; *Achillē* N.

ib. 13. Fortasse *ad functi corpus Achivi,* cui nempe belli iure cesserat.

III, 10, 2 *Haemonio equo* nullus hic locus exultandi; cf. v. 5. 6. 11. 23. 24; *Aonio* Heinsius, bene quidem, sed poterat minore mutatione scribi *Emathio.* Ita ap. Ov. met. V, 669 Pierides quae cum Musis venere in contentionem unde his postea nomen inditum dicuntur Emathides. Cf. et apud eundem quae leg. vv. 302 sqq. quaeque

dixit Deitersius in libello de Musis Bonnae 1868 edito pg. 24.

ib. 23 *carmen* cdd., corr. Heinsius.

ib. 26 *etiam* v., quod omni vacat sensu. Repone *etenim* qua particula usus Prop. II, 7, 17; eadem et in melicis Horatii invenitur.

III, 12, 15 *heu* Muretus, *e* cdd.

ib. 17 *quid tibi iocundumst siccis habitare medullis? si puer est, alio traice vela tua.* Hic ante omnia reponendum *qui*. Porro pro codicis optimi scriptura *si puer est*, quae et in ed. Reg. habetur, scripsere plerique Groninganum librum secuti *si pudor est*, interpolatione aperta. Nam nisi antiquitus traditum fuisset illud *puer*, vix ac ne vix quidem in N pro *tela* scriptum esset *puella*. Apparet etiam cur mutaretur illud *si puer est*, at non perinde, cur alterum. Iam etsi frequentissime invenitur quasi formula quadam *si pudor est*, hoc tamen loco priorem v. respicienti non erit dubium quin Propertio, si apte vellet loqui, potius fuerit dicendum *si sapis*. Itaque perbene et minima mutatione Baehrensius *i, puer, en! alio traice tela tua;* nam *s* ex priore v. adhaesit, *en* et *est* eodem compendio exarantur. Ipse autem casus vocativus orationi quae antea tali carebat perquam aptus.

III, 13, 35 *horrida, arida* Itali.

ib. 38 *florent* docti, *fuerant* cdd.

ib. 47 *cui* Livineius, *si* Itali, *quis tam* cdd.; *cui si tam longae* Santenius.

ib. 49 *non ille Antilochi vidisset corpus humari.* Suspectum fraudis pronomen, cum absit ab N neque causa defectus appareat. Repone illud *aut*, quod quam facile potuerit absorberi sequente *ant* nemo non videt.

ib. 53 *Adonem* GN Reg., quod reduxi; cf. d. r. m. pg. 109; Probus gr. lat. IIII, 121.

ib. 55 *illic formosum vocitasse paludibus; illic* Itali, *illis* NG; idem libri *iacuisse;* quod inepte pariter ac languide dici Lachmanno plane adsentior, etsi coniecturae eius, qua tollere studuit vitium, vix quisquam subscribet. Scribendum id quod est *vocitasse* v. 57 videtur firmari.

ib. 58 *qui* pro *quid* N; idem vitium V, 1, 86.

III, 14, 1 *est* om. Reg. et Charis. pg. 51.

III, 15, 49. Hic variis interpolationibus saevitum; nam antiquitus fuit traditum *dum licet;* pro quo est in N *dum lucet,* interpolatione ducta ex evang. Iohannis 9, 4, in G *dum liceat.* Ad sarciendum damnum addidere Itali *hunc;* tu vero reponas *o,* quam voculam cum nullius rei haberent pro arbitrio omisere librarii. Cf. quae dixi ad Cat. 1, 9. Ita III, 16, 13 *at tu nunc nostro, Venus, o succurre dolori.*

III, 16, 27 *excussis,* fortasse *ecce suis.*

ib. 35 *ah* Gr., Reg., *at* N. Illud verius iudice euphonia.

ib. 39. Melius utique sententiae convenire *insanus* quam *infamis* iam saec. XV Itali perspexere. Passim haec vocabula a librariis confundi notum.

ib. 52 *non haec Pleiades faciunt neque aquosus Orion, nec sic de nihilo fulminis ira cadit.* Neque *cadere iram* dicitur nisi de finita ira neque *fulminis ira* potest esse idem quod fulmen *iratum.* Praeterea languidissimum est repetitum post v. 50 hoc loco fulminis vocabulum. — Repone:

nec sic de nihilo *numinis* ira *calet.*

His iam optime respondent verbis quae leguntur statim: *periuras tunc ille solet punire puellas, deceptus quoniam flevit et ipse, deus.* Nempe Iuppiter v. 52 indicatur.

III, 17, 4 *stratus* Keilius obs. cr. pg. 30, *fractus* v.

III, 18, 5, 6 *quid mea si canis aetas canesceret* (*candesceret* Heinsius) *annis et faceret scissas languida ruga genas.* Mirum hanc lectionem quae optimo libro tradita prorsus convenit cum usu loquendi solito Propertio habitam pro interpolata, cum potius illa quae in G extat foedissimum emblema referat: *quid si iam canis aetas mea candeat annis et faciat* e. q. s., ortum ex eo quod habent libri sat multi *caneret.* Ceterum videnda quae dixi ad Cat. 64, 13, 14.

ib. 30 *sat es* Heinsius, *satis* libri. Cf. Cat. 23, 27.

III, 20, 8 *lacrimae* Burmannus maior, *lacrimas* NG. Hoc servato Lachm. in priore v. scripsit *Niobe — superne;* sed tam vetusto tamque bono scriptori non convenit verbum defluendi cum accusativo iunctum.

III, 21, 7 *sermo's* scripsi, ne bis in contiguis syllabis elisio longae fieret; *sermo es* v.

ib. 12 *eiectae* Ruhnkenius, qui et *locum* voluit pro *domum; eiecta est* NG.

III, 22, 14 *curae* Huschkius, *quare* cdd. Mirum potuisse Lachmanno placere lectionem vulgatam. Debuit certe esse *cur.* Huschkii inventum vel ideo probandum, ne quaxantem reddamus Propertium.

ib. 44 *quid iuvat et nullo ponere verba loco.* Illud *et* N, G, ed. Reg., *in* Puccius aperta interpolatione, itaque v. Repone *a!* Idem vitium tollendum ex catal. Maronis 3, 3, 4, ubi scribendum *tuone nunc puella talis, a!* (sive *heu*) *tuo stupore pressa rus abibit? ei mihi,* non quod Hauptio placuit *ei,* primum quia sequitur statim haec interiectio, deinde quia tersissimus quisque auctorum eadem non utitur nisi per formulam *ei mihi.*

ib. 50 *quem quae scire timet quaerere plura iubet.* Hunc v. quia abest ab N spurium indicat Heimreichius pg. 10, quippe sententia ut ait contorta longeque repetita: at nihil planius nihilque frequentius in simili condicione rerum. Idem negat pronomen relativum pro demonstrativo poni ap. Prop., sicut hic fit, immemor et aliorum locorum et eius quem habes IIII, 23, 21. Displicent eidem pronomina relativa duo quae se exciperent. Quid dicturus idem de Nasonis versiculo qui legitur in Trist. I, 1: *siquis qui quid agam forte requirat erit.* Excidit autem pentameter ob nullam aliam causam in N nisi quod sq. v. in eo incipit etiam a *qu;* nam habet scriptura valde frequenti *qui* pro *cui.*

III, 23, 22 *iuerint* Hertzbergius (*iurint* Heinsius), cf. Cat. 66, 18; *iuverint* N, *capiant* G.

ib. 24. Hunc v. recte ut puto ex priore ab interpolatore confictum dixit Fischerus in dissert. de locis quibusdam Propertianis Bonnae 1863 edita pg. 31.

III, 24, 4 *haut* — *ingenuis* — *haut* scr. Hauptius, libri *aut* — *ingenuus* — *aut.*

ib. 22. Post haec verba unum aut alterum distichon excidisse oratione aperte hiante conprobatur.

ib. 27 *tetra* cdd. praeter Mentelianum in quo est *terra;* quod correxi. Ita supra [17, 14] *sumere et in nostras trita venena manus;* ubi etiam in Hamburgensi libro et in Puccii excerptis *taetra.* Ita ap. Lygd. III, 5, 10 pro illo *trita venena* in plerisque libris invenitur *certa.* Cf. quae notavimus ad I, 15, 38 et quae diximus nuper ad Hor. c. III, 11, 19.

ib. 36. 37 *eheu* — *eheu* N, quod reduxi.

ib. 46. Imitatur Propertius Lygdamum III, 6, 39, 40.

ib. 51 *ni* Lachmannus, *hi* cdd.

III, 25, 9 *deducet; diducet* Itali.

ib. 14 *Caukaseas* N.

ib. 17. Suspectum illud *teritur*, quod nescio an irrepserit e v. 15. — ib. *molimine* Davisius, *sub limine* cdd. — ib. *amator* Heinsius, *amor qui* N G. Illud *qui* sine dubio a correctoribus venit explendo versu, cum a Prop. arte metri sit alienum; unde in Groningano libro, si Lachmanno in sec. ed. fides, pentametri initio adscriptum est.

ib. 42 *fuscam* scripsi, *fuscas* Marklandus, *fusco* sine sensu cdd.

III, 26, 8 *teque* Hertzb., quod sane ad sententiam aptius videtur.

ib. 10; III, 28, 20 *Leucothoe* — *Leucothoen.* Ita verissime scripti libri cum quibusdam impressis. *Leucothoes* nomen ut *Cymothoes*, *Hippothoes* Nereidum. Barbare plerique intolerabili plane sono edidere *Leucothee Leucotheen.* Nam poetae Latini non potuere dicere nisi aut *Leucothoen* aut *Leucotheam.* Ceterum videnda Hertzbergii docta disputatio, cui in praesens nihil addo nisi etiam in Ov. met. IIII, 542 utrumque librum Florentinum praebere id quod est *Leucothoe.*

ib. 11, 12. Hoc distichon recte post v. 19 traiecit Baehrensius; ineptum enim est Propertium parato iam

delphini subsidio velle auxiliari Cynthiae nisi novo addito terrore.

ib. 23 *iam Gygae* Schraderus, *Cambysae* cdd.

ib. 39. Illud *littora* ex v. praecedente irrepsit. — Ib. *Argus,* cdd. *Argo;* idem vitium in Priap. 67, 1.

ib. 51 *Borean* Lachmannus in ed. pr., *Boream* v.

ib. 54 *vacans* Hauptius, *vorans* NG.

III, 27, 7. 9. Hic primum restituendum duce optimo libro qui habet *rursus et obiectum fletus caput esse tumultum* illud *fletis caput esse tumultu,* ut *tumultu* sit dativus sicut supra *manu* [I, 11, 12. II, 1, 66] — neque umquam longiore forma usus Prop. —. Vulgo scribunt elisione sat dura *fletis capiti esse tumultum.* Iam etiam magis quam antea apparet corruptum esse v. 9 illud *domibusque.* In quo Lachmannus ob nullam causam offensus nisi quod anaphora (nam proxima praecessit *domibus*) ei videretur languida scripsit *dominisque.* Sed liquet verbum timendi desiderari, quod vocabulo *domibus* male repetito sit haustum. Quis enim ut personarum mutationem inportunam omittam, dixit umquam flere alicui aliquid? Repone ocius:

praeterea domibus flammam *metuisque* ruinas.

III, 28, 2. Post hunc v. addendos 33, 34 recte statuit Passeratius.

ib. 10 *per* Lachmannus, *prae* cdd.

ib. 19 *Thebis — fugata est* docti, *terris — vagata est* v.

ib. 51 *Iope* N, *Iole* G, *Alope* Vngerus an. Pr. pg. 17.

ib. 54. *Thebae* (debebat esse *Thebe*) Scaliger, *Phoebi* libri. Praeter hoc vitium quid displiceat in scriptura vulgata non intellego. Apte enim in exemplo ponitur h. l. Thebarum urbs, qua nulla heroum aetate plures tulit feminas pulchritudine insignes, sicut in Asia Troia. Quae quod hic variato nomine indicatur, nihil habeo, cur offendar; cf. IIII, 1, 31—32 et quae dixi ad Hor. c. I, 15, 36.

III, 29, 7 *fuerunt* Heinsius, *fuerant* cdd.

ib. 9 *locavit; notavit* C. F. G. Muellerus m. Rh. 20, 473.

ib. 14 *foris* Dousa pater, *fores* cdd.

ib. 30 *en* scripsi, *o* Schraderus, *heu* cdd.; cf. V, 1, 40.

ib. 41 *custodi excludor* Heinsius, *custode reludor* N, *custode recludor* G.

III, 30, 20 *Eoa* docti, *nauta* Hertzbergius, *nota* cdd.

III, 32, 2 *lumina crimen habent* Heinsius, *crimina lumen habent* N., *c. l. habet* G.

ib. 5. Vulgo scribitur contra metrum *curve te in Herculeum deportant esseda Tibur;* N habet pro illis *curve te curva* (prius fuisse videtur *curvae*) *te,* G *cum vatem*, Reg. *cur vatem*. Rescribe *cur aut te.* Particulam hanc etiam alias traiecit Propertius, ut in illo: *diceret aut 'o mors cur mihi sera venis'?*

ib. 23 †*me laedit* N; fortasse *delatus;* nam archetypum h. l. minus fuisse planum demonstrat G, in quo est illud *pervenit*.

ib. 35 *palam* Hauptius, *Parim* cdd.

ib. 40 *Nanica* Vngerus anal. Prop. pg. 24.

ib. 47 *Latias* Schrader emend. pg. 138, cuius legenda adnotatio, *tacitos* N, *tatios* G.

ib. 50 *deripere* Burmannus, *deligere* v.

ib. 53 *at* Vulpius, *et* cdd.

ib. 54 *antiqui* Marklandus, ut 30, 28; V, 4, 2 *antiqui Iovis, antiquas* v.

ib. 61 *aequesque* scripsi, *aeques — Latina* Lachm.; cf. Stat. silv. III, 5, 45 sq.; cdd. *tuque es.*

III, 33, 21 *dolore's* scripsi, ut v. 14 Lachmannus *dea's;* libri hic ut ubique ap. Prop. habent plenum illud *es.* Sed talia iam a me silentio praetermittentur.

ib. 31 *tuque o,* ita GN, v. *tu quoque o* contra metrum; cf. librum nostrum pg. 307 et Prop. IIII, 10, 11. 19, 21. 21, 16.

III, 34, 7 *hospes in hospitium Menelao venit adulter.* Ita vulgata scriptura, belle sane, quasi hospes non posset venire in hospitium. Repone *Tros et;* huic respondet proximo v. positum *Colchis.*

ib. 14. Illud *modo* post praecedens *tantum* valde lan-

guet. Suspicor dedisse Propertium *mihi*. Dativus qui dicitur ethicus identidem ap. illum reperitur.

ib. 20 *nullo* Heinsius, *stulto* v.

ib. 21 *una tamen causa est cur crimina tanta remitto.*

d e a b

In N est *u. t. tanta remitto crimina causa est cur,* omissa per errorem *c* littera, quae supra *crimina* ponenda erat; cur autem scriptum est per abbreviationem, compendio eo, quo alias tantum correpta *ur* finalis exprimitur, quod tamen hic adhibitum ne nimis in marginem exspatiarentur litterae. In G, qui exhibet rectum verborum ordinem, legitur *qua* pro *cur*.

ib. 29. Codex N habet *erechti,* G *erethei;* unde de coniectura scripserunt *Erechthei,* sed pessime. Nam etsi Homerum cuius h. l. omnino debuit inici mentio Atheniensem fuisse Aristarchus et secuti eum scholastici plerique crediderunt, haec tamen opinio praeter ipsas Athenas numquam fuit vulgo recepta apud veteres; qui constanter Chium sive Smyrnaeum dixerunt vatem. Praeterea ut Propertius aliter statuerit quam omnes reliqui poetae latini; ineptissime tamen h. l. significatur simplici Atheniensis nomine Homerus, cum Athenas omnis generis poetis abundasse constet. Accedit quod non minus absurde Atheniensis vocabulum opponitur Socratis nomini quod praecessit, cum hic et ipse fuerit ex civitate eadem. Vix tamen opus coniectura, modo recte utare apicibus traditis; nam fluxit vitium ex scriptura quadrata. Repone ocius:

Aut quid *epe Chii* tibi prosunt carmina lecta.

Epos non solum in Horatii satiris, sed etiam in eroticis Ovidii reperitur. Pluralis *epe* (nec vero singulari hic erat locus) ut apud Maronem *cete,* apud Lucr. et Cat. *pelage,* apud plerosque *tempe*. Neque hercule qui norit Propertium aut in vocabulo graeco aut in graeca flexione haerebit. Vt hic *Chii* nomine Homerum ita alibi *Phthii viri* dixit Achillem. Ceterum ne languere putes illud *Chii carmina,* appositum esse animum attendas ad *epe,* ut alibi apud eundem *linguae studium Demosthenis arma,* vel *elegi*

fallax opus et apud Nasonem *inbelles elegi, genialis musa, volumina mutatae formae, ab exsequiis carmina rapta.* Sed pudet exemplorum.

Et iam vide mihi, quanta cum concinnitate procedant sententiae; nam *sapientiae* respondent *epe, Socraticis libris Chii carmina.*

ib. 31 *tu satius memorem lusus imitere Philetan. Lusus* Eldikius, *Musis* quod e praecedente *m* labem traxit cdd. Ingeniosos fuisse qui scriberent de coniectura *Latiis Meropem* non nego; vera aut verisimilia protulisse eosdem numquam concedam. Ac primum quidem nihili est quod dicit Schraderus emend. pg. 141 *satius* non posse tolerari, quia apud optimos scriptores non soleat esse adverbium. Nam et hoc l. est adiectivum omisso *est* ut III, 12, 19. Neque coniunctivus positus sine *ut* plus habet offensionis, quam ap. Ov. am. II, 14, 44 *et satis est poenam culpa secunda ferat.* Apparet autem debuisse in v. illo adesse vocabulum, quod responderet eis quae proxime leguntur *non inflati somnia Callimachi.* Praeterea videnda quae attulit Vngerus anal. Prop. pgg. 38. 39.

ib. 34 *tactus* Heinsius, *factus* N G, *fractus* v. contra usum eroticorum; cf. e. gr. Prop. I, 1, 2. 9, 17; IIII, 7, 68; Ov. am. II, 1, 6.

ib. 39, 40. Codd. sinceri habent sine metro *non amphiareae* (*amphiareyae* N) *prosint* (vel *prosunt*) *tibi fata quadrigae.* In proximo autem v. illud *magno* om. G et Reg. Sed praeter optimum librum ipse hoc vocabulum tutatur Propertius; cf. III, 32, 60. Iam Lachmannus scripsit *non magna Amphiaraeae prosunt tibi fata quadrigae aut Capanei grata ruina Iovi,* durissimo metro ac vix ullo; certe similis huius hexameter ap. Prop. non invenitur. Alii quo mollirent numeros, posuere *n. m. A. tibi fata quadrigae prosint* pentametro sat elumbi et exempli certe rari hexametro. Constat sane peritis aliquando versus Propertii traiectis vocabulis esse sanandos; quare nec ipsi veremur eo uti remedio, adhibendo tamen lenius quam a prioribus factum. Reponendum

non tibi quadrigae prosint fata Amphiareae;

ita enim melius fluet versus, quam si scripseris *n. p. t. q. f. A.* Formam autem quae est *Amphiareus* suo debet Euphorioni Pr., apud quem legitur Αὐλίς τ' Ὠρωπός τε καὶ Ἀμφιάρεια λοετρά; cf. et Meinekii anal. Alex. pg. 109.

ib. 43 *incudere* Conr. Diltheius, vir doctissimus, in libello de Callimachi Cydippa, quem a. 1863 edidit, pg. 19; recte ut videtur; *includere* cdd.

ib. 47—50. Traieci post 54.

ib. 53 De hoc v. dictum pg. VI.

ib. 83. 84. Haec nondum cuiquam expedire contigit. Illa quae sunt *minor ore canorus* omittit N, in quo legitur ut in plerisque libris *sim.*

IIII, 1, 19 *date vestro* N, *vestro date* G.

ib. 23 *omnia* G, *famae* N; idem *vetustae.* Latet aliquid.

IIII, 2, 1 *delinisse*, quod potius erat scribendum *delenisse* Ayrmannus, *detinuisse* v., quod irrepsit e v. 2.

ib. 15 *es* Itali, *est* NG.

IIII, 3, 2 Neapolitanum librum secutus, in quo est *elloforontei* scripsi *Bellorophontei*, quamquam vix credo illud dedisse Propertium. Cet. cf. quae notavit Fleckeisenus ann. phil. a. 1866 pg. 8.

ib. 5 *parvaque;* ita inepte cdd.; quasi ebibere conatus sit Hippocrenen Prop.; reponendum *pronaque:* praeterea fortasse illud *iam* pro *tam.* Cet. conferenda quae notavimus ad Tib. IIII, 1, 196.

ib. 17 *hinc* Fruterius, *hic* v.

ib. 29 *orgia* Heinsius, *ergo* cdd. — ib. *mystarum*, quod potius per *u* erat scribendum, Vngerus anal. Prop. pg. 52, *Musarum* cdd.

IIII, 4, 4 *sua* Broukhusius, *tua* cdd.

IIII, 5, 39. Videnda quae monuimus pg. VI.

IIII, 6, 13 *at* G, *ac* N.

IIII, 6, 22 *aequalem* v., *et qualem* N; ib. scripsi *multa; nulla* G, *nullo* N. Cf. quae notavi ad Tibulli I, 3, 50.

ib. 41. Optimus liber *quod nisi et tanto;* in G per interpolationem legitur *quod mihi si tanto.* Lachmannus de coniectura scripsit *quod mihi si e. t.*, apte sane, ac tamen

non apparet, cur *mihi* potius dixerit Propertius quam *nobis*, quoniam de mutuis inter ipsum et Cynthiam quae exercitae erant agitur simultatibus. Quare tutius reponetur, quod et propius abest a litteris traditis *quodsin e tanto;* nam fuerat sine dubio in arch. *si* suprascripta *n*. De illo *quodsin* diximus libri nostri pg. 398. Ita habes *atquin* in vv. ab Hageno editis philol. XXVIII, 340.

IIII, 7, 1 *vitae* N, quod reduxi; *vitae es* v.

ib. 22 *quae* Itali, *qua* NG. — ib. *Athamantiadae* Hertzb., *minantis aquae* cdd.

ib. 25—28. Post 70 collocavit Scaliger.

ib. 42 *soliti* Itali, *soli* NG; sed verius erit, ni fallor, *solum*.

ib. 46 *flare* Iacobus, *flere* cdd.; idem vitium IIII, 3, 42.

ib. 49 *thyio* Hertzb., *chio* N G.

ib. 61 *adfligar* N, *affigar* G, idque verius. Maro aen. I, 45 *scopuloque infixit acuto*.

ib. 25 *posita est — vita* N, *positaque* G.

IIII, 8, 25—26. Nihil in his versibus inest quod indignum sit Propertio. Sed apparet ante eos excidisse quae qualia fuerint poteris fere ex Tibulli versibus qui sunt II, 6, 11—20 coniectare.

ib. 37 *tendisti* cdd. Prop., *nexisti* Diom. pg. 366, Prisc. 861.

IIII, 9, 7 *omnia rerum;* cf. Cat. 66, 9; Ov. met. IIII, 631.

ib. 14 *Myos* Itali, *muros* N, *miros* G, *myros* Reg.; videtur fuisse antiquitus *Muos*.

ib. 25 *hastas* Marklandus, *hostes* cdd., alii *astus*.

ib. 35. Omittit h. v. N; suspectat Heimreichius pg. 11; nec tamen quod scrupulum iniciat adest nisi trochaice positum id quod est *findo;* quamquam licuisse Propertio eo uti ex libro nostro [pg. 337] sat apparet. Potuit quidem hic versus excidere in N propter simile initium v. 37; quibus spurius videbitur, illi haud inepte dicent ex IIII, 4, 2 fictum.

ib. 44 *dure poeta* N G ex III, 34, 44.

ib. 36 *tuta* G, *tota* N.

ib. 48 *oromodunta* N, *oromedonta* G, *Eurymedonta* Huschkius. Cf. Hertzb. quae notavit ad h. l.

IIII, 10, 17, 18. Hoc distichon cum absit ab N suspectat Heimrichius pg. 12, sed eis ratiunculis, quas hercule non est operae refellere. Scilicet versus illi ob nullam aliam causam exulant ab optimo libro quam ob praecedentis distichi exitum parem.

IIII, 11, 31 *coniugii* docti, *coniugis* v.

ib. 58. Abest ab N.

ib. 60. Post hunc v. hiare orationem et sensu inepto defectuque verbi finiti et ea re quod statim recurrit illud *monimenta* fit probabile.

ib. 65 *condiderunt* Livineius, *condiderant* cdd.

ib. 68 *Bospore; Bosphore* NG, idque fortasse rectius; cf. quae notarunt Fleckeisenus ann. phil. a. 1869 pg. 656 sqq. et Schmitzius m. rh. XXV, 163.

IIII, 12, 25 *manus* Fonteinius, *mons* cdd.; fortasse *Mars* scribendum; *capta* idem Fonteinius, *calpe* cdd., v.

ib. 27 *Circae* N, Reg., idque verius iudice euphonia, *Circes* v.

ib. 29 *veribus* liber optimus, quod reduxi; *verubus* v.

IIII, 13, 9 *haec etiam clausas expugnant arma pudicas.* Suspecta lectio de mendo: nam si pudicae puellae, cur clausae? si non pudicae, omnibus, ut ait Ovidius, exclusis intus adulter erit. Ideo extitere qui putarent pro *pudicas* scribendum *puellas;* non recte; nam de eis quae sponte peccant toto hoc loco agitur. Itaque corruptum est illud *clausas;* cui opinioni firmandae accedit gravissimum codicis Neapolitani testimonium: nam in eo supra *clausas* litteris ob angustias spatii minoribus sed eadem manu eodemque atramento quo cetera exaratis legitur *nifeas*, ut appareat hoc vel simile in archetypo fuisse scriptum — quis enim talia addet per interpolationem? — alterum profectum cupidine monstrum illud verbi quoquo modo emendandi. Repone *nymphas* ut est in epistula Penelopae v. 27: *grata ferunt nymphae pro salvis dona maritis.* Et videtur Propertii locum de quo agitur respexisse

Ovidius. Nimis enim longe abest illud *nuptas* a scriptura tradita.

ib. 10. Male Puccius *haecque*, quae forma damnatur iudice euphonia. — ib. *gerunt* Guietus, *terunt* cdd.

ib. 35. Vitanda diphthongo quae videbatur librariis *ei* in archetypo erat scriptum *hinuli;* unde per interpolationem orta *atque hinuli*, *atque humilis*, sim. Recte docti *hinulei*. — ib. *stratos* Baehrensius, *totos* cdd.

ib. 59 *vanus* Itali, *verus* N G.

IIII, 15, 17 *habitare*, immo *latitare*, ut restituendum Manilio I, 75 illud *tumque in desertis latitabat montibus aurum*.

IIII, 16, 19 *puro* Fischerus in libello, quem memoravi ad III, 23, 24, pg. 3; *parvo* v.

ib. 20 *ecce suis* idem pg. 4, *exclusis* v.

IIII, 18, 32 *hoc* Lachmannus, *huic* cdd.; *suae* idem (ita iam alii), *tuae* v.

IIII, 19, 10 *rabidae* Itali, *rapidae* v.

ib. 19 *Mycenes* Heinsius, fortasse recte.

ib. 22 *tondes* Keilius obs. cr. pg. 38, *tondens* cdd.

IIII, 20, 4 *tantine* docti, *tantisne* G N; ib. *ut lacrimes* Heinsius, *in lacrimis* N, om. *in* G.

ib. 5 *vera* Lachm., *verba* cdd.

ib. 13. 14 ante 11 posuit Scaliger.

IIII, 21, 3 *spectanti* docti, *spectandi* N, *spectando* G.

ib. 6 *iste* Hauptius, *ipse* N G. — ib. *negarit* N, *negavit* G, fortasse rectius.

ib. 11 *navim* G, *navem* N.

ib. 25. 26. Mirum sane hos versus a nonnullis haberi aut subditicios aut certe gravius affectos. Ac primum quod verissime monuerunt quidam illud *vel* hoc loco tolerari non posse, non erit opinor ultimae audaciae pro compendio eius *ut* reponere ipsum *aut*, cuius prima littera praecedente *ic* hausta est. Mox *stadiis* optime Broukhusius; in libris est *studiis* ex v. 27 illatum. Idem vitium in vita Antonini Philosophi cap. 26.

ib. 28 *librorumque tuos docte Menandre sales.* Vt omittam ineptam quam statuere quidam hoc loco esse

enallagen (nam et prorsus abundat vox *librorum*): quis umquam dixit Latine *persequi sales?* Repone *libaboque*. Neque ea iusto audacior coniectura; nam si errore facili scriptum erat *liboque,* facillime librarius aliquis in loco ubi de scriptoribus diversis agitur ad explendum metrum potuit substituere id quod fertur v. — ib. *docte* aperte illatum ex v. 26; nam ne solet quidem hoc epitheton addi poetis comicis, quippe quorum libri vitam magis quam doctrinam debent referre. Dedit Propertius, ni fallor, *scite.* Ita in inscr. reg. Neapol. 1137 *Menandri paucas vorti scitas fabulas.*

IIII, 22, 3 *e vite* Hauptius, *inventa* N G.

ib. 7 *Geryonis* libri, quod reduxi.

ib. 14 *Ortygia et* Hauptius, *origae* N; *sis* id., *si* cdd.

ib. 28 *fuit* G N, *fluit* docti, al. *furit.*

ib. 36 *arboreasque cruces Sinis et non hospita Grais* (ita N) *saxa et curvatas in sua fata trabes.* Ad haec verba explicanda quidam ex prioribus huc traxerunt illud *curvare;* unde oritur *curvare curvatas trabes,* alii ellipsin statuentes suppleverunt omni eversa concinnitate orationis *habet* vel similia. Mihi videtur certum in referendis mythici temporis monstris quae fuerunt in Graecia ne potuisse quidem omitti omnino labores Herculis. Horum igitur pars excidit et fuit ut puto initio positum velut *quid loquar, quid referam?* Nam existimandus est genetivus *Sinis.*

IIII, 23, 11 *fuerint* N, G *fuerant,* al. *fuerunt.*

ib. 15 *dixti* Reg., *dixi* N, *dixit* G.

ib. 16 *parabit* Heinsius, *paravit* v.

ib. 17 *volens* Itali, *dolens* N G.

IIII, 24, 6. Aut fallor mirificum in modum aut excidit distichon, quod a particula *et* inciperet. Certe permirum foret, si Propertius unum tantum exemplum afferret in testimonium eius rei quod *mixtam saepe varia figura* laudavit Cynthiam.

ib. 20 *exciderunt* Itali, *exciderant* N G. Bre
erunt, quia grammaticis veteribus
umquam intactam reliquere medii

IIII, 25, 1. *Risus* recte a Burmanno et Hertzbergio accipitur pro substantivo ut apud eundem poetam [III, 24, 15] *sed me fallaci dominae iam pudet esse iocum.* Similia passim alibi.

ib. 13. Hic quod raro animadvertas Tibullum expressit Propertius isdem plane rythmis ac totidem verbis. Nam apud Albium haec sunt [I, 8, 45]:

tollere tum curast albos a stirpe capillos.

V, 1, 29 *Lygmon* N, R., *Licmon* G; cf. Od. Mueller de Etrusc. I, 363.

ib. 32. Post hunc v. aperte hiat oratio.

ib. 33. Hic veram scripturam, de qua multum dubitarunt docti, unice servavit liber optimus, in quo est: *quippe suburbanae parva minus urbe violae* (*Bovillae* Itali). Id enim volt Propertius, tum cum parvula fuerit urbs Roma, minus in eius vicinia fuisse Bovillas, quam suo tempore, plane sicut hodieque magnas urbes continuo incremento magis magisque admoveri oppidis circumiacentibus videmus, donec eas absorpserint. Tum apparet vv. 34 et 36 inter se permutandos loco, posteriore cum id significetur, antiqua aetate magnum fuisse iter Fidenas tendentibus Roma, quae suo tempore prope immineret illis, cumque priore longius exponatur sententia versus 35, quo de urbibus Latii olim potentibus, nunc desertis agit Sextus. Quantum ad 36 primum fuit ex N recipiendum *isse* pro *ire;* cf. quae diximus ad I, 7, 16. Porro iam saec. XV Itali perspexerunt pariter a sensu communi ac sermone latino abhorrere (ut rationes metricas mittam) illa *longe — vias*, ex quibus hoc natum e praecedente *Fidenas,* alterum e *longae*, quod qui ortum sit ipsum, nemo non videt. Cet. cf. IIII, 1, 14. Denique pro *hac ubi* reposui *atque ibi* coniectura satis facili. Nam librarios medii aevi qui nescirent *ac* non poni ante vocalem saepissime breviorem formam longiori praetulisse nemo ignorat.

ib. 40 *en* Itali, *heu* NG.

ib. 46 *vexit,* immo *auxit.*

ib. 50 *iura* Vngerus pg. 62.

ib. 52. Post hunc versum collocavi 87, 88.

ib. 57 *munere namque pio conor disponere versus.* Vulgo *moenia — pio — versu;* qua ne fingi quidem potest lectione ineptius. Mitto anaphoram inscitam, mitto sensum absonum (nam quod secutus sit hoc libro Propertius consilium ipse aperte declarat v. 69): sed quis umquam Latine aut dixit aut dicet *moenia disponere versu?* Hic solita felicitas deseruit Lachmannum, qui affert quasi similia Lucretii haec *disponere carmina* vel (quod idem valet) *dona disponere* vel *causas rerum.* Nec rectius Hertzbergius ita exponit verbum illud, quasi poeta quae describat ipse efficere videatur moenia; nam horum auctorem modo lupam Martiam dixerat. Videndum potius quam facile ex *munere* pro quo antiquitus fuerat scriptum *moenere* potuerit oriri id quod proxime praecessit *moenia.*

ib. 65 *quisquis* optimus liber, quod reduxi, *si quis* v.

ib. 73 *accersis lacrimas* N, *arcessis lacrimis* G. Immo *aversis rythmis;* quia sunt elegiaci. Erat in arch. $\overset{t}{\textit{rimis}}$; quod qui accepere pro *crimis*, ut Latina saltem vox efficeretur, scripsere *lacrimis.* Ita dixit Martialis *sed tu nomen habes averso fonte sororum impositum.* Et frequens vocabulis Graecis Prop.

ib. 93 *matris avarae*, potius *Martis avari.*

ib. 101 *facito votum* Lachm. (*v. facito* Burm.), *facite votum* N G, *votum facite* Itali, sententia minus simplici.

ib. 121—126. Dixit de hoc loco nuper Henricus Nissenius, vir doctissimus, m. Rh. XX, 219 sqq., accurate ut solet, minus tamen adiutus idem sermonis latini peritia. Neque enim fugere eum debebat illud *intepet* in v. 124, in quo multus est explicando, neque sensu esse ullo (quid enim mirum lacum Vmbrum *aestivis* aquis incalescere?) et ab analogiae Latinae legibus longo intervallo remotum. De qua re videnda quae notavit Lachmannus ad Lucr. II, 301. Tu vero repone mutatione facta nulli simillima id quod est *si tepet.* Nam illud *rorat* etiam ad proximi versus subiectum pertinere manifestum est.

ib. 125 *Asisi* Lachm., *asis* N G.

V, 2, 4 *Volsanios* N Reg., *Volsanos* G. Cf. Fabrettus in corp. inscr. Ital. s. v. *Volsinium.*

ib. 11 *praecerpimus* Fea, *praecepimus* v.

ib. 61 *Mamurri* N, quod reduxi; *Mamuri* v.

V, 3, 7 †*Bactra per ortus;* hic loci archetypum fuisse ad legendum difficilem apparet ea re quod N ista verba omittit; nec vero quisquam satis expedivit.

ib. 8 *Neuricus* Iacobus, *hericus* N, *euricus* G.

ib. 10 *Eoo — equo* Gruterus; *Eoa — aqua* v. — ib. *decolor* docti, *discolor* cdd.

ib. 11. Hunc versum ita habet scriptum N *haecne marita fides et parce avia noctes,* nec aliter G, excepto quod est in eo *pactae mihi noctes.* Hic ante omnia scribendum *noctis;* nam sequente versu certissime apparet agi de nocte nuptiali. Ita alibi pactos dici eos, inter quos de matrimonio convenit, nemini ignotum. Videnda etiam quae dixit Hertzbergius ad illud *pactas aras* IIII, 20, 25. Iam Hauptius statuit pro eo quod est *avia* scribendum *savia.* Sed ut omittam hoc vocabulum ut a plerisque poetis vitatur, ita semel, non saepius, alibi legi apud Propertium, ne ad sententiam quidem mihi videtur esse satis aptum. Quo minus sum veritus in loco quem obscuratum fuisse in archetypo satis constat, reponere duabus additis literulis *gaudia,* nempe venerea, ut plerumque apud eroticos. Ceterum dubito valde, num recte spreverim, sicut Hauptius fecit, quod legitur in G (ut in rel. cdd.) pronomen *mihi;* nec enim tam imperitum fuisse existimo librarium, ut nesciret, quot pedes essent hexametri, cum praesertim ipse Hauptius statuat eundem rationibus metricis adductum explevisse labantem versum eo quod est *mihi.* Vix igitur rudi emendandi conatu Groningani libri scriptura potest explicari. Dedit, puto, Propertius: *pactae et mihi gaudia noctis,* ut pertineret *mihi* ad sensum utrumque versus.

ib. 48 *Africus* cdd.; illud *tetricus* quod rarissime occurrit apud poetas et ne aptum quidem est huic loco vocabulum — nimis enim languet — dedit Schneidewinus. Repone quod paene necessarium, ut declaretur, quid sint *altae aquae,* id quod est *aetheris.* Apparet enim primum

versus vocabulum ut saepe in archetypo Propertii ex parte tantum potuisse legi. — *Pater* hic pro Iove ut infra [11, 18] pro Plutone.

V, 4, 37 *reportet* recte Broukh.

ib. 40 *saevos*, *foedos* bene Heinsius.

ib. 42 *cum*, immo *cui*; cf. 10, 40. — ib. *lecto*, *tecto* Fruterius.

ib. 55—58. Haec ita instauranda existimo: *si constet* (*sic hospes* NG), *pariam ut Tatia* (N *pariamne tua*, G *pariam t. ne*, *pariamve tua* cd. Puccii, *patiare tua* Reg.) *regina sub aula, d. t. n. h. pr. R. v.; si minus, at, raptae ne sint inpune Sabinae, me rape* e. q. s. Ante v. 55 excidisse puto, quibus de pactis Tarpeiae cum Tatio ineundis ageretur. — *Constet* idem quod *conveniat*.

ib. 63 *set* Luetiohannes pg. 17, *et* v.

ib. 68 *se furiis* Passeratius et Livineius, *nefariis* cdd.; *vae furiis* Iacobus, quem qui secuti sunt, debebant prius quaerere, num Prop. uteretur interiectione ista.

ib. 72 *abscisso* G, *absciso* N. — v. sq. *Palilia* G, ut 1, 19.

V, 5, 15 *ut* Itali, *et* NG.

ib. 19 *pererrat* Iacobus, *perurat* cdd.

ib. 20 *lympha* Itali, *culpa* NG.

ib. 21 *Dorozantum; Doanarum* Hertzb., *Domazanum* Vng. pg. 14; *Areizantum* Bergkius, sed vix recte; cf. Nonni Dionys. XXVI, 183. 192.

ib. 29 *stimulare* Hauptius, *simulare* libri. — ib. *iram* Heinsius, *virum* NG.

ib. 34 *Isidis* Beroaldus, ut alibi *Palladis; sideris* cdd.

ib. 36. Scripsi *Mais*, *malis* NG, *maiis* v.

ib. 60 *utere ne quid cras libet ab ore dies;* ita cdd., nec sollicitavi, quamquam persuasum est Propertium ob rationes metricas potius dedisse *cras nequid*.

ib. 64 *ossa inter tenues;* ita certe metrum constat huic versui. Nam cdd. habent *per tenues ossa*. Fuere qui spurium dicerent. Fortasse quaedam ante hunc pentametrum exciderunt.

ib. 71 *fuerunt* Passeratius, *fuerant* v.

ib. 77 *caedito* cdd., *caedite* Livineius, nescio an recte.

ib. 78 *addite* N, *adiice* G.

V, 6, 3 *serta* — *certent* Scaliger, idque mihi quidem videtur unice ad sententiam aptum, *cera* — *certet* cdd.

ib. 22 *femineae* Luetiohannes pg. 4, *feminea* cdd. Idem vitium fuerat II, 1, 66. — ib. *apta* N, *acta* G.

ib. 32 *ad* scripsi, *aut* v.; cf. v. 70.

ib. 36 *quom tacuere* scripsi, *quem timuere* cdd.

ib. 45 *en* Itali, *et* N G. — ib. *audent prope,* alii secundum Italos *audent. pro.*

ib. 60 *en* Marklandus, *est* N, *et* G.

V, 7, 15 *exciderunt* Scaliger, *exciderant* v.

ib. 57. 58. Sensus in hunc fere modum concepti fuerint necesse est: *unda* (ita Hertzbergius) *Clytaemestrae stuprum et vehit altera Cressae*, *portans* e. q. s. — Ceterum ut obiter hoc notem ubique N habet *Clytemestra, Hypermestra.* Ita et G praeter hunc versum.

ib. 59 *vecta* G, minus bene propter v. 57, *parta* N. Fortasse *lata.*

ib. 64 *foedera* Heinsius, *pectora* cdd.

ib. 72. *Chloridos* reposui ex N, *Doridos* G.

ib. 81 *pomosis* Broukhusius, idem *spumifer;* cdd. *ramosis* et *pomifer*. Ita apud Ov. am. III, 6, 46 quidam libri *spumifer* pro eo quod est in Puteaneo *pomifer.*

V, 8, 24 *Molosa* ex N in quo est *malosa* revocavi.

ib. 39 *Nilotes* Scaliger, *Nile tuus* cdd.

ib. 54 *pallueruntque* Livineius, *palluerantque* cdd.

ib. 84 *suffit et* scripsi, *sufficat* N, *sufficiat* G, e quo punctis additis factum *suffiit; suffit et a* v.

ib. 86 *sulphuris;* ita N.

ib. 88 *respondi,* alii minus recte *despondi,* fortasse *res pacta.*

V, 9, 3 *ad eductos* Lachm., *et advictos* N *et adductos* G.

ib. 19 *bovaria;* ita N et a pr. m. G idque unice verum iudice euphonia. Sic *bovatim* bis apud Nonium extat pg. 40, ubi etiam Lugdunensis alter cum Bambergensi libro, non Guelferbitanus, exhibent *boatim.* Quamquam in boandi vocabulo olim videtur exclusum digamma, licet *dixerit* Ennius v. 571 *clamore bovantes.* Tamen ne *o a*

concurrerent ingratissimo in latina voce sono dixere Pacuvius et Varro *bount;* plerique autem poetarum abstinuere eo verbo velut Horatius aut rarissime ac vix umquam adhibuere ut Naso, exceptis eis qui antiquam gravitatem affectant puta Lucretio Vergilio Catullo in Atti.

ib. 31 *congesta* N, quod reduxi, cf. Burm.

ib. 36 *succepto* l. opt. ut ap. Cat. 64, 104 *succepit.*

ib. 40 *vastas* Itali, cf. II, 19, 21; Ov. met. II, 194; *vatas* N, *natas* v.

ib. 42. Hunc v. a Propertio abiudicavit Scaliger. Ceterum in N aliisque cdd. leg. illud *accipit*, ut etiam magis appareat eum ex inferiore loco [v. 66] huc supplenda lacuna arcessitum.

ib. 45 *aliquam* G, *aliquem* N.

ib. 68 *inquid* N, *inquit* idem III, 29, 8.

ib. 73 *huic* Luetiohannes pg. 18, *hunc* v.

V, 10, 18 *qui tulit e parvo frigida castra lare.* Sic emendandam existimavi scripturam libri optimi *aporco;* v. *aprico*, quod quid sibi vellet nemo expedivit interpretum, quamquam plerisque adeo facilis visa quaestio illa, sicco pede, quod dicitur, ut transirent. *Parvus Lar* ut alibi *artus, angustus.*

ib. 20 *et galea hirsuta compta lupina iuba.* Ita optima membrana, nec soni legem his violari demonstravit Broukhusius. Sic supra [1, 138] *et Veneris pueris utilis hostis eris.* In G est *hirsutis — iubis,* atque ita v.

ib. 27 *heu* Luetiohannes pg. 5, *ę* N, *o* G. — ib. *Vei* scripsi, *Veii* N, *Vehi* G.

ib. 39. *Eridanum* Guietus, *a Rheno* v.

ib. 40 *cui* Guietus, *c̄* N, *cum* v.

ib. 41. *Rheno, Brenno* Heinsius.

ib. 42 †*erectis, erecti* N.

ib. 43 *illi virgatas maculanti sanguine braccas* Schraderus, *illi iurgatis iaculantis abagmina bracis* N et similiter G, in quo quidem est *virgatis, ab agmine, brachis.*

V, 11. Cf. ann. phil. a. 1866 pg. 413 sqq. 777 sqq.

ib. 1. *Pauli* nomen ubique per simplex l scribitur in N, qui tamen om. v. 17—76.

ib. 8 *umbrosos* Itali, *herbosos* v.

ib. 12 *pignora tanta* h. e. *tot,* ut I, 5 10 *milia quanta;* et pertinet ad tres liberos Corneliae. Cet. cf. quae dixi in ann. phil. l. m. pg. 417.

ib. 20 *is* Heinsius, *in* cdd.; *vindicet* Itali, *iudicet* G.

ib. 21 *et* add. Itali; *Minoida sellam* Lachmannus, *Minonida s.* G.

ib. 24 *corripere ore* Auratus, *corripiare* cdd.

ib. 26 *sera; fera* Schraderus.

ib. 30 *Afra Numantinos regna loquuntur avos.* Imitatus est Iuvenalis 8, 9 *effigies quo tot bellatorum, si luditur alea pernox ante Numantinos.* Eum et Cynthiae Propertianae memorem fuisse [6, 7] constat.

ib. 34 *aspersas* Puccius, recte; cf. ann. Burm.

ib. 36 *huic* Marsilius, *hoc* cdd.

ib. 42 *nostros* Reg., *vestros* G, v. At nupta erat C.

ib. 49 *quaelibet*, *quamlibet* Itali, Livineius.

ib. 66 *consul quo factus* Lachmannus, *consule quo facto* cdd.

ib. 67. Ex hoc v. apparere filiam Corneliae anno XXII a. Chr. fuisse natam quo Paullus fuit censor monui in annal. phil. pg. 422.

ib. 70 *meis* Lachm., *malis* cdd.

ib. 76 *fovenda* scripsi, *ferenda* v.

ib. 82 *reddita* Graevius, *credita* v.

ib. 87 †*laudate;* apparet hoc verbum, cui ante illud *ferte* nullus locus, e v. 89 irrepsisse: fortasse *placati ferte.*

ib. 93 *lenire* Schraderus, *sentire* cdd.

ib. 102 *aquis* N, *equis* G, corr. Heinsius.

DE PROPERTII ARTE METRICA.

De Propertii versuum arte cum cura quaesivere post nos Eschenburgius in dissertatione cui inscriptum 'observationes criticae in Propertium' Bonnae a. 1865 edita pg. 1—28; et Luetiohannes in commentationibus Propertianis pg. 96—104. Qui etsi pauca prodiderunt, quae nobis essent incognita, et quaedam, quae aliter disputata vellemus, non tamen sua fuere laude fraudandi.

Propertius etsi eximius est poeta et elegiacorum facile princeps durioribus tamen paullo utitur numeris, quamquam eos et in posterioribus mitigavit libris et ne in prioribus quidem tam rudes atque absonos fecit quam visum nonnullis. Habet tamen plures spondeos quam Tibullus sive Ovidius.

Etiam septies [I, 13, 31. 19, 13. 20, 31. II, 2, 9. III, 28, 49. IIII, 7, 13. V, 4, 71] quinto loco eundem adhibuit pedem, semper quidem ut praecederet dactylus ad hunc modum:

sunt apud infernos tot *milia formosarum.*

Nam et spondiazontas ubique tetrasyllabo conclusit verbo. Caesurarum idem quotquot extant adhibet genera (ea supra enumeravi in opusculo de metris Catulli), sed enim ut ipsa fert natura eo rariora quo insolentiora.

Ita uno versu nisi quid me fugit et parata excusatione habet semiseptenariam praegressa et tertio pede et altero orationis parte in trochaeum exeunte [IIII, 8, 23]

aut in a*more* do*lere* volo aut audire dolentem.

Videnda quae diximus d. r. m. pg. 134.

Porro tertiam trochaicam septies usurpat, bis quidem ita ut praecedat pede altero vocabulum et ipsum finitum trochaeo [II, 1, 51. III, 15, 43. 33, 9. 27. IIII, 6, 25. V, 1, 63. 7, 41].

Semel tmesis instituenda [III, 17, 11]

quem modo felicem in | vidia admirante ferebant.

Quantum ad rhythmos numerorum, ter in pede secundo

vocabulum dactylo conclusum reperitur [II, 3, 11. III, 24, 19. IIII, 6, 25]

ut Mae*otica* nix minio si certet Hibero
una aut *altera* nox nondumst in amore peracta
non me *moribus* illa, sed herbis inproba vicit.

In fine numeri nusquam habes monosyllabum praecedente plusquam monosyllabo; nam v. 17 el. 25 l. III est corruptus. Spondiacos qua arte componeret Sextus supra memoravi. Praeterea septies evenit ut metrum cluderetur vocabulo sive pentasyllabo sive tetrasyllabo utve quinti pedis arsis constaret sermone plus quam monosyllabo thesis disyllabo ad hunc modum [I, 8, 35. III, 26, 15. 3. 33. IIII, 7, 49. V, 7, 33. III, 23, 15. 24, 51]

quam sibi dotatae regnum vetus Hippodamiae
et tibi ob invidiam Nereides increpitarent
nam cursus licet Aetoli referas Acheloi
sed thyio thalamo aut Oricia terebintho
hoc etiam grave erat nulla mercede hyacinthos
cui saepe inmundo Sacra conteritur Via socco
ni tibi nos erimus, sed tu potius precor ut me.

Haec omnia sicut pleraque aliarum huius poetae licentiarum mitigantur excusationibus eis, de quibus initio lib. II operis nostri exposui.

Minus certum an quaedam imitatione Vergilii provenerint exempla, nisi quod metro illo 'sed thyio thala*mo aut Oricia terebintho*' aperte expressit Maronianum [aen. X, 136] 'inclusum bu*xo aut Oricia terebintho*'.

In pentametro memorandum Propertium saepe finire alterum hemistichium vocabulo plusquam disyllabo, ut tamen libris quarto et quinto non raro modo admittat inelegantiam istam sed plerumque in nominibus propriis sive Graecis. Eandem a sexta inde ultimi voluminis elegia plane omisit.

Denique disticha inveniuntur tria artius quam probatum fere optimis auctoribus artis iuncta cum insequentibus III, 15, 33, 34; V, 8, 67, 68; 10, 39, 40, sua tamen venia firmata; vid. d. r. m. 231. 232.

Synizesis exempla haec. Habes coactis quae in fine sunt syllabis illa [I, 11, 3. II, 1, 69. III, 28, 22. 30, 4. 34, 40. IIII, 5, 41] *Protei, Promethei, Persei, Capanei, Phinei* [I, 13, 21. IIII, 5, 7. 7, 67. 19, 13], *Enipeo, Prometheo, Nereo.* Ex his lenissima quae eveniunt litteris *e i* coalitis, ex volgari quippe adsumpta pronuntiandi usu [d. r. m. 266, 267]. Cadit autem synizesis ista potissimum in thesin et maxime pedis sexti. Praeterea habes trisyllaba *abiegnae, abiegni* [IIII, 19, 12. V, 1, 42], disyllaba *eodem eadem eosdem* [II, 8, 26. IIII, 6, 36. V, 7, 7. 8], *Suevo* [IIII, 3, 45; cf. d. r. m. 263. 4], monosyll. *dehinc* [II, 3, 50].

Dihaeresis vis nulla ap. Prop.; nam quod legitur apud eum [V, 10, 31] illud *Veius* trisyllabum, sicut apud Martialem [XIII, 74, 1] tetrasyllabum *Tarpeia,* propria stat illud excusatione [d. r. m. 264]. Male habet quod fertur vulgo pentasyllabum *evoluisse* I, 7, 15.

Etiam circa elisiones liberior Sextus Tibullo et Nasone; astrictior tamen Catullo. Ceterum nostra editione profectum, ut plurimae elisiones pariterque asperrimae ex eius removerentur libris, partim truncato initio vocabuli illius '*est*', partim observatis cum cura libri Neapolitani scripturis. — Regularum autem, in copulandis circa fines et initia verborum vocalibus quas sequitur Propertius, potissimae fuere tales. Habet in pede spondiaco elisionem longae sequente brevi vicies ter, et quidem quater in monosyllabis 'me' 'tu' 'te' ita [III, 25, 9. 18, 19. 11, 1. 20, 11] 'at me ab amore' 'at tu etiam' 'scribant de te alii' 'in te ego et'. Ceterum ut horum exemplorum, ita reliquorum longe maxima pars in prima fit thesi [I, 13, 14. 15. III, 24, 41. 42. 28, 19. IIII, 8, 27. 16, 14. 21, 17. 25, 7. V, 1, 89. 2, 53. 5, 59. 65. 7, 36. 51. 70]. Bis habes eandem asperitatem soni in quarta quae quidem proxime a primae abest libertate metrica, hoc est IIII, 2, 7. V, 8, 81. Denique semel initio alterius partis pentametri legitur [III, 14, 18] *nemo in amore videt.* Sed notandum in latinis nominibus ac verbis et adverbiis quae *o* littera terminarentur tum temporis fuisse finalem apud

quosdam scriptorum non omnino integram labante principali quantitate. Ita ab eodem Propertio id quod est *findo* videtur esse adhibitum trochaei instar. Eadem excusatione mitigantur ex propositis supra illa 'credo ego' 'nemo adeo' 'ergo ego' 'flebo ego' 'iuro ego' 'celo ego'. Reliqua autem exempla evenere aut in formulis verborum quales sunt 'vidi ego' 'credo ego' 'odi ego' 'dixi ego' 'sensi ego' 'respondi ego' ubique ut vides sequente pronomine primae personae aut iniectis nominibus propriis 'Ino etiam' 'et Baccho et Apolline dextro'. Apparet iam quanta cum cura elisiones illas adhibuerit Propertius, quem neque illud scripsisse [V, 1, 36] 'hac ubi Fidenas longe erat erat isse via' et minus etiam [III, 32, 5] 'curve te in Herculeum' supra conprobavimus.

Idem aliquotiens iambica elidit insequente syllaba gravi, nec minus spondiaca succedente acuta. Vocales Graecae elisae bis in carmine 28 l. III, vv. 19 et 23 'Ino etiam' 'Callisto Arcadios'; praeterea, ut videtur, III, 28, 54. Elisio in prima syllaba metri et in ultima Propertio inprobata, nec minus vitata longae in hexametro a quinti inde pedis thesi, et in pentametri secundo hemistichio praeter illum versum III, 14, 10 'inmortalis ero, si altera talis erit'. Nam de III, 14, 18 iam vidimus. — Similiter post tertiam eius metri arsin habes vocalem imminutam, sed brevem I, 5, 32 'desine non inpu*ne* illa rogata venit', IIII, 22, 10 'Herculis Antaei*que* Hesperidumque choros.' Idem post alteram thesin pentametri evenit numquam.

Hiatus ter in caesura penthemimeri accidit, semel quidem accedente imitatione exempli Vergiliani, ut puta [III, 15, 1. 32, 45. IIII, 7, 49]

o me *felicem*, o nox mihi candida et o tu
haec eadem ante *illam* inpune et Lesbia fecit
sed Chio *thalamo* aut Oricia terebintho.

Semel idem observatur in prima thesi vocabuli cretici et quidem Graeci [IIII, 11, 17]

Omphalĕ in tantum formae processit honorem.

In positionis quae dicitur lege violanda quanto sit liberior Propertius Albio ut demonstretur, sufficiet ipsa apposuisse

exempla [III, 16, 43. IIII, 11, 53. 67. 19, 21. V, 1, 41. 4, 48. 5, 17]

sed quascumque tibi vestes *quoscumque smaragdos*
brachia spectavi sacris admorsa colubris
nunc *ubi Scipiadae* classes, ubi signa Camilli
tuque o Minoa *venundata Scylla* figura
iam *bene spondebant* tunc omina, quod nihil illam
tu *cave spinosi* rorida terga iugi
consuluitque striges nostro de sanguine et in me.

Denique de G. Wolfii coniectura sanequam probabili recepimus illud [IIII, 1, 27]

Idaeum Simoenta Iovis cum *prole Scamandro.*

Nusquam tamen condicione eadem porrigitur correpta.

Productionem brevis finalis caesurae legitimae iure factam habes II, 8, 8. IIII, 2, 11. V, 1, 17:

vinceris aut *vincis* haec in amore rotast
nec mea *Phaeacas* aequant pomaria silvas
nulli cura *fuit* externos quaerere divos.

Atque ita semel sequente verbo graeco [III, 28, 29]

et tibi Maeonias *inter* heroidas omnes.

At alienum a Sexto illud [V, 5, 64]

per tenues *ossa* sunt numerata cutes.

SEX. PROPERTII
ELEGIARVM
LIBER PRIMVS.

I.

Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis,
  Contactum nullis ante cupidinibus.
Tum mihi constantis deiecit lumina fastus
  Et caput inpositis pressit Amor pedibus,
Donec me docuit castas odisse puellas
  Inprobus et nullo vivere consilio;
Et mihi iam toto furor hic non deficit anno,
  Cum tamen adversos cogor habere deos.
Milanion nullos fugiendo, Tulle, labores
  Saevitiam durae contudit Iasidos.
Nam modo Partheniis amens errabat in antris,
  Ibat et hirsutas ille videre feras;
Ille etiam Hylaei percussus vulnere rami
  Saucius Arcadiis rupibus ingemuit.
Ergo velocem potuit domuisse puellam:
  Tantum in amore preces et benefacta valent.
In me tardus Amor non ullas cogitat artes
  Nec meminit notas, ut prius, ire vias.
At vos, deductae quibus est fiducia lunae
  Et labor in magicis astra piare focis,
En agedum dominae mentem convertite nostrae
  Et facite illa meo palleat ore magis.
Tunc ego crediderim vobis et sidera et amnes

Posse Cytaines ducere carminibus.
Aut vos, qui sero lapsum revocatis, amici,
Quaerite non sani pectoris auxilia.
Fortiter et ferrum saevos patiemur et ignes,
Sit modo libertas quae velit ira loqui.
Ferte per extremas gentes et ferte per undas,
Qua non ulla meum femina norit iter.
Vos remanete, quibus facili deus adnuit aure,
Sitis et in tuto semper amore pares.
In me nostra Venus noctes exercet amaras,
Et nullo vacuus tempore defit amor.
Hoc, moneo, vitate malum: sua quemque moretur
Cura, neque adsueto mutet amore locum.
Quod siquis monitis tardas adverterit aures,
Heu referet quanto verba dolore mea!

II.

Quid iuvat ornato procedere, vita, capillo
Et tenues Coa veste movere sinus?
Aut quid Orontea crines perfundere murra,
Teque peregrinis vendere muneribus,
Naturaeque decus mercato perdere cultu
Nec sinere in propriis membra nitere bonis?
Crede mihi, non ulla tuaest medicina figurae:
Nudus Amor formae non amat artificem.
Aspice quo submittat humus formosa colores.
Et veniant hederae sponte sua melius,
Surgat et in solis felicius arbutus antris,
Et sciat indociles currere lympha vias.
Littora nativis praelucent picta lapillis
Et volucres nulla dulcius arte canunt.
Non sic Leucippis succendit Castora Phoebe,
Pollucem cultu non Hilaira soror,
Non, Idae et cupido quondam discordia Phoebo,
Eueni patriis filia litoribus,
Nec Phrygium falso traxit candore maritum
Avecta externis Hippodamia rotis;

Sed facies aderat nullis obnoxia gemmis,
  Qualis Apelleis est color in tabulis.
Non illis studium volgo conquirere amantes:
  Illis ampla satis forma pudicitia.
Non ego nunc vereor, ne sim tibi vilior istis:
  Vni siqua placet, culta puella sat est,
Cum tibi praesertim Phoebus sua carmina donet
  Aoniamque libens Calliopea lyram,
Vnica nec desit iocundis gratia verbis,
  Omnia quaeque Venus quaeque Minerva probat.
His tu semper eris nostrae gratissima vitae,
  Taedia dum miserae sint tibi luxuriae.

III.

Qualis Thesea iacuit cedente carina
  Languida desertis Gnosia litoribus,
Qualis et accubuit primo Cepheia somno
  Libera iam duris cotibus Andromede,
Nec minus adsiduis Edonis fessa choreis
  Qualis in herboso concidit Apidano:
Talis visa mihi mollem spirare quietem
  Cynthia non certis nixa caput manibus,
Ebria cum multo traherem vestigia Baccho
  Et quaterent sera nocte facem pueri.
Hanc ego, nondum etiam sensus deperditus omnes,
  Molliter inpresso conor adire toro;
Et quamvis duplici correptum ardore iuberent
  Hac Amor hac Liber, durus uterque deus,
Subiecto leviter positam temptare lacerto
  Osculaque admota sumere cara manu,
Non tamen ausus eram dominae turbare quietem,
  Expertae metuens iurgia saevitiae,
Sed sic intentis haerebam fixus ocellis,
  Argus ut ignotis cornibus Inachidos.
Et modo solvebam nostra de fronte corollas
  Ponebamque tuis, Cynthia, temporibus,
Et modo gaudebam lapsos formare capillos,

Nunc furtiva cavis poma dabam manibus,
Omniaque ingrato largibar munera somno,
Munera de prono saepe voluta sinu;
Et quotiens raro duxti suspiria motu,
Obstupui vano credulus auspicio,
Nequa tibi insolitos portarent visa timores,
Neve quis invitam cogeret esse suam:
Donec diversas percurrens luna fenestras,
Luna moraturis sedula luminibus,
Conpositos levibus radiis patefecit ocellos.
Sic ait in molli fixa toro cubitum:
'Tandem te nostro referens iniuria lecto
Alterius clausis expulit e foribus?
Namque ubi longa meae consumpsti tempora noctis,
Languidus exactis, ei mihi, sideribus?
O utinam tales producas, inprobe, noctes,
Me miseram quales semper habere iubes!
Nam modo purpureo fallebam stamine somnum,
Rursus et Orpheae carmine fessa lyrae:
Interdum leviter mecum deserta querebar
Externo longas saepe in amore moras,
Dum me iocundis lapsam sopor inpulit alis.
Illa fuit lacrimis ultima cura meis.'

IIII.

Quid mihi tam multas laudando, Basse, puellas
Mutatum domina cogis abire mea?
Quid me non pateris vitae quodcumque sequetur
Hoc magis adsueto ducere servitio?
Tu licet Antiopae formam Nycteidos et tu
Spartanae referas laudibus Hermionae,
Et quascumque tulit formosi temporis aetas:
Cynthia non illas nomen habere sinet,
Nedum, si levibus fuerit collata figuris,
Inferior duro iudice turpis eat.
Haec sed forma mei pars est extrema furoris:
Sunt maiora, quibus, Basse, perire iuvat,

Ingenuus calor et multis decus artibus et quae
  Gaudia sub tacita ducere veste libet:
Quo magis et nostros contendis solvere amores,
  Hoc magis accepta fallit uterque fide.
Non inpune feres: sciet haec insana puella
  Et tibi non tacitis vocibus hostis erit:
Nec tibi me post haec conmittet Cynthia nec te
  Quaeret: erit tanti criminis illa memor,
Et te circum omnes alias irata puellas
  Differet: heu nullo limine carus eris.
Nullas illa suis contemnet fletibus aras,
  Et quicumque sacer, qualis, ubique, lapis.
Non ullo gravius temptatur Cynthia damno,
  Quam sibi cum rapto cessat amore deus,
Praecipue nostro. maneat sic semper, adoro,
  Nec quicquam ex illa quod querar inveniam.

V.

Invide, tu tandem voces conpesce molestas
  Et sine nos cursu, quo sumus, ire pares.
Quid tibi vis, insane? meae sentire furores?
  Infelix, properas ultima nosse mala
Et miser ignotos vestigia ferre per ignes
  Et bibere e tota toxica Thessalia.
Non est illa vagis similis collata puellis:
  Molliter irasci non sciet illa tibi.
Quod si forte tuis non est contraria votis,
  At tibi curarum milia quanta dabit!
Non tibi iam somnos, non illa relinquet ocellos:
  Illa feros animis adligat una viros.
A, mea contemptus quotiens ad limina curres,
  Cum tibi singultu fortia verba cadent,
Et tremulus maestis orietur fletibus horror,
  Et timor informem ducet in ore notam,
Et quaecumque voles fugient tibi verba querenti,
  Nec poteris, qui sis aut ubi, nosse miser.
Tum grave servitium nostrae cogere puellae

Discere et exclusum quid sit abire domum;
Nec iam pallorem totiens mirabere nostrum,
Aut cur sim toto corpore nullus ego.
Nec tibi nobilitas poterit succurrere amanti:
Nescit Amor priscis cedere imaginibus.
Quod si parva tuae dederis vestigia culpae,
Quam cito de tanto nomine rumor eris!
Non ego tum potero solacia ferre roganti,
Cum mihi nulla mei sit medicina mali,
Sed pariter miseri socio cogemur amore
Alter in alterius mutua flere sinu.
Quare, quid possit mea Cynthia, desine, Galle,
Quaerere: non inpune illa rogata venit.

VI.

Non ego nunc Hadriae vereor mare noscere tecum,
Tulle, neque Aegaeo ducere vela salo,
Cum quo Rhipaeos possim conscendere montes
Vlteriusque domo vadere Memnonia;
Sed me conplexae remorantur verba puellae,
Mutatoque graves saepe colore preces.
Illa mihi totis argutat noctibus ignes
Et queritur nullos esse relicta deos,
Illa meam mihi iam se denegat, illa minatur,
Quae solet ingrato tristis amica viro.
His ego non horam possum durare querelis:
A pereat, siquis lentus amare potest!
An mihi sit tanti doctas cognoscere Athenas
Atque Asiae veteres cernere divitias,
Vt mihi deducta faciat convitia puppi
Cynthia et insanis ora notet manibus,
Osculaque opposito dicat sibi debita vento
Et nihil infido durius esse viro?
Tu patrui meritas conare antire secures
Et vetera oblitis iura refer sociis.
Nam tua non aetas umquam cessavit amori,
Semper et armatae cura fuit patriae;

Et tibi non umquam nostros puer iste labores
  Adferat et lacrimis omnia nota meis.
Me sine, quem semper voluit fortuna iacere,
  Hanc animam extremae reddere nequitiae.
Multi longinquo periere in amore libenter,
  In quorum numero me quoque terra tegat.
Non ego sum laudi, non natus idoneus armis:
  Hanc me militiam fata subire volunt.
At tu seu mollis qua tendit Ionia seu qua
  Lydia Pactoli tingit arata liquor,
Seu pedibus terras seu pontum carpere remis
  Ibis, ut accepti sors erit imperii:
Tum tibi siqua mei veniet non inmemor hora,
  Vivere me duro sidere certus eris.

VII.

Dum tibi Cadmeae dicuntur, Pontice, Thebae
  Armaque fraternae tristia militiae,
Atque, ita sim felix, primo contendis Homero,
  Sint modo fata tuis mollia carminibus:
Nos, ut consuemus, nostros agitamus amores
  Atque aliquid duram quaerimus in dominam;
Nec tantum ingenio, quantum servire dolori
  Cogor et aetatis tempora dura queri.
Hic mihi conteritur vitae modus, haec mea famast,
  Hinc cupio nomen carminis ire mei.
Me laudent doctae solum placuisse puellae,
  Pontice, et iniustas saepe tulisse minas:
Me legat adsidue post haec neglectus amator,
  Et prosint illi cognita nostra mala.
Te quoque si certo puer hic concusserit arcu,
  Quo nolim nostros te violasse deos,
Longe castra tibi, longe miser agmina septem
  Flebis in aeterno surda iacere situ,
Et frustra cupies mollem conponere versum,
  Nec tibi subiciet carmina serus Amor.
Tum me non humilem mirabere saepe poetam,

Tunc ego Romanis praeferar ingeniis,
Nec poterunt iuvenes nostro reticere sepulcro
'Ardoris nostri magne poeta, iaces.'
Tu cave nostra tuo contemnas carmina fastu:
Saepe venit magno fenore tardus Amor.

VIII.

Tune igitur demens, nec te mea cura moratur?
An tibi sum gelida vilior Illyria,
Et tibi iam tanti, quicumquest, iste videtur,
Ut sine me vento quolibet ire velis?
Tune audire potes vesani murmura ponti
Fortis et in dura nave iacere potes?
Tu pedibus teneris positas fulcire pruinas,
Tu potes insolitas, Cynthia, ferre nives?
O utinam hibernae duplicentur tempora brumae,
Et sit iners tardis navita Vergiliis,
Nec tibi Tyrrena solvatur funis arena,
Neve inimica meas elevet aura preces,
15 Et me defixum vacua patiatur in ora
Crudelem infesta saepe vocare manu.
13 Atque ego non videam tales subsidere ventos,
Cum tibi provectas auferet unda rates,
17 Sed quocumque modo de me, periura, mereris,
Sit Galatea tuae non aliena viae,
Vt te felici post lecta Ceraunia remo
Accipiat placidis Oricos aequoribus.
Nam me non ullae poterunt corrumpere taedae,
Quin ego, vita, tuo limine vera querar;
Nec me deficiet nautas rogitare citatos
'Dicite, quo portu clausa puella meast?'
Et dicam 'licet Autariis considat in oris,
Et licet Hylleis, illa futura meast.'

VIII[b].

Hic erit! hic iurata manet! rumpantur iniqui!
Vicimus: adsiduas non tulit illa preces.

Falsa licet cupidus deponat gaudia livor:
  Destitit ire novas Cynthia nostra vias.
Illi carus ego et per me carissima Roma
  Dicitur, et sine me dulcia regna negat.
Illa vel angusto mecum requiescere lecto
  Et quocumque modo maluit esse mea,
Quam sibi dotatae regnum vetus Hippodamiae,
  Et quas Elis opes ante pararat equis.
Quamvis magna daret, quamvis maiora daturus,
  Non tamen illa meos fugit avara sinus.
Hanc ego non auro, non Indis flectere conchis,
  Sed potui blandi carminis obsequio.
Sunt igitur Musae, neque amanti tardus Apollo,
  Quis ego fretus amo: Cynthia rara meast.
Nunc mihi summa licet contingere sidera plantis:
  Sive dies seu nox venerit, illa meast,
Nec mihi rivalis certos subducit amores.
  Ista meam norit gloria canitiem.

VIIII.

Dicebam tibi venturos, inrisor, amores
  Nec tibi perpetuo libera verba fore:
Ecce iaces supplexque venis ad iura puellae,
  Et tibi nunc quovis imperat empta modo.
Non me Chaoniae vincant in amore columbae
  Dicere, quos iuvenes quaeque puella domet.
Me dolor et lacrimae merito fecere peritum:
  Atque utinam posito dicar amore rudis!
Quid tibi nunc misero prodest grave dicere carmen
  Aut Amphioniae moenia flere lyrae?
Plus in amore valet Mimnermi versus Homero:
  Carmina mansuetus lenia quaerit Amor.
I quaeso et tristes istos conpone libellos,
  Et cane quod quaevis nosse puella velit.
Quid si non esset facilis tibi copia? nunc tu
  Insanus medio flumine quaeris aquam.
Necdum etiam palles, vero nec tangeris igni:

Haec est venturi prima favilla mali.
Tum magis Armenias cupies accedere tigres
Et magis infernae vincula nosse rotae,
Quam pueri totiens arcum sentire medullis
Et nihil iratae posse negare tuae.
Nullus Amor cuiquam faciles ita praebuit alas,
Vt non alterna presserit ille manu.
Nec te decipiat, quod sit satis illa parata:
Acrius illa subit, Pontice, siqua tuast;
Quippe ubi non liceat vacuos seducere ocellos,
Nec vigilare alio nomine cedat Amor,
Qui non ante patet, donec manus attigit ossa.
Quisquis es, adsiduas a fuge blanditias.
Illis et silices possunt et cedere quercus,
Nedum tu possis, spiritus iste levis.
Quare, si pudor est, quam primum errata fatere:
Dicere qua pereas saepe in amore levat.

X.

O iocunda quies, primo cum testis amori
Adfueram vestris conscius in lacrimis!
O noctem meminisse mihi iocunda voluptas,
O quotiens votis illa vocanda meis,
Cum te conplexa morientem, Galle, puella
Vidimus et longa ducere verba mora!
Quamvis labentes premeret mihi somnus ocellos
Et mediis caelo Luna ruberet equis,
Non tamen a vestro potui secedere lusu:
Tantus in alternis vocibus ardor erat.
Sed quoniam non es veritus concredere nobis,
Accipe conmissae munera laetitiae:
Non solum vestros didici reticere dolores,
Est quiddam in nobis maius, amice, fide.
Possum ego diversos iterum coniungere amantes,
Et dominae tardas possum aperire fores,
Et possum alterius curas sanare recentes,
Nec levis in verbis est medicina meis.

Cynthia me docuit semper quae cuique petenda
  Quaeque cavenda forent: non nihil egit Amor.
Tu cave, ne tristi cupias pugnare puellae
  Neve superba loqui neve tacere diu,
Neu, siquid petiit, ingrata fronte negaris,
  Neu tibi pro vano verba benigna cadant.
Inritata venit, quando contemnitur illa,
  Nec meminit iustas ponere laesa minas:
At quo sis humilis magis et subiectus amori,
  Hoc magis effecto saepe fruare bono.
Is poterit felix una remanere puella,
  Qui numquam vacuo pectore liber erit.

XI.

Ecquid te mediis cessantem, Cynthia, Bais,
  Qua iacet Herculeis semita litoribus,
Et modo te Protei mirantem subdita regno
  Proxima Misenis aequora nobilibus
Nostri cura subit memores a ducere noctes?
  Ecquis in extremo restat amore locus?
An te nescioquis simulatis ignibus hostis
  Sustulit e nostris, Cynthia, carminibus?
Atque utinam mage te remis confisa minutis
  Parvola Lucrina cymba moretur aqua,
Aut teneat clausam tenui Teuthrantis in unda
  Alternae facilis cedere lympha manu,
Quam vacet alterius blandos audire susurros
  Molliter in tacito litore conpositam,
Vt solet amoto labi custode puella
  Perfida, communes nec meminisse deos;
Non quia perspecta non es mihi cognita fama,
  Sed quod in hac omnis parte veretur amor.
Ignosces igitur, siquid tibi triste libelli
  Attulerint nostri: culpa timoris erit.
A, mihi non maior carae custodia matris
  Aut sine te vitae cura sit ulla meae.
Tu mihi sola domus, tu, Cynthia, sola parentes,

Omnia tu nostrae tempora laetitiae.
Seu tristis veniam seu contra laetus amicis,
Quidquid ero, dicam 'Cynthia causa fuit.'
Tu modo quam primum corruptas desere Baias:
Multis ista dabant littora discidium,
Littora, quae fuerant castis inimica puellis.
A pereant Baiae, crimen amoris, aquae!

XII.

Quid mihi desidiae non cessas fingere crimen,
Quod faciat nobis Cynthia amore moram?
Tam multa illa meo divisast milia lecto,
Quantum Hypanis Veneto dissidet Eridano,
Nec mihi consuetos amplexu nutrit amores
Cynthia nec nostra dulcis in aure sonat.
Olim gratus eram: non illo tempore cuiquam
Contigit, ut simili posset amare fide.
Invidiae fuimus: num me deus obruit? an quae
Lecta Prometheis dividit herba iugis?
Non sum ego qui fueram: mutat via longa puellas.
Quantus in exiguo tempore fugit amor!
Nunc primum longas solus cognoscere noctes
Cogor et ipse meis auribus esse gravis.
Felix, qui potuit praesenti flere puellae:
Non nihil aspersis gaudet Amor lacrimis;
Aut si despectus potuit mutare calores:
Sunt quoque translato gaudia servitio.
Mi neque amare aliam neque ab hac desistere fas est:
Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit.

XIII.

Tu, quod saepe soles, nostro laetabere casu,
Galle, quod abrepto solus amore vacem.
At non ipse tuas imitabor, perfide, voces:
Fallere te numquam, Galle, puella velit.

Dum tibi deceptis augetur fama puellis,
  Certus et in nullo quaeris amore moram,
Perditus in quadam tardis pallescere curis
  Incipis et primo lapsus abire gradu.
Haec erit illarum contempti poena doloris:
  Multarum miseras exiget una vices.
Haec tibi volgares istos conpescet amores,
  Nec nova quaerendo semper amicus eris.
Haec ego non rumore malo, non augure doctus;
  Vidi ego: me quaeso teste negare potes?
Vidi ego te toto vinctum languescere collo
  Et flere iniectis, Galle, diu manibus,
Et cupere optatis animam deponere labris,
  Et quae deinde meus celat, amice, pudor.
Non ego conplexus potui diducere vestros:
  Tantus erat demens inter utrosque furor.
Non sic Haemonio Salmonida mixtus Enipeo
  Taenarius facili pressit amore deus,
Nec sic caelestem flagrans amor Herculis Heben
  Sensit ab Oetaeis gaudia prima rogis.
Una dies omnes potuit praecurrere amores:
  Nam tibi non tepidas subdidit illa faces,
Nec tibi praeteritos passast succedere fastus,
  Nec sinet abduci: te tuus ardor aget.
Nec mirum, cum sit Iove dignae proxima Ledae
  Et Ledae partu gratior, una tribus,
Illa sit Inachiis et blandior heroinis,
  Illa suis verbis cogat amare Iovem.
Tu vero quoniam semel es periturus amore,
  Utere: non alio limine dignus eras.
Quae tibi sit, felix quoniam novus incidit error;
  Et quotcumque voles, una sit ista tibi.

XIIII.

Tu licet abiectus Tiberina molliter unda
  Lesbia Mentoreo vina bibas opere,
Et modo tam celeres mireris currere lintres

Et modo tam tardas funibus ire rates,
Et nemus unde satas intendat vertice silvas,
Vrgetur quantis Caucasus arboribus:
Non tamen ista meo valeant contendere amori:
Nescit Amor magnis cedere divitiis.
Nam sive optatam mecum trahit illa quietem,
Seu facili totum ducit amore diem,
Tum mihi Pactoli veniunt sub tecta liquores,
Et legitur rubris gemma sub aequoribus:
Tum mihi cessuros spondent mea gaudia reges:
Quae maneant, dum me fata perire volent.
Nam quis divitiis adverso gaudet Amore?
Nulla mihi tristi praemia sint Venere.
Illa potest magnas heroum infringere vires,
Illa etiam duris mentibus esse dolor.
Illa neque Arabium metuit transcendere limen,
Nec timet ostrino, Tulle, subire toro
Et miserum toto iuvenem versare cubili:
Quid relevant variis serica textilibus?
Quae mihi dum placata aderit, non ulla verebor
Regna aut Alcinoi munera despicere.

XV.

Saepe ego multa tuae levitatis dura timebam,
Hac tamen excepta, Cynthia, perfidia.
Aspice me quanto rapiat fortuna periclo:
Tu tamen in nostro lenta timore venis,
Et potes hesternos manibus conponere crines
Et longa faciem quaerere desidia,
Nec minus Eois pectus variare lapillis,
Vt formosa novo quae parat ire viro.
At non sic Ithaci digressu mota Calypso
Desertis olim fleverat aequoribus:
Multos illa dies incomptis maesta capillis
Sederat, iniusto multa locuta salo,
Et quamvis numquam post haec visura dolebat
Illa tamen longae conscia laetitiae.

17 Nec sic Aesoniden rapientibus anxia ventis
Hypsipyle vacuo constitit in thalamo:
Hypsipyle nullos post illos sensit amores,
Vt semel Haemonio tabuit hospitio.
15 Alphesiboea suos ultast pro coniuge fratres,
Sanguinis et cari vincula rupit amor.
21 Coniugis Euadne miseros elata per ignes
Occidit, Argivae fama pudicitiae.
Quarum nulla tuos potuit convertere mores,
Tu quoque uti fieres nobilis historia.
Desine iam revocare tuis periuria verbis,
Cynthia, et oblitos parce movere deos,
Audax a, nimium nostro dolitura periclo,
Siquid forte tibi durius inciderit.
Muta prius vasto labentur flumina ponto,
Annus et inversas duxerit ante vices,
Quam tua sub nostro mutetur pectore cura:
Sis quodcumque voles, non aliena tamen.
Nam mihi ne viles isti videantur ocelli,
Per quos saepe mihi credíta perfidiast!
Hos tu iurabas, siquid mentita fuisses,
Vt tibi suppositis exciderent manibus:
Et contra magnum potes hos attollere solem,
Nec tremis admissae conscia nequitiae?
Quis te cogebat multos pallere colores
Et fletum invitis ducere luminibus?
Quis ego nunc pereo similes moniturus amantes
'O nullis tutum credere blanditiis!'

XVI.

Quae fueram magnis olim patefacta triumphis,
Ianua Tarpeiae nota pudicitiae,
Cuius inaurati celebrarunt limina currus,
Captorum lacrimis umida supplicibus,
Nunc ego, nocturnis potorum saucia rixis,
Pulsata indignis saepe queror manibus,
Et mihi non desunt turpes pendere corollae

Semper et exclusi signa iacere faces.
Nec possum infames dominae defendere noctes
Nobilis obscaenis tradita carminibus.
(Nec tamen illa suae revocatur parcere famae,
Turpior et saecli vivere luxuria.)
Has inter gravibus cogor deflere querelis,
Supplicis a longis tristior excubiis.
Ille meos numquam patitur requiescere postes,
Arguta referens carmina blanditia:
'Ianua vel domina penitus crudelior ipsa,
Quid mihi tam duris clausa taces foribus?
Cur numquam reserata meos admittis amores,
Nescia furtivas reddere mota preces?
Nullane finis erit nostro concessa dolori,
Tristis et in tepido limine somnus erit?
Me mediae noctes, me sidera prona iacentem,
Frigidaque Eoo me dolet aura gelu.
Tu sola humanos numquam miserata dolores
Respondes tacitis mutua cardinibus.
O utinam traiecta cava mea vocula rima
Percussas dominae vertat in auriculas!
Sit licet et saxo patientior illa Sicano,
Sit licet et ferro durior et chalybe,
Non tamen illa suos poterit conpescere ocellos:
Surget et invitis spiritus in lacrimis.
Nunc iacet alterius felici nixa lacerto:
At mea nocturno verba cadunt Zephyro.
Sed tu sola mei, tu maxima causa doloris,
Victa meis numquam, ianua, muneribus.
Te non ulla meae laesit petulantia linguae,
Quae solet ingrato figere theta loco,
Vt me tam longa raucum patiare querela
Sollicitas trivio pervigilare moras.
At tibi saepe novo deduxi carmina versu,
Osculaque inpressis nixa dedi gradibus.
Ante tuos quotiens verti me, perfida, postes,
Debitaque occultis vota tuli manibus!'
Haec ille et siquae miseri novistis amantes

Et matutinis obstrepit alitibus.
Sic ego nunc dominae vitiis et semper amantis
Fletibus alterna differor invidia.

XVII.

Et merito, quoniam potui fugisse puellam!
Nunc ego desertas alloquor alcyonas.
Nec mihi Cassiope salvam visura carinamst,
Omniaque ingrato littore vota cadent.
Quin etiam absenti prosunt tibi, Cynthia, venti:
Aspice, quam saevas increpat aura minas.
Nullane placatae veniet fortuna procellae?
Haecine parva meum funus harena teget?
Tu tamen in melius saevas converte querelas:
Sat tibi sit poenae nox et iniqua vada.
An poteris siccis mea fata opponere ocellis,
Ossaque nulla tuo nostra tenere sinu?
A pereat, quicumque rates et vela paravit
Primus et invito gurgite fecit iter.
Nonne fuit melius dominae pervincere mores
(Quamvis dura, tamen rara puella fuit),
Quam sic ignotis circumdata littora silvis
Cernere et optatos quaerere Tyndaridas?
Illic siqua meum sepelissent fata dolorem,
Vltimus et posito staret amore lapis,
Illa meo caros donasset funere crines,
Molliter et tenera poneret ossa rosa:
Illa meum extremo clamasset pulvere nomen,
Vt mihi non ullo pondere terra foret.
At vos, aequoreae formosa Doride natae,
Candida felici solvite vela choro:
Si quando vestras labens Amor attigit undas,
Mansuetis socio parcite litoribus.

XVIII.

Haec certe deserta loca et taciturna querenti,
Et vacuum Zephyri possidet aura nemus:

Hic licet occultos proferre inpune dolores,
Si modo sola queant saxa tenere fidem.
Vnde tuos primum repetam, mea Cynthia, fastus?
Quod mihi das flendi, Cynthia, principium?
Qui modo felices inter numerabar amantes,
Nunc in amore tuo cogor habere notam.
Quid tantum merui? quae te mihi crimina mutant?
An nova tristitiae causa puella tuae?
Sic mihi te referas levis, ut non altera nostro
Limine formosos intulit ulla pedes.
Quamvis multa tibi dolor hic meus aspera debet,
Non ita saeva tamen venerit ira mea,
Vt tibi sim merito semper furor et tua flendo
Lumina deiectis turpia sint lacrimis.
An quia parva damus mutato signa calore,
Et non ulla meo clamat in ore fides?
Vos eritis testes, siquos habet arbor amores,
Fagus et Arcadio pinus amica deo.
A quotiens teneras resonant mea verba sub umbras,
Scribitur et vestris Cynthia corticibus!
En tua quot peperit nobis iniuria curas,
Quae solum tacitis cognita sunt foribus!
Omnia consuevi timidus perferre superbae
Iussa neque arguto facta dolore queri.
Pro quo dumosi montes et frigida rupes
Et datur inculto tramite dura quies;
Et quodcumque meae possunt narrare querelae,
Cogor ad argutas dicere solus aves.
Sed qualiscumque's, resonent mihi 'Cynthia' silvae,
Nec deserta tuo nomine saxa vacent.

XVIIII.

Non ego nunc tristes vereor, mea Cynthia, Manes,
Nec moror extremo debita fata rogo;
Sed ne forte tuo careat mihi funus amore,
Hic timor est ipsis durior exequiis.
Non adeo leviter nostris puer haesit ocellis,

Vt meus oblito pulvis amore vacet.
Illic Phylacides iocundae coniugis heros
Non potuit caecis inmemor esse locis,
Sed cupidus falsis attingere gaudia palmis
Thessalis antiquam venerat umbra domum.
Illic quicquid ero, semper tua dicar imago:
Traicit et fati littora magnus amor.
Illic formosae veniant chorus heroinae,
Quas dedit Argivis Dardana praeda viris;
Quarum nulla tua fuerit mihi, Cynthia, forma
Gratior et Tellus hoc ita iusta sinat.
†Quamvis te longae remorentur fata senectae,
†Cara tamen lacrimis ossa futura meis.
†Quae tu viva mea possis sentire favilla!
†Tum mihi non ullo mors sit amara loco.
Quam vereor, ne te contempto, Cynthia, busto
Abstrahat a nostro pulvere iniquus Amor,
Cogat et invitam lacrimas siccare cadentes.
Flectitur adsiduis certa puella minis.
Quare, dum licet, internos laetemur amantes:
Non satis est ullo tempore longus amor.

XX.

Hoc pro continuo te, Galle, monemus amore,
Id tibi ne vacuo defluat ex animo:
Saepe inprudenti fortuna occurrit amanti.
Crudelis Minyis dixerit Ascanius.
Est tibi non infra speciem, non nomine dispar
Thiodamanteo proximus ardor Hylae:
Huic tu, sive leges umbrosae flumina Silae,
Sive Aniena tuos tinxerit unda pedes,
Sive Gigantea spatiabere litoris ora,
Sive ubicumque vago fluminis hospitio,
Nympharum semper cupidas defende rapinas
(Non minor Ausoniis est amor Adryasin),
Ne tibi sit, durum, montes et frigida saxa,
Galle, neque expertos semper adire lacus,

Quae miser ignotis error perpessus in oris
  Herculis indomito fleverat Ascanio.
Namque ferunt olim Pagasae navalibus Argon
  Egressam longe Phasidos isse viam,
Et iam praeteritis labentem Athamantidos undis
  Mysorum scopulis adplicuisse ratem.
Hic manus heroum, placidis ut constitit oris,
  Mollia conposita littora fronde tegit.
At comes invicti iuvenis processerat ultra,
  Raram sepositi quaerere fontis aquam.
Hunc duo sectati fratres, Aquilonia proles,
  Hunc super et Zetes, hunc super et Calais,
Oscula suspensis instabant carpere palmis,
  Oscula et alterna ferre supina fuga.
Ille sub extrema pendens secluditur ala
  Et volucres ramo submovet insidias.
Iam Pandioniae cessit genus Orithyiae:
  A, dolor ibat Hylas, ibat Hamadryasin.
Hic erat Arganthi Pegae sub vertice montis
  Grata domus Nymphis umida Thyniasin,
Quam supra nullae pendebant debita curae
  Roscida desertis poma sub arboribus,
Et circum inriguo surgebant lilia prato
  Candida purpureis mixta papaveribus.
Quae modo decerpens tenero pueriliter ungui
  Proposito florem praetulit officio,
Et modo formosis incumbens nescius undis
  Errorem blandis tardat imaginibus.
Tandem haurire parat demissis flumina palmis
  Innixus dextro plena trahens umero.
Cuius ut accensae Dryades candore puellae
  Miratae solitos destituere choros,
Prolapsum leviter facili traxere liquore:
  Tum sonitum rapto corpore fecit Hylas.
Cui procul Alcides iterat responset: at illi
  Nomen ab extremis fontibus aura refert.
His, o Galle, tuos monitus servabis amores,
  Formosum Nymphis credere visus Hylan.

XXI.

Tu, qui consortem properas evadere casum,
  Miles, ab Etruscis saucius aggeribus,
Qui nostro gemitu turgentia lumina torques,
  Pars ego sum vestrae proxima militiae.
Sic te servato, ut possint gaudere parentes,
  Nec soror acta tuis sentiat e lacrimis:
Gallum per medios ereptum Caesaris enses
  Effugere ignotas non potuisse manus,
Et quaecumque super dispersa invenerit ossa
  Montibus Etruscis, haec sciat esse mea.

XXII.

Qualis et unde genus, qui sint mihi, Tulle, Penates,
  Quaeris pro nostra semper amicitia.
Si Perusina tibi patriae sunt nota sepulcra,
  Italiae duris funera temporibus,
Cum Romana suos egit discordia cives
  (Sic, mihi praecipue, pulvis Etrusca, dolor,
Tu proiecta mei perpessa es membra propinqui,
  Tu nullo miseri contegis ossa solo),
Proxima supposito contingens Vmbria campo
  Me genuit terris fertilis uberibus.

SEX. PROPERTII
ELEGIARVM
LIBER SECVNDVS.

I.

Quaeritis, unde mihi totiens scribantur amores,
Vnde meus veniat mollis in ora liber.
Non haec Calliope, non haec mihi cantat Apollo,
Ingenium nobis ipsa puella facit.
Sive lyrae carmen digitis percussit eburnis, 9
Miramur, faciles ut premat arte manus: 10
Seu vidi ad frontem sparsos errare capillos, 7
Gaudet laudatis ire superba comis: 8
Sive illam Cois fulgentem incedere coccis, 5
Hoc totum e Coa veste volumen erit: 6
Seu cum poscentes somnum declinat ocellos,
Invenio causas mille poeta novas:
Seu nuda erepto mecum luctatur amictu,
Tum vero longas condimus Iliadas:
Seu quicquid fecit sivest quodcumque locuta,
Maxima de nihilo nascitur historia.
Quod mihi si tantum, Maecenas, fata dedissent,
Vt possem heroas ducere in arma manus,
Non ego Titanas canerem, non Ossan Olympo
Inpositam, ut caeli Pelion esset iter,
Non veteres Thebas, nec Pergama nomen Homeri,
Xerxis et imperio bina coisse vada,
Regnave prima Remi aut animos Carthaginis altae,
Cimbrorumque minas et benefacta Mari:
Bellaque resque tui memorarem Caesaris, et tu
Caesare sub magno cura secunda fores.

Nam quotiens Mutinam aut civilia busta Philippos
Aut canerem Siculae classica bella fugae
Eversosque focos antiquae gentis Etruscae
Aut Ptolomaeei littora capta Phari,
Aut canerem †cyptum et Nilum, cum tractus in urbem
Septem captivis debilis ibat aquis,
Aut regum auratis circumdata colla catenis,
Actiaque in Sacra currere rostra Via,
Te mea Musa illis semper contexeret armis,
Et sumpta et posita pace fidele caput.
Theseus infernis, superis testatur Achilles,
Hic Ixioniden, ille Menoetiaden.
Sed neque Phlegraeos Iovis Enceladique tumultus
Intonet angusto pectore Callimachus,
Nec mea conveniunt duro praecordia versu
Caesaris in Phrygios condere nomen avos.
Navita de ventis, de tauris narrat arator,
Enumerat miles volnera, pastor oves,
Nos contra angusto versantis proelia lecto:
Qua pote quisque, in ea conterat arte diem.
Laus in amore mori, laus altera, si datur uno
Posse frui: fruar o solus amore meo!
Si memini, solet illa leves culpare puellas,
Et totam ex Helena non probat Iliada.
Seu mihi sunt tangenda novercae pocula Phaedrae,
Pocula privigno non nocitura suo,
Seu mihi Circaeo pereundumst gramine, sive
Colchis Iolciacis urat ahena focis,
Vna meos quoniam praedatast femina sensus,
Ex hac ducentur funera nostra domo.
Omnes humanos sanat medicina dolores:
Solus amor morbi non amat artificem.
Tarda Philoctetae sanavit crura Machaon,
Phoenicis Chiron lumina Phillyrides,
Et deus extinctum Cressis Epidaurius herbis
Restituit patriis Androgeona focis,
Mysus et Haemonii iuvenis qua cuspide volnus

Senserat, hac ipsa cuspide sensit opem.
Hoc siquis vitium poterit mihi demere, solus
Tantaleae poterit tradere poma manu:
Dolia virgineis idem ille repleverit umbris,
Ne tenera adsidua colla graventur aqua:
Idem Caucasia solvet de rupe Promethei
Brachia et a medio pectore pellet avem.
Quandocumque igitur vitam mea fata reposcent
Et breve in exiguo marmore nomen ero,
Maecenas, nostrae pars invidiosa iuventae,
Et vitae et morti gloria iusta meae,
Si te forte meo ducet via proxima busto,
Esseda caelatis siste Britanna iugis,
Taliaque inlacrimans mutae iace verba favillae:
'Huic misero fatum dura puella fuit.'

II.

Liber eram et vacuo meditabar vivere lecto,
At me conposita pace fefellit Amor.
Cur haec in terris facies humana moratur?
Iuppiter, ignoro pristina furta tua.
Fulva comast longaeque manus, et maxima toto
Corpore, et incedit vel Iove digna soror,
Aut cum Munichias Pallas spatiatur ad aras,
Gorgonis anguiferae pectus operta comis.
Qualis et Ischomache Lapithae genus heroine,
Centauris medio grata rapina mero,
Mercurioque Sais fertur Boebeidos undis
Virgineum Brimo conposuisse latus.
Cedite iam, divae, quas pastor viderat olim
Idaeis tunicas ponere verticibus.
Hanc utinam faciem nolit mutare senectus,
Etsi Cumaeae saecula vatis aget.

III.

Qui nullam tibi dicebas iam posse nocere,
Haesisti, cecidit spiritus ille tuus.

Vix unum potes, infelix, requiescere mensem,
  Et turpis de te iam liber alter erit.
Quaerebam, sicca si posset piscis arena
  Nec solitus ponto vivere torvus aper,
Aut ego si possem studiis vigilare severis:
  Differtur, numquam tollitur ullus amor.
Nec me tam facies, quamvis sit candida, cepit
  (Lilia non domina sint magis alba mea;
Vt Maeotica nix minio si certet Hibero,
  Vtque rosae puro lacte natant folia),
Nec de more comae per levia colla fluentes,
  Non oculi, geminae, sidera nostra, faces,
Nec siqua Arabio lucet bombyce puella
  (Non sum de nihilo blandus amator ego),
Quantum quod posito formose saltat Iaccho,
  Egit ut euhantes dux Ariadna choros,
Et quantum, Aeolio cum temptat carmina plectro,
  Par Aganippeae ludere docta lyrae,
Et sua cum antiquae conmittit scripta Corinnae
  Carminaque Erinnes non putat aequa suis.
Non tibi nascenti primis, mea vita, diebus
  Candidus argutum sternuit omen Amor?
Haec tibi contulerunt caelestia munera divi,
  Haec tibi ne matrem forte dedisse putes.
Non non humani partus sunt talia dona:
  Ista decem menses non peperere bona.
Gloria Romanis una es tu nata puellis:
  Romana accumbes prima puella Iovi.
Nec semper nobiscum humana cubilia vises;
  Post Helenam haec terris forma secunda redit.
Hac ego nunc mirer si flagrat nostra iuventus?
  Pulchrius hac fuerat, Troia, perire tibi.
Olim mirabar, quod tanti ad Pergama belli
  Europae atque Asiae causa puella fuit:
Nunc, Pari, tu sapiens et tu, Menelae, fuisti,
  Tu quia poscebas, tu quia lentus eras.
Digna quidem facies, pro qua vel obiret Achilles:
  Vel Priamo belli causa probanda fuit.

Siquis vult fama tabulas antire vetustas,
  Hic dominam exemplo ponat in arte meam.
Sive illam Hesperiis, sive illam ostendet Eois,
  Vret et Eoos, uret et Hesperios.

IIII.

His saltem ut tenear iam finibus! ei mihi, siquis,
  Acrius ut moriar, venerit alter amor!
Ac veluti primo taurus detractat aratra,
  Post venit adsueto mollis ad arva iugo,
Sic primo iuvenes trepidant in amore feroces,
  Dehinc domiti post haec aequa et iniqua ferunt.
Turpia perpessus vates est vincla Melampus,
  Cognitus Iphicli subripuisse boves;
Quem non lucra, magis Pero formosa coegit,
  Mox Amythaonia nupta futura domo.
Multa prius dominae delicta queraris oportet, 4
  Saepe roges aliquid, saepe repulsus eas,
Et saepe inmeritos corrumpas dentibus ungues,
  Et crepitum dubio suscitet ira pede.
Nequiquam perfusa meis unguenta capillis,
  Ibat et expenso planta morata gradu.
Non hic herba valet, non hic nocturna Cytaeis,
  Non Perimedeae gramina cocta manus;
Quippe ubi nec causas nec apertos cernimus ictus:
  Vnde tamen veniant tot mala caeca viast.
Non eget hic medicis, non lectis mollibus aeger,
  Huic nullum caeli tempus et aura nocet:
Ambulat, et subito mirantur funus amici:
  Sic est incautum, quidquid habetur amor.
Nam cui non ego sum fallaci praemia vati?
  Quae mea non decies somnia versat anus?
Hostis siquis erit nobis, amet ille puellas:
  Gaudeat in puero, siquis amicus erit.
Tranquillo tuta descendis flumine cymba:
  Quid tibi tam parvi littoris unda nocet?

Alter saepe uno mutat praecordia verbo,
Altera vix ipso sanguine mollis erit.

V.

Hoc verumst, tota te ferri, Cynthia, Roma
Et non ignota vivere nequitia?
Haec merui sperare? dabis mihi, perfida, poenas:
Et nobis aliquo, Cynthia, ventus erit.
Inveniam tamen e multis fallacibus unam,
Quae fieri nostro carmine nota velit,
Nec mihi tam duris insultet moribus et te
Vellicet: heu sero flebis amata diu.
Nunc est ira recens, nunc est discedere tempus:
Si dolor afuerit, crede, redibit amor.
Non ita Carpathiae variant Aquilonibus undae
Nec dubio nubes vertitur atra Noto,
Quam facile irati verbo mutantur amantes:
Dum licet, iniusto subtrahe colla iugo.
Nec tu non aliquid, sed prima nocte, dolebis:
Omne in amore malum, si patiare, levest.
At tu per dominae Iunonis dulcia iura
Parce tuis animis, vita, nocere tibi.
Non solum taurus ferit uncis cornibus hostem,
Verum etiam instanti laesa repugnat ovis.
Nec tibi periuro scindam de corpore vestem,
Nec mea praeclusas fregerit ira fores,
Nec tibi conexos iratus carpere crines
Nec duris ausim laedere pollicibus:
Rusticus haec aliquis tam turpia proelia quaerat,
Cuius non hederae circuiere caput.
Scribam igitur, quod non umquam tua deleat aetas,
'Cynthia forma potens, Cynthia verba levis.'
Crede mihi, quamvis contemnas murmura famae,
Hic tibi pallori, Cynthia, versus erit.

VI.

Non ita conplebant Ephyreae Laidos aedes,
Ad cuius iacuit Graecia tota fores,
Turba Menandreae fuerat nec Thaidos olim
Tanta, in qua populus lusit Erichthonius,
Nec quae deletas potuit conponere Thebas,
Phryne tam multis facta beata viris.
Quin etiam falsos fingis tibi saepe propinquos,
Oscula nec desunt qui tibi iure ferant.
Me iuvenum pictae facies, me nomina laedunt,
Me tener in cunis et sine voce puer,
Me laedit, si multa tibi dedit oscula mater,
Me soror et cum quae dormit amica simul:
Omnia me laedunt: timidus sum (ignosce timori)
Et miser in tunica suspicor esse virum.
His olim, ut famast, vitiis ad proelia ventumst,
His Troiana vides funera principiis.
Aspera Centauros eadem dementia iussit
Frangere in adversum pocula Pirithoum.
Cur exempla petam Graium? tu criminis auctor,
Nutritus durae, Romule, lacte lupae:
Tu rapere intactas docuisti inpune Sabinas:
Per te nunc Romae quidlibet audet Amor.
Felix Admeti coniunx et lectus Vlixis,
Et quaecumque viri femina limen amat.
Templa Pudicitiae quid opus statuisse puellis,
Si cuivis nuptae quidlibet esse licet?

* * *

Quae manus obscaenas depinxit prima tabellas
Et posuit casta turpia visa domo,
Illa puellarum ingenuos corrupit ocellos
Nequitiaeque suae noluit esse rudes.
A gemat, in terris ista qui protulit arte
Iurgia sub tacita condita laetitia.
Non istis olim variabant tecta figuris:
Tum paries nullo crimine pictus erat.

* * *

Sed non inmerito velavit aranea fanum
Et mala desertos occupat herba deos.

* * *

Quos igitur tibi custodes, quae limina ponam,
Quae numquam supra pes inimicus eat?
Nam nihil invitae tristis custodia prodest:
Quam peccare pudet, Cynthia, tuta sat est.

* * *

Nos uxor numquam, numquam diducet amica:
Semper amica mihi, semper et uxor eris.

VII.

Gavisa es certe sublatam, Cynthia, legem,
Qua quondam edicta flemus uterque diu,
Ni nos divideret. quamvis diducere amantes
Non queat invitos Iuppiter ipse duos.
At magnus Caesar. sed magnus Caesar in armis:
Devictae gentes nil in amore valent.
Nam citius paterer caput hoc discedere collo,
Quam possem nuptae perdere amore faces.
Aut ego transirem tua limina clausa maritus,
Respiciens udis prodita luminibus?
A mea tum quales caneret tibi, Cynthia, somnos
Tibia, funesta tristior illa tuba!

* * *

Vnde mihi Parthis natos praebere triumphis?
Nullus de nostro sanguine miles erit.
†Quod si vera meae comitarent castra puellae,
Non mihi sat magnus Castoris iret equus.
Hinc etenim tantum meruit mea gloria nomen,
Gloria ad hibernos lata Borysthenidas.
Tu mihi sola places: placeam tibi, Cynthia, solus:
Hic erit et patrio sanguine pluris amor.

VIII.

Eripitur nobis iam pridem cara puella:
Et tu me lacrimas fundere, amice, vetas.

Nullae sunt inimicitiae nisi amoris acerbae:
Ipsum me iugula, lenior hostis ero.
Possum ego in alterius positam spectare lacerto?
Nec mea dicetur, quae modo dicta meast?
Magni saepe duces, magni cecidere tyranni,
Et Thebae steterunt altaque Troia fuit.
Omnia vertuntur: certe vertuntur amores:
Vinceris aut vincis, haec in amore rotast.
Munera quanta dedi vel qualia carmina feci!
Illa tamen numquam ferrea dixit Amo.
Ergo tam multos nimium temerarius annos,
Inproba, qum tulerim teque tuamque domum,

* * *

Ecquandone tibi liber sum visus? an usque
In nostrum iacies verba superba caput?

VIII[b].

Sic igitur prima moriere aetate, Properti?
Sed morere, interitu gaudeat illa tuo.
Exagitet nostros Manes, sectetur et umbras,
Insultetque rogis, calcet et ossa mea.
Quid? non Antigonae tumulo Boeotius Haemon
Corruit ipse suo saucius ense latus
Et sua cum miserae permiscuit ossa puellae,
Qua sine Thebanam nollet inire domum?
Sed non effugies: mecum moriaris oportet:
Hoc eodem ferro stillet uterque cruor.
Quamvis ista mihi mors est inhonesta futura,
Mors inhonesta quidem, tu moriere tamen.
Ille etiam abrepta desertus coniuge Achilles
Cessare in thecis pertulit arma sua.
Viderat ille fuga stratos in littore Achivos,
Fervere et Hectorea Dorica castra face,
Viderat informem multa Patroclon arena
Porrectum et sparsas caede iacere comas,
Omnia formosam propter Briseida passus:
Tantus in erepto saevit amore dolor.

At postquam sera captivast reddita poena,
  Fortem idem Haemoniis Hectora traxit equis.
Inferior multo cum sim vel matre vel armis,
  Mirum, si de me iure triumphat Amor?

VIIII.

Iste quod est, ego saepe fui, sed fors et in hora
  Hoc ipso eiecto carior alter erit.
Penelope poterat bis denos salva per annos
  Vivere, tam multis femina digna procis,
Coniugium falsa poterat differre Minerva,
  Nocturno solvens texta diurna dolo,
Visura et quamvis numquam speraret Vlixen,
  Illum expectando facta remansit anus.
Nec non exanimem amplectens Briseis Achillen
  Candida vesana verberat ora manu,
Et dominum lavit maerens captiva cruentum,
  Adpositum flavis in Simoenta vadis,
Foedavitque comas, † et tanti corpus Achilli
  Maximaque in parva sustulit ossa manu,
Cum tibi nec Peleus aderat nec caerula mater,
  Scyria nec viduo Deidamia toro.
Tunc igitur veris gaudebat Graecia natis,
  Tunc etiam felix inter et arma pudor.
At tu non una potuisti nocte vacare,
  Inpia, non unum sola manere diem.
Quin etiam multo duxistis pocula risu:
  Forsitan et de me verba fuere mala.
Hic etiam petitur, qui te prius ante reliquit:
  Di faciant, isto capta fruare viro!
Haec mihi vota tuam propter suscepta salutem,
  Cum capite hoc Stygiae iam poterentur aquae,
Et lectum flentes circum staremus amici?
  Hic ubi tum, pro di, perfida, quisve fuit?
Quid si longinquos retinerer miles ad Indos,
  Aut mea si staret navis in Oceano?
Sed vobis facilest verba et conponere fraudes:

Hoc unum didicit femina semper opus.
Non sic incerto mutantur flamine Syrtes,
Nec folia hiberno tam tremefacta Noto,
Quam cito feminea non constat foedus in ira,
Sive ea causa gravis, sive ea causa levis.
Nunc, quoniam ista tibi placuit sententia, cedam:
Tela, precor, pueri, promite acuta magis,
Figite certantes atque hanc mihi solvite vitam:
Sanguis erit vobis maxima palma meus.

* * *

Sidera sunt testes et matutina pruina
Et furtim misero ianua aperta mihi:
Te nihil in vita nobis acceptius umquam:
Nunc quoque eris, quamvis sis inimica mihi
Nec domina ulla meo ponet vestigia lecto:
Solus ero, quoniam non licet esse tuum.
Atque utinam, si forte pios eduximus annos,
Ille vir in medio fiat amore lapis!

* * *

Non ob regna magis diris cecidere sub armis
Thebani media non sine matre duces.
Quam, mihi si media liceat pugnare puella,
Mortem ego non fugiam morte subire tua.

SEX. PROPERTII

ELEGIARVM

LIBER TERTIVS. [II.]

I [X].

Sed tempus lustrare aliis Helicona choreis,
  Et campum Emathio iam dare tempus equo.
Iam libet et fortes memorare ad proelia turmas
  Et Romana mei dicere castra ducis.
Quod si deficiant vires, audacia certe
  Laus erit: in magnis et voluisse sat est.
Aetas prima canat Veneres, extrema tumultus.
  Bella canam, quando scripta puella meast.
Nunc volo subducto gravior procedere voltu,
  Nunc aliam citharam me mea Musa docet.
Surge, anima, ex humili iam carmine, sumite vires,
  Pierides: magni nunc erit oris opus.
Iam negat Euphrates equitem post terga tueri
  Parthorum et Crassos se tenuisse dolet:
India quin, Auguste, tuo dat colla triumpho,
  Et domus intactae te tremit Arabiae:
Et siqua extremis tellus se subtrahit oris,
  Sentiet illa tuas postmodo capta manus.
Haec ego castra sequar: vates tua castra canendo
  Magnus ero: servent hunc mihi fata diem!

* * *

Vt caput in magnis ubi non est tangere signis,
  Ponitur hic imos ante corona pedes,
Sic nos nunc, inopes laudis conscendere culmen,
  Pauperibus sacris vilia tura damus.

Nondum etenim Ascraeos norunt mea carmina fontes,
Sed modo Permessi flumine lavit Amor.

II [XI].

* * *

Scribant de te alii vel sis ignota licebit:
Laudet, qui sterili semina ponit humo.
Omnia, crede mihi, secum uno munera lecto
Auferet extremi funeris atra dies:
Et tua transibit contemnens ossa viator,
Nec dicet 'cinis hic docta puella fuit.'

III [XII].

Quicumque ille fuit, puerum qui pinxit Amorem,
Nonne putas miras hunc habuisse manus?
Hic primum vidit sine sensu vivere amantes
Et levibus curis magna perire bona.
Idem non frustra ventosas addidit alas,
Fecit et humano corde volare deum;
Scilicet alterna quoniam iactamur in unda,
Nostraque non ullis permanet aura locis:
Et merito hamatis manus est armata sagittis,
Et pharetra ex umero Gnosia utroque iacet;
Ante ferit quoniam, tuti quam cernimus hostem,
Nec quisquam ex illo volnere sanus abit.
In me tela manent, manet et puerilis imago:
Sed certe pennas perdidit ille suas;
Evolat heu nostro quoniam de pectore nusquam
Adsiduusque meo sanguine bella gerit.
Qui tibi iocundumst siccis habitare medullis?
I puer, en, alio traice tela tua!
Intactos isto satius temptare veneno:
Non ego, sed tenuis vapulat umbra mea.
Quam si perdideris, quis erit qui talia cantet
(Haec mea Musa levis gloria magna tuast),

Qui caput et digitos et lumina nigra puellae
Et canat ut soleant molliter ire pedes.

IIII [XIII].

Non tot Achaemeniis armantur Susa sagittis,
Spicula quot nostro pectore fixit Amor.
Hic me tam graciles vetuit contemnere Musas,
Iussit et Ascraeum sic habitare nemus,
Non ut Pieriae quercus mea verba sequantur,
Aut possim Ismaria ducere valle feras,
Sed magis ut nostro stupefiat Cynthia versu:
Tunc ego sim Inachio notior arte Lino.
Non ego sum formae tantum mirator honestae,
Nec siqua inlustres femina iactat avos:
Me iuvet in gremio doctae legisse puellae,
Auribus et puris scripta probasse mea.
Haec ubi contigerint, populi confusa valeto
Fabula: nam domina iudice tutus ero.
Quae si forte bonas ad pacem verterit aures,
Possum inimicitias tunc ego ferre Iovis.

V.

Quandocumque igitur nostros mors claudet ocellos,
Accipe quae serves funeris acta mei.
Nec mea tunc longa spatietur imagine pompa,
Nec tuba sit fati vana querela mei,
Nec mihi tunc fulcro sternatur lectus eburno,
Nec sit in Attalico mors mea nixa toro.
Desit odoriferis ordo mihi lancibus, adsint
Plebei parvae funeris exequiae.
Sat mea sat magnast, si tres sint pompa libelli,
Quos ego Persephonae maxima dona feram.
Tu vero nudum pectus lacerata sequeris,
Nec fueris nomen lassa vocare meum,
Osculaque in gelidis pones suprema labellis,
Cum dabitur Syrio munere plenus onyx.

Deinde, ubi suppositus cinerem me fecerit ardor,
Accipiat Manes parvola testa meos,
Et sit in exiguo laurus super addita busto,
Quae tegat extincti funeris umbra locum,
Et duo sint versus, 'qui nunc iacet horrida pulvis,
Vnius hic quondam servus amoris erat.'
Nec minus haec nostri notescet fama sepulchri,
Quam florent Phthii busta cruenta viri.
Tu quoque si quando venies ad fata, memento
Hoc iter: ad lapides cana veni memores.
Interea cave sis nos aspernata sepultos:
Nonnihil ad verum conscia terra sapit.
Atque utinam primis animam me ponere cunis
Iussisset quaevis de tribus una soror!
Nam quo tam dubiae servetur spiritus horae?
Nestoris est visus post tria saecla cinis:
Cui si longaevae minuisset fata senectae
Gallicus Iliacis miles in aggeribus,
Non aut Antilochi vidisset corpus humari,
Diceret aut 'o mors, cur mihi sera venis?'
Tu tamen amisso non numquam flebis amico:
Fas est praeteritos semper amare viros.
Testis, cui niveum quondam percussit Adonem
Venantem Idalio vertice durus aper:
Illis formosum vocitasse paludibus, illuc
Diceris effusa tu, Venus, isse coma.
Sed frustra mutos revocabis, Cynthia, Manes:
Nam mea quid poterunt ossa minuta loqui?

VI [XIIII].

Non ita Dardanio gavisus Atrida triumphost,
Cum caderent magnae Laomedontis opes,
Nec sic errore exacto laetatus Vlixes,
Cum tetigit carae littora Dulichiae,
Nec sic Electra, salvum cum aspexit Oresten,
Cuius falsa tenens fleverat ossa soror,
Nec sic incolumem Minois Thesea vidit,

Daedalium lino cum duce rexit iter,
Quanta ego praeterita collegi gaudia nocte:
Inmortalis ero, si altera talis erit.
At dum demissis supplex cervicibus ibam,
Dicebar sicco vilior esse lacu.
Nec mihi iam fastus opponere quaerit iniquos,
Nec mihi ploranti lenta sedere potest.
Atque utinam non tam sero mihi nota fuisset
Condicio! cineri nunc medicina datur.
Ante pedes caecis lucebat semita nobis:
Scilicet insano nemo in amore videt.
Hoc sensi prodesse magis: contemnite, amantes:
Sic hodie veniet, siqua negavit heri.
Pulsabant alii frustra dominamque vocabant:
Mecum habuit positum lenta puella caput.
Haec mihi devictis potior victoria Parthis,
Haec spolia, haec reges, haec mihi currus erunt.
Magna ego dona tua figam, Cytherea, columna,
Taleque sub nostro nomine carmen erit:
'Has pono ante tuas tibi, diva, Propertius aedes
Exuvias, tota nocte receptus amans.'
Nunc ad te, mea lux, veniat mea littore navis
Servata: an mediis sidat honusta vadis?
Quod si forte aliqua nobis mutabere culpa,
Vestibulum iaceam mortuus ante tuum.

VII [XV].

O me felicem! o nox mihi candida, et o tu
Lectule deliciis facte beate meis!
Quam multa adposita narramus verba lucerna,
Quantaque sublato lumine rixa fuit!
Nam modo nudatis mecumst luctata papillis,
Interdum tunica duxit operta moram.
Illa meos somno lapsos patefecit ocellos
Ore suo et dixit 'sicine, lente, iaces?'
Quam vario amplexu mutamus brachia! quantum
Oscula sunt labris nostra morata tuis!

Non iuvat in caeco Venerem corrumpere motu:
  Si nescis, oculi sunt in amore duces.
Ipse Paris nuda fertur periisse Lacaena,
  Cum Menelaeo surgeret e thalamo,
Nudus et Endymion Phoebi cepisse sororem
  Dicitur et nudae concubuisse deae.
Quod si pertendens animo vestita cubaris,
  Scissa veste meas experiere manus:
Quin etiam, si me ulterius provexerit ira,
  Ostendes matri brachia laesa tuae.
Necdum inclinatae prohibent te ludere mammae:
  Viderit haec, siquam iam peperisse pudet.
Dum nos fata sinunt, oculos satiemus amore:
  Nox tibi longa venit nec reditura dies.
Atque utinam haerentes sic nos vincire catena
  Velles, ut numquam solveret ulla dies!
Exemplo iunctae tibi sint in amore columbae,
  Masculus et totum femina coniugium.
Errat, qui finem vesani quaerit amoris:
  Verus amor nullum novit habere modum.
Terra prius falso partu deludet arantes,
  Et citius nigros Sol agitabit equos,
Fluminaque ad caput incipient revocare liquores,
  Aridus et sicco gurgite piscis erit,
Quam possim nostros alio transferre dolores:
  Huius ero vivus, mortuus huius ero.
Quod mihi si secum tales concedere noctes
  Illa velit, vitae longus et annus erit:
Si dabit haec multas, fiam inmortalis in illis:
  Nocte una quivis vel deus esse potest.
Qualem si cuncti cuperent decurrere vitam
  Et pressi multo membra iacere mero,
Non ferrum crudele neque esset bellica navis,
  Nec nostra Actiacum verteret ossa mare,
Nec totiens propriis circum oppugnata triumphis
  Lassa foret crines solvere Roma suos.
Haec certe merito poterunt laudare minores:
  Laeserunt nullos pocula nostra deos.

Tu modo, dum licet, o fructum ne desere vitae.
  Omnia si dederis oscula, pauca dabis.
Ac veluti folia arentes liquere corollas,
  Quae passim calathis strata natare vides,
Sic nobis, qui nunc magnum spiramus amantes,
  Forsitan includet crastina fata dies.

VIII [XVI].

Praetor ab Illyricis venit modo, Cynthia, terris,
  Maxima praeda tibi, maxima cura mihi.
Non potuit saxo vitam posuisse Cerauno?
  A Neptune, tibi qualia dona darem!
Nunc sine me plena fiunt convivia mensa,
  Nunc sine me tota ianua nocte patet.
Quare, si sapis, oblatas ne desere messes
  Et stolidum pleno vellere carpe pecus:
Deinde, ubi consumpto restabit munere pauper,
  Dic alias iterum naviget Illyrias.
Cynthia non sequitur fasces nec curat honores,
  Semper amatorum ponderat illa sinus.
At tu nunc nostro, Venus, o succurre dolori,
  Rumpat ut adsiduis membra libidinibus.
Ergo muneribus quivis mercatur amorem?
  Iuppiter, indigna merce puella perit.
Semper in Oceanum mittit me quaerere gemmas
  Et iubet ex ipsa tollere dona Tyro.
Atque utinam Romae nemo esset dives et ipse
  Straminea posset dux habitare casa!
Numquam venales essent ad munus amicae,
  Atque una fieret cana puella domo;
Non quia septenas noctes seiuncta cubaris,
  Candida tam foedo brachia fusa viro,
Non quia peccaris, testor te, sed quia vulgo
  Formosis levitas semper amica fuit.
Barbarus excussis agitat vestigia lumbis
  Et subito felix nunc mea regna tenet.
Aspice quid donis Eriphyla invenit amaris,

Arserit et quantis nupta Creusa malis.
Nullane sedabit nostros iniuria fletus?
An dolor hic vitiis nescit abesse tuis?
Tot iam abiere dies, cum me nec cura theatri
Nec tetigit Campi, nec mea Musa iuvat.
A, pudeat certe, pudeat; nisi forte, quod aiunt,
Turpis amor surdis auribus esse solet.
Cerne ducem, modo qui fremitu conplevit inani
Actia damnatis aequora militibus.
Hunc insanus amor versis dare terga carinis
Iussit et extremo quaerere in orbe fugam.
Caesaris haec virtus et gloria Caesaris haec est:
Illa, qua vicit, condidit arma manu.
Sed quascumque tibi vestes, quoscumque smaragdos,
Quosve dedit flavo lumine chrysolithos,
Haec videam rapidas in vanum ferre procellas,
Quae tibi terra, velim, quae tibi fiat aqua.
Non semper placidus periuros ridet amantes
Iuppiter et surda neglegit aure preces.
Vidistis toto sonitus percurrere caelo
Fulminaque aetheria desiluisse domo:
Non haec Pleiades faciunt neque aquosus Orion,
Nec sic de nihilo numinis ira calet:
Periuras tunc ille solet punire puellas,
Deceptus quoniam flevit et ipse, deus.
Quare ne tibi sit tanti Sidonia vestis,
Vt timeas, quotiens nubilus Auster erit.

VIIII [XVII].

Mentiri noctem, promissis ducere amantem,
Hoc erit infectas sanguine habere manus.
Horum ego sum vates, quotiens desertus amaras
Explevi noctes, stratus utroque toro.
Vel tu Tantalea moveare ad flumina sorte,
Vt liquor arenti fallat ab ore sitim,
Vel tu Sisyphios licet admirere labores,
Difficile ut toto monte volutet onus:

Durius in terris nihil est quod vivat amante,
  Nec, modo si sapias, quod minus esse velis.
Quem modo felicem invidia admirante ferebant,
  Nunc decimo admittor vix ego quoque die.
Nunc iacere e duro corpus iuvat, inpia, saxo,
  Sumere et in nostras trita venena manus:
Nec licet in triviis sicca requiescere luna
  Aut per rimosas mittere verba fores.
Quod quamvis ita sit, dominam mutare cavebo:
  Tum flebit, cum in me senserit esse fidem.

X [XVIIII].

Adsiduae multis odium peperere querelae:
  Frangitur in tacito femina saepe viro.
Siquid vidisti, semper vidisse negato:
  Aut siquid doluit forte, dolere nega.
Quid mea si canis aetas candesceret annis,
  Et faceret scissas languida ruga genas?
At non Tithoni spernens Aurora senectam
  Desertum Eoa passa iacere domost:
Illum saepe suis decedens fovit in ulnis,
  Quam prius adiunctos sedula lavit equos:
Illum ad vicinos cum amplexa quiesceret Indos,
  Maturos iterumst questa redire dies.
Illa deos currum conscendens dixit iniquos,
  Invitum et terris praestitit officium;
Cui maiora senis Tithoni gaudia vivi,
  Quam gravis amisso Memnone luctus erat.
Cum sene non puduit talem dormire puellam
  Et canae totiens oscula ferre comae.
At tu etiam iuvenem odisti me, perfida, cum sis
  Ipsa anus haud longa curva futura die.
Quin ego deminuo curam, quod saepe Cupido
  Huic malus esse solet, cui bonus ante fuit.

XI [XVIII b.]

Nunc etiam infectos demens imitare Britannos,
  Ludis et externo tincta nitore caput?
Vt natura dedit, sic omnis recta figurast:
  Turpis Romano Belgicus ore color.
Illi sub terris fiant mala multa puellae,
  Quae mentita suas vertit inepta comas.
De me, mi certe poteris formosa videri;
  Mi formosa sat es, si modo saepe venis.
An si caeruleo quaedam sua tempora fuco
  Tinxerit, idcirco caerula forma bonast?
Cum tibi nec frater nec sit tibi filius ullus,
  Frater ego et tibi sim filius unus ego.
Ipse tuus semper tibi sit custodia lectus,
  Nec nimis ornata fronte sedere velis.
Credam ego narranti, noli conmittere, famae:
  Et terram rumor transilit et maria.

XII [XVIIII].

Etsi me invito discedis, Cynthia, Roma,
  Laetor quod sine me devia rura coles.
Nullus erit castis iuvenis corruptor in agris,
  Qui te blanditiis non sinat esse probam;
Nulla neque ante tuas orietur rixa fenestras,
  Nec tibi clamatae somnus amarus erit.
Sola eris et solos spectabis, Cynthia, montes
  Et pecus et fines pauperis agricolae.
Illic te nulli poterunt corrumpere ludi
  Fanaque peccatis plurima causa tuis:
Illic adsidue tauros spectabis arantes
  Et vitem docta ponere falce comas,
Atque ibi rara feres inculto tura sacello,
  Haedus ubi agrestes corruet ante focos,
Protinus et nuda choreas imitabere sura;
  Omnia ab externo sint modo tuta viro.
Ipse ego venabor: iam nunc me sacra Dianae

Suscipere et Veneri ponere vota iuvat:
Incipiam captare feras et reddere pinu
Cornua et audaces ipse monere canes;
Non tamen ut vastos ausim temptare leones
Aut celer agrestes comminus ire sues.
Haec igitur mihi sit lepores audacia molles
Excipere et stricto figere avem calamo,
Qua formosa suo Clitumnus flumina luco
Integit et niveos abluit unda boves.
Tu quotiens aliquid conabere, vita, memento
Venturum paucis me tibi Luciferis.
Sic me nec solae poterunt avertere silvae
Nec vaga muscosis flumina fusa iugis,
Quin ego in adsidua mutem tua nomina lingua,
Absenti nemo ne nocuisse velit.

XIII [XX].

Quid fles abducta gravius Briseide? quid fles
Anxia captiva tristius Andromacha?
Quidve mea de fraude deos, insana, fatigas?
Quid quereris nostram sic cecidisse fidem?
Non tam nocturna volucris funesta querela
Attica Cecropiis obstrepit in foliis,
Nec tantum Niobae bis sex ad busta superbae
Sollicito lacrimae defluit a Sipylo.
Me licet aeratis astringant brachia nodis,
Sint mea vel Danaes condita membra domo,
In te ego et aeratas rumpam, mea vita, catenas,
Ferratam Danaes transiliamque domum.
De te quodcumque ad surdas mihi dicitur aures:
Tu modo ne dubita de gravitate mea.
Ossa tibi iuro per matris et ossa parentis
(Si fallo, cinis heu sit mihi uterque gravis!)
Me tibi ad extremas mansurum, vita, tenebras:
Ambos una fides auferet, una dies.
Quod si nec nomen nec me tua forma teneret,
Posset servitium mite tenere tuum.

Septima iam plenae deducitur orbita lunae,
Cum de me et de te compita nulla tacent:
Interea nobis non numquam ianua mollis,
Non numquam lecti copia facta tui.
Nec mihi muneribus nox ullast empta beatis:
Quidquid eram, hoc animi gratia magna tui.
Cum te tam multi peterent, tu me una petisti:
Possum ego naturae non meminisse tuae?
Tum me vel tragicae vexetis Erinyes et me
Inferno damnes, Aeace, iudicio,
Atque inter Tityi volucres mea poena vagetur,
Tumque ego Sisyphio saxa labore geram.
Nec tu supplicibus me sis venerata tabellis:
Vltima talis erit, quae mea prima fides.
Hoc mihi perpetuo ius est, quod solus amator
Nec cito desisto nec temere incipio.

XIIII [XXI].

A quantum de me Panthi tibi pagina finxit,
Tantum illi Pantho ne sit amica Venus!
Sed tibi iam videor Dodona verior augur?
Vxorem ille tuus pulcher amator habet.
Tot noctes periere: nihil pudet? aspice, cantat
Liber: tu nimium credula sola iaces.
Et nunc inter eos tu sermo's, te ille superbus
Dicit se invito saepe fuisse domi.
Dispeream, si quicquam aliud quam gloria de te
Quaeritur: has laudes ille maritus habet.
Colchida sic hospes quondam decepit Iason:
Eiectae tenuit namque Creusa domum.
Sic a Dulichio iuvenest elusa Calypso:
Vidit amatorem pandere vela suum.
A nimium faciles aurem praebere puellae,
Discite desertae non temere esse bonae.
Hinc quoque qui restat? iam pridem quaeritur alter:
Experta in primo, stulta, cavere potes.

Nos quocumque loco, nos omni tempore tecum
  Sive aegra pariter sive valente sumus.

XV [XXII].

Scis here mi multas pariter placuisse puellas,
  Scis mihi, Demophoon, multa venire mala.
Nulla meis frustra lustrantur compita plantis,
  O nimis exitio nata theatra meo,
Sive aliquis molli diducit candida gestu
  Brachia seu varios incinit ore modos!
Interea nostri quaerunt sibi volnus ocelli,
  Candida non tecto pectore siqua sedet,
Sive vagi crines puris in frontibus errant,
  Indica quos medio vertice gemma tenet.
Quae si forte aliquid voltu mihi dura negarat,
  Frigida de tota fronte cadebat aqua.
Quaeris, Demophoon, cur sim tam mollis in omnes?
  Quod quaeris, curae non habet ullus amor.
Cur aliquis sacris laniat sua brachia cultris,
  Et Phrygis insanos caeditur ad numeros?
Vnicuique dedit vitium natura creato:
  Mi fortuna aliquid semper amare dedit:
Me licet et Thamyrae cantoris fata sequantur,
  Numquam ad formosas, invide, caecus ero.
Sed tibi si exiles videor tenuatus in artus,
  Falleris: haut umquamst culta labore Venus.
Percunctere licet: saepest experta puella
  Officium tota nocte valere meum.
Iuppiter Alcmenae geminas requieverat Arctos,
  Et caelum noctu bis sine rege fuit,
Nec tamen idcirco languens ad fulmina venit:
  Nullus amor vires eripit ipse suas.
Quid? cum e conplexu Briseidos iret Achilles,
  Num fugere minus Thessala tela Phryges?
Quid? ferus Andromachae lecto cum surgeret Hector,
  Bella Mycenaeae non timuere rates?

Ille vel hic classes poterat vel perdere muros.
Hic ego Pelides, hic ferus Hector ego.
Aspice, uti caelo modo sol modo luna ministret:
Sic etiam nobis una puella parumst.
Altera me cupidis teneat foveatque lacertis,
Altera si quando non sinit esse locum,
Aut si forte irata meo sit facta ministro,
Vt sciat esse aliam, quae velit esse mea.
Nam melius duo defendunt retinacula navim,
Tutius et geminos anxia mater alit.

XVI [XXIIb].

Aut si es dura, nega: sin es non dura, venito.
Quid iuvat a, nullo ponere verba loco?
Hic unus dolor est ex omnibus acer amanti,
Speranti subito siqua venire negat.
Quanta illum toto versant suspiria lecto,
Cum recipi, quem non noverit illa, putat.
Et rursus puerum quaerendo audita fatigat,
Quem, quae scire timet, quaerere plura iubet.

* * *

XVII [XXIIII].

Cui fuit indocti fugienda haec semita volgi,
Ipsa petita lacu nunc mihi dulcis aquast.
Ingenuus quisquam alterius dat munera servo,
Vt promissa suae verba ferat dominae?
Et quaerit totiens 'quaenam nunc porticus illam
Integit?' et 'campo quo movet illa pedes?'
Deinde, ubi pertuleris, quos dicit fama, labores
Herculis, ut scribat 'muneris ecquid habes?'
Cernere uti possis voltum custodis amari,
Captus et inmunda saepe latere casa?
Quam care semel in toto nox vertitur anno!
A pereant, siquos ianua clausa iuvat!
Contra, reiecto quae libera vadit amictu,

Custodum et nullo saepta timore, placet.
Cui saepe inmundo Sacra conteritur Via socco,
Nec sinit esse moram, siquis adire velit.
Differet haec numquam nec poscet garrula, quod te
Astrictus ploret saepe dedisse pater,
Nec dicet 'timeo, propera iam surgere, quaeso:
Infelix, hodie vir mihi rure venit.'
Et quas Euphrates et quas mihi misit Orontes,
Me iuerint: nolim furta pudica tori;
Libertas quoniam nulli iam restat amanti:
[Nullus liber erit, siquis amare volet].

XVIII [XXIIII].

'Tu loqueris, cum sis iam noto fabula libro
Et tua sit toto Cynthia lecta foro:
Cui non his verbis aspergat tempora sudor?
Haut pudor ingenuis, haut reticendus amor.'
Quod si tam facilis spiraret Cynthia nobis,
Non ego nequitiae dicerer esse caput,
Nec sic per totam infamis traducerer urbem,
Vrerer et quamvis, nomine verba darem.
Quare ne tibi sit mirum me quaerere viles:
Parcius infamant: num tibi causa levis?
Et modo pavonis caudae flabella superbae
Et manibus dura frigus habere pila
Et cupit iratum talos me poscere eburnos,
Quaeque nitent Sacra vilia dona Via.
A peream, si me ista movent dispendia: sed me
Fallaci dominae am pudet esse iocum.

XVIIII.

Hoc erat in primis quod me gaudere iubebas?
Tam te formosam non pudet esse levem?
Vna aut altera nox nondumst in amore peracta,
Et dicor lecto iam gravis esse tuo.
Me modo laudabas et carmina nostra legebas:

Ille tuus pennas tam cito vertit amor?

* * *

Contendat mecum ingenio, contendat et arte,
In primis una discat amare domo:
Si libitum tibi erit, Lernaeas pugnet ad hydras
Et tibi ab Hesperio mala dracone ferat,
Trita venena libens et naufragus ebibat undas
Et numquam pro te deneget esse miser
(Quos utinam in nobis, vita, experiare labores!):
Iam tibi de timidis iste superbus erit,
Qui nunc se in tumidum iactando venit honorem:
Discidium vobis proximus annus erit.
At me non aetas mutabit tota Sibyllae,
Non labor Alcidae, non niger ille dies.
Tu mea conpones et dices 'ossa, Properti,
Haec tua sunt: eheu tu mihi certus eras,
Certus eras eheu, quamvis nec sanguine avito
Nobilis et quamvis haut ita dives eras.'
Nil ego non patiar, numquam me iniuria mutat:
Ferre ego formosam nullum onus esse puto.
Credo ego non paucos ista periisse figura,
Credo ego sed multos non habuisse fidem.
Parvo dilexit spatio Minoida Theseus,
Phyllida Demophoon, hospes uterque malus.
Iam tibi Iasonia notast Medea carina
Et modo servato sola relicta viro.
Durast, quae multis simulatum fingit amorem,
Et se plus uni siqua parare potest.
Noli nobilibus, noli conferre beatis:
Vix venit, extremo qui legat ossa die;
Ni tibi nos erimus: sed tu potius precor ut me
Demissis plangas pectora nuda comis.

XX [XXV].

Vnica nata meo pulcherrima cura dolori,
Excludit quoniam sors mea 'saepe veni',
Ista meis fiet notissima forma libellis,

Calve, tua venia, pace, Catulle, tua.
Miles depositis annosus secubat armis,
Grandaevique negant ducere aratra boves,
Putris et in vacua requiescit navis arena,
Et vetus in templo bellica parma vacat:
At me ab amore tuo diducet nulla senectus,
Sive ego Tithonus sive ego Nestor ero.
Nonne fuit satius duro servire tyranno
Et gemere in tauro, saeve Perille, tuo?
Gorgonis et satius fuit obdurescere vultu?
Caucasias etiam si pateremur aves?
Sed tamen obsistam. teritur rubigine mucro
Ferreus et parvo saepe liquore silex:
At nullo dominae teritur molimine amator:
Restat et inmerita sustinet aure minas.
Vltro contemptus rogat et peccasse fatetur
Laesus et invitis ipse redit pedibus.
Tu quoque, qui pleno fastus adsumis amore,
Credule, nulla diu femina pondus habet.
An quisquam in mediis persolvit vota procellis,
Cum saepe in portu fracta carina natet?
Aut prius infecto deposcit praemia cursu,
Septima quam metam triverit ante rota?
Mendaces ludunt flatus in amore secundi:
Siqua venit sero, magna ruina venit.
Tu tamen interea, quamvis te diligat illa,
In tacito cohibe gaudia clausa sinu.
Namque in amore suo semper sua maxima cuique
Nescioquo pacto verba nocere solent.
Quamvis te persaepe vocet, semel ire memento:
Invidiam quod habet, non solet esse diu.
At si saecla forent antiquis † grata puellis,
Essem ego, quod nunc tu: tempore vincor ego.
Non tamen ista meos mutabunt saecula mores:
Vnus quisque sua noverit ire via.
At vos, qui officia in multos revocat
Quantum sic cruciat lumina vestra
Vidistis pleno teneram candore puell

Vidistis fuscam, ducit uterque color:
Vidistis quandam Argiva prodire figura,
Vidistis nostras, utraque forma rapit:
Illaque plebeio vel sit sandycis amictu,
Haec atque illa mali vulneris una viast;
Cum satis una tuis insomnia portet ocellis,
Vna sit et cuivis femina multa mala.

XXI [XXVI].

Vidi te in somnis fracta, mea vita, carina
Ionio lassas ducere rore manus,
Et quaecumque in me fueras mentita fateri,
Nec iam umore graves tollere posse comas,
Qualem purpureis agitatam fluctibus Hellen,
Aurea quam molli tergore vexit ovis.
Quam timui, ne forte tuum mare nomen haberet,
Atque tua labens navita fleret aqua!
Quae tum ego Neptuno, quae tum cum Castore fratri,
10 Quaeque tibi excepi tum, dea Leucothoe!
13 Quod si forte tuos vidisset Glaucus ocellos,
Esses Ionii facta puella maris,
15 Et tibi ob invidiam Nereides increpitarent,
Candida Nesaee, caerula Cymothoe.
Sed tibi subsidio delphinum currere vidi,
Qui, puto, Arioniam vexerat ante lyram.
11 At tu, vix primas extollens gurgite palmas,
12 Saepe meum nomen iam peritura vocas.
19 Iamque ego conabar summo me mittere saxo,
20 Cum mihi discussit talia visa metus.

XXII.

Nunc admirentur quod tam mihi pulchra puella
Serviat et tota dicar in urbe potens.
Non, si iam Gygae redeant et flumina Croesi,
Dicat 'de nostro surge, poeta, toro.'

Nam mea cum recitat, dicit se odisse beatos:
Carmina tam sancte nulla puella colit.
Multum in amore fides, multum constantia prodest:
Qui dare multa potest, multa et amare potest.
Seu mare per longum mea cogitet ire puella,
Hanc sequar et fidos una aget aura duos.
Vnum litus erit sopitis unaque tecto
Arbor, et ex una saepe bibemus aqua,
Et tabula una duos poterit conponere amantes,
Prora cubile mihi seu mihi puppis erit.
Omnia perpetiar: saevus licet urgeat Eurus
Velaque in incertum frigidus Auster agat,
Quicumque et venti miserum vexastis Vlixen
Et Danaum Euboico littore mille rates,
Et qui movistis duo † littora, cum rudis Argus
Dux erat ignoto missa columba mari.
Illa meis tantum non umquam desit ocellis,
Incendat navem Iuppiter ipse licet.
Certe isdem nudi pariter iactabimur oris:
Me licet unda ferat, te modo terra tegat.
Sed non Neptunus tanto crudelis amori,
Neptunus fratri par in amore Iovi.
Testis Amymone, latices cum ferret, in Argis
Conpressa et Lernae pulsa tridente palus.
Iam deus amplexu votum persolvit, at illi
Aurea divinas urna profudit aquas.
Crudelem et Borean rapta Orithyia negavit:
Hic deus et terras et maria alta domat.
Crede mihi, nobis mitescet Scylla nec umquam
Alternante vacans vasta Charybdis aqua,
Ipsaque sidera erunt nullis obscura tenebris:
Purus et Orion, purus et Haedus erit.
Quod mihi si ponenda tuo sit corpore vita,
Exitus hic nobis non inhonestus erit.

XXIII [XXVII].

Et vos incertam, mortales, funeris horam
Quaeritis, et qua sit mors aditura via,
Quaeritis et caelo, Phoenicum inventa, sereno,
Quae sit stella homini commoda quaeque mala,
Seu pedibus Parthos sequitur seu classe Britannos,
Et maris et terrae caeca pericla viae;
Rursus et obiectum fletis caput esse tumultu,
Cum Mavors dubias miscet utrimque manus;
Praeterea domibus flammam metuisque ruinas,
Neu subeant labris pocula nigra tuis.
Solus amans novit, quando periturus et a qua
Morte, neque hic Boreae flabra neque arma timet.
Iam licet et Stygia sedeat sub arundine remex,
Cernat et infernae tristia vela ratis:
Si modo damnatum revocaverit aura puellae,
Concessum nulla lege redibit iter.

XXIIII [XXVIII].

Iuppiter, adfectae tandem miserere puellae:
Tam formosa tuum mortua crimen erit.
Venit enim tempus, quo torridus aestuat aer,
Incipit et sicco fervere terra Cane.
Sed non tam ardoris culpast neque crimina caeli,
Quam totiens sanctos non habuisse deos.
Hoc perdit miseras, hoc perdidit ante puellas:
Quidquid iurarunt, ventus et unda rapit.
Num sibi collatam doluit Venus ipsa paremque?
Per se formosis invidiosa deast.
An contempta tibi Iunonis templa Pelasgae?
Palladis aut oculos ausa negare bonos?
Semper, formosae, non nostis parcere verbis.
Hoc tibi lingua nocens, hoc tibi forma dedit.
Sed tibi vexatae per multa pericula vitae
Extremo veniet mollior hora die.
Io versa caput primos mugiverat annos:

Nunc dea, quae Nili flumina vacca bibit.
Ino etiam prima Thebis aetate fugatast:
Hanc miser inplorat navita Leucothoen.
Andromede monstris fuerat devota marinis:
Haec eadem Persei nobilis uxor erat.
Callisto Arcadios erraverat ursa per agros:
Haec nocturna suo sidere vela regit.
Quod si forte tibi properarint fata quietem,
Illa sepulturae fata beata tuae.
Narrabis Semelae, quo sit formosa periclo,
Credet et illa, suo docta puella malo;
Et tibi Maeonias inter heroidas omnes
Primus erit nulla non tribuente locus.
Nunc, utcumque potes, fato gere saucia morem:
Et deus et durus vertitur ipse dies.
Hoc tibi vel poterit, coniunx, ignoscere Iuno:
Frangitur et Iuno, siqua puella perit.

XXV.

Deficiunt magico torti sub carmine rhombi,
Et iacet extincto laurus adusta foco,
Et iam Luna negat totiens descendere caelo,
Nigraque funestum concinit omen avis.
Vna ratis fati nostros portabit amores
Caerula ad infernos velificata lacus.
Si non unius, quaeso, miserere duorum.
Vivam, si vivet: si cadet illa, cadam.
Pro quibus optatis sacro me carmine damno:
Scribam ego 'per magnum salva puella Iovem;'
Ante tuosque pedes illa ipsa adoperta sedebit,
Narrabitque sedens longa pericla sua.

XXVI.

Haec tua, Persephone, maneat clementia, nec tu,
Persephonae coniunx, saevior esse velis.
Sunt apud infernos tot milia formosarum:

Pulchra sit in superis, si licet, una locis.
Vobiscumst Iope, vobiscum candida Tyro,
Vobiscum Europe nec proba Pasiphae,
Et quot Troia tulit vetus et quot Achaia formas,
Et Thebe et Priami diruta regna senis:
Et quaecumque erat in numero Romana puella,
Occidit: has omnes ignis avarus habet.
Nec forma aeternum aut cuiquamst fortuna perennis:
Longius aut propius mors sua quemque manet.
Tu quoniam es, mea lux, magno dimissa periclo,
Munera Dianae debita redde choros,
Redde etiam excubias divae nunc, ante iuvencae,
Votivas noctes et mihi solve decem.

XXVII [XXVIIII].

Extrema, mea lux, cum potus nocte vagarer,
Nec me servorum duceret ulla manus,
Obvia, nescioquot pueri, mihi turba minuta
Venerat (hos vetuit me numerare timor),
Quorum alii faculas, alii retinere sagittas,
Pars etiam visast vincla parare mihi.
Sed nudi fuerunt. quorum lascivior unus,
'Arripite hunc,' inquit, 'nam bene nostis eum:
Hic erat, hunc mulier nobis irata locavit.'
Dixit, et in collo iam mihi nodus erat.
Hic alter iubet in medium propellere, et alter,
'Intereat, qui nos non putat esse deos!
Haec te non meritum totas expectat in horas:
At tu nescioquas quaeris, inepte, foris.
Quae cum Sidoniae nocturna ligamina mitrae
Solverit atque oculos moverit illa graves,
Adflabunt tibi non Arabum de gramine odores,
Sed quos ipse suis fecit Amor manibus.
Parcite iam, fratres, iam certos spondet amores,
Et iam ad mandatam venimus ecce domum.'
Atque ita mi iniecto dixerunt rursus amictu

'I nunc et noctes disce manere domi.'
Mane erat, et volui, si sola quiesceret illa,
Visere: et in lecto Cynthia sola fuit.
Obstupui: non illa mihi formosior umquam
Visa, neque ostrina cum fuit in tunica,
Ibat et hinc castae narratum somnia Vestae,
Neu sibi neve mihi quae nocitura forent:
Talis visa mihi somno dimissa recenti.
En quantum per se candida forma valet!
'Quo tu matutinus' ait 'speculator amicae?
Me similem vestris moribus esse putas?
Non ego tam facilis: sat erit mihi cognitus unus,
Vel tu vel siquis verior esse potest.
Apparent non ulla toro vestigia presso,
Signa voluptatis, nec iacuisse duos.
Aspice, ut in toto nullus mihi corpore surgat
Spiritus admisso notus adulterio.'
Dixit, et opposita propellens savia dextra
Prosilit in laxa nixa pedem solea.
Sic ego tam sancti custodi excludor amoris:
Ex illo felix nox mihi nulla fuit.

XXVIIII [XXX].

Quo fugis a demens? nullast fuga: tu licet usque
Ad Tanain fugias, usque sequetur Amor.
Non si Pegaseo vecteris in aere dorso,
Nec tibi si Persei moverit ala pedes,
Vel si te sectae rapiant talaribus aurae,
Nil tibi Mercurii proderit alta via.
Instat semper Amor supra caput, instat amanti,
Et gravis ipse super libera colla sedet.
Excubat ille acer custos et tollere numquam
Te patietur humo lumina capta semel.
Et, iam si pecces, deus exorabilis illest,
Si modo praesentes viderit esse preces.
Ista senes licet accusent convivia duri:
Nos modo propositum, vita, teramus iter.

Illorum antiquis onerentur legibus aures:
Hic locus est, in quo, tibia docta, sones,
Quae non iure vado Maeandri iacta natasti,
Turpia cum faceret Palladis ora tumor.
Num iam, dure, paras Phrygias nunc ire per undas
Et petere Hyrcani littora Eoa maris,
Spargere et alterna communes caede Penates
Et ferre ad patrios praemia dira Lares?
Vna contentum pudeat me vivere amica?
Hoc si crimen erit, crimen Amoris erit:
Mi nemo obiciat. libeat tibi, Cynthia, mecum
Roscida muscosis antra tenere iugis.
Illic aspicies scopulis haerere sorores
Et canere antiqui dulcia furta Iovis,
Vt Semelast combustus, ut est deperditus Io,
Denique ut ad Troiae tecta volarit avis.
Quod si nemo extat, qui vicerit alitis arma,
Communis culpae cur reus unus agor?
Nec tu virginibus reverentia moveris ora:
Hic quoque non nescit quid sit amare chorus;
Si tamen Oeagri quaedam conpressa figura
Bistoniis olim rupibus accubuit.
Hic ubi me prima statuent in parte choreae,
Et medius docta cuspide Bacchus erit,
Tum capiti sacros patiar pendere corymbos:
Nam sine te nostrum non valet ingenium.

XXVIIII [XXXI].

Quaeris, cur veniam tibi tardior. aurea Phoebi
Porticus a magno Caesare aperta fuit.
Tota erat in speciem Poenis digesta columnis,
Inter quas Danai femina turba senis.
Hic equidem Phoebo visus mihi pulchrior ipso
Marmoreus tacita carmen hiare lyra:
Atque aram circum steterant armenta Myronis,
Quattuor artifices, vivida signa, boves.
Tum medium claro surgebat marmore templum

Et patria Phoebo carius Ortygia.
In quo Solis erat supra fastigia currus,
Et valvae, Libyci nobile dentis opus,
Altera deiectos Parnasi vertice Gallos,
Altera maerebat funera Tantalidos.
Deinde inter matrem deus ipse interque sororem
Pythius in longa carmina veste sonat.

XXX [XXXII].

Qui videt, is peccat: qui te non viderit ergo,
Non cupiet: facti lumina crimen habent.
Nam quid Praenesti dubias, o Cynthia, sortes,
Quid petis Aeaei moenia Telegoni?
Cur aut te Herculeum deportant esseda Tibur?
Appia cur totiens te via ducit anus?
Hoc utinam spatiere loco, quodcumque vacabis,
Cynthia! nam tibi me credere turba vetat,
Cum videt accensis devotam currere taedis
In nemus et Triviae lumina ferre deae.
Scilicet umbrosis sordet Pompeia columnis
Porticus, aulaeis nobilis Attalicis,
Et creber platanis pariter surgentibus ordo,
Flumina sopito quaeque Anione cadunt,
Tot leviter lymphis tota crepitantibus urbe
Cum subito Triton ore recondit aquam.
Falleris, ista tui furtum via monstrat amoris:
Non urbem, demens, lumina nostra fugis:
Nil agis, insidias in me conponis inanes,
Tendis iners docto retia nota mihi.
Sed de me minus est: famae iactura pudicae
Tanta tibi miserae, quanta mereris, erit.
Nuper enim de te nostras † me laedit ad aures
Rumor, et in tota non bonus urbe fuit.
Sed tu non debes inimicae credere linguae:
Semper formosis fabula poena fuit.
Non tua deprenso damnatast fama veneno:
Testis eris puras, Phoebe, videre manus.

Sin autem longo nox una aut altera lusu
Consumptast, non me crimina parva movent.
Tyndaris externo patriam mutavit amore
Et sine decreto viva reducta domumst.
Ipsa Venus, quamvis corrupta libidine Martis,
Nec minus in caelo semper honesta fuit,
Quamvis Ida palam pastorem dicat amasse
Atque inter pecudes accubuisse deam.
Hoc et Hamadryadum spectavit turba sororum
Silenique senes et pater ipse chori,
Cum quibus Idaeo legisti poma sub antro,
Supposita excipiens Naica dona manu.
An quisquam in tanto stuprorum examine quaerit
'Cur haec tam dives? quis dedit? unde dedit?'
O nimium nostro felicem tempore Romam,
Si contra mores una puella facit!
Haec eadem ante illam inpune et Lesbia fecit:
Quae sequitur, certest invidiosa minus.
Qui quaerit Latias veteres durasque Sabinas,
Hic posuit nostra nuper in urbe pedem.
Tu prius et fluctus poteris siccare marinos
Altaque mortali deripere astra manu,
Quam facere, ut nostrae nolint peccare puellae:
Hic mos Saturno regna tenente fuit.
At cum Deucalionis aquae fluxere per orbem,
Et post antiqui Deucalionis aquas,
Dic mihi, quis potuit lectum servare pudicum,
Quae dea cum solo vivere sola deo?
Vxorem quondam magni Minois, ut aiunt,
Corrupit torvi candida forma bovis.
Nec minus aerato Danae circumdata muro
Non potuit magno casta negare Iovi.
Quod si tu Graias aequesque imitata Latinas,
Semper vive meo libera iudicio.

XXXI [XXXIII].

Tristia iam redeunt iterum sollemnia nobis:
Cynthia iam noctes est operata decem.

Atque utinam pereat, Nilo quae sacra tepente
  Misit matronis Inachis Ausoniis!
Quae dea tam cupidos totiens divisit amantes?
  Quaecumque illa fuit, semper amara fuit.
Tu certe Iovis occultis in amoribus, Io,
  Sensisti, multas quid sit inire vias,
Cum te iussit habere puellam cornua Iuno
  Et pecoris duro perdere verba sono.
A quotiens quernis laesisti frondibus ora!
  Mansisti stabulis abdita pasta tuis.
An, quoniam agrestem detraxit ab ore figuram
  Iuppiter, idcirco facta superba dea's?
An tibi non satis est fuscis Aegyptus alumnis?
  Cur tibi tam longa Roma petita via?
Quidve tibi prodest viduas dormire puellas?
  Sed tibi, crede mihi, cornua rursus erunt,
Aut nos e nostra te, saeva, fugabimus urbe:
  Cum Tiberi Nilo gratia nulla fuit.
At tu, quae nostro nimium placata dolore's,
  Noctibus his vacui ter faciamus iter.
Non audis et verba sinis mea ludere, cum iam
  Flectant Icarii sidera tarda boves.
Lenta bibis: mediae nequeunt te frangere noctes.
  An nondumst talos mittere lassa manus?
A pereat, quicumque meracas repperit uvas
  Corrupitque bonas nectare primus aquas!
Icare Cecropiis merito iugulate colonis,
  Pampineus nosti quam sit amarus odor.
Tuque o Eurytion vino Centaure peristi,
  Nec non Ismario tu, Polypheme, mero.
Vino forma perit, vino corrumpitur aetas,
  Vino saepe suum nescit amica virum.
Me miserum, ut multo nihil est mutata Lyaeo!
  Iam bibe: formosa's: nil tibi vina nocent,
Cum tua praependent demissae in pocula sertae
  Et mea deducta carmina voce legis.
Largius effuso madeat tibi mensa Falerno,
  Spumet et aurato mollius in calice.

Nulla tamen lecto recipit se sola libenter:
  Est quiddam, quod vos quaerere cogat Amor.
Semper in absentes felicior aestus amantes:
  Elevat adsiduos copia longa viros.

XXXII [XXXIIII].

Cur quisquam faciem dominae iam credit amico?
  Sic erepta mihi paene puella meast.
Expertus dico, nemost in amore fidelis:
  Formosam raro non sibi quisque petit.
Polluit ille deus cognatos, solvit amicos,
  Et bene concordes tristia ad arma vocat.
Tros et in hospitium Menelao venit adulter:
  Colchis et ignotum nonne secuta virumst?
Lynceu, tune meam potuisti, perfide, curam
  Tangere? nonne tuae tum cecidere manus?
Quid si non constans illa et tam certa fuisset?
  Posses in tanto vivere flagitio?
Tu mihi vel ferro pectus vel perde veneno:
  A domina tantum te modo tolle mea.
Te socium vitae, te corporis esse licebit,
  Te dominum admitto rebus, amice, meis:
Lecto te solum, lecto te deprecor uno:
  Rivalem possum non ego ferre Iovem.
Ipse meas solus, quod nil est, aemulor umbras,
  Stultus, quod nullo saepe timore tremo.
Vna tamen causast, cur crimina tanta remitto,
  Errabant multo quod tua verba mero.
Sed numquam vitae fallet me ruga severae:
  Omnes iam norunt, quam sit amare bonum.
Lynceus ipse meus seros insanit amores.
  Solum te nostros laetor adire deos.
Quid tua Socraticis tibi nunc sapientia libris
  Proderit aut rerum dicere posse vias?
Aut quid epe Chii tibi prosunt carmina lecta?
  Nil iuvat in magno vester amore senex.
Tu satius memorem lusus imitere Philetan

Et non inflati somnia Callimachi.
Nam cursus licet Aetoli referas Acheloi,
Fluxerit ut magno tactus amore liquor,
Atque etiam ut Phrygio fallax Maeandria campo
Errat et ipsa suas decipit unda vias,
Qualis et Adrasti fuerit vocalis Arion,
Tristis ad Archemori funera victor equos:
Non prosint tibi quadrigae fata Amphiareae
Aut Capanei magno grata ruina Iovi.
Desine et Aeschyleo conponere verba cothurno,
Desine, et ad molles membra resolve choros.
Incipe iam angusto versus incudere torno,
Inque tuos ignes, dure poeta, veni.
Tu non Antimacho, non tutior ibis Homero:
Despicit et magnos recta puella deos.
Harum nulla solet rationem quaerere mundi, 51
Nec cur fraternis Luna laboret equis,
Nec si post Stygias aliquid restabimus undas,
Nec si consulto fulmina missa tonent. 54
Sed non ante gravi taurus succumbit aratro, 47
Cornua quam validis haeserit in laqueis,
Nec tu tam duros per te patieris amores:
Trux tamen a nobis ante domandus eris.
Aspice me, cui parva domi fortuna relictast,
Nullus et antiquo Marte triumphus avi,
Vt regnem mixtas inter conviva puellas
Hoc ego, quo tibi nunc elevor, ingenio.
Me iuvet hesternis positum languere corollis,
Quem tetigit iactu certus ad ossa deus,
Actia Vergilium custodis littora Phoebi,
Caesaris et fortes dicere posse rates,
Qui nunc Aeneae Troiani suscitat arma
Iactaque Lavinis moenia littoribus.
Cedite Romani scriptores, cedite Grai:
Nescioquid maius nascitur Iliade.
Tu canis umbrosi subter pineta Galaesi
Thyrsin et attritis Daphnin harundinibus,
Vtque decem possint corrumpere mala puellas,

Missus et inpressis haedus ab uberibus.
Felix, qui viles pomis mercaris amores!
Huic licet ingratae Tityrus ipse canat:
Felix intactum Corydon qui temptat Alexin
Agricolae domini carpere delicias!
Quamvis ille sua lassus requiescat avena,
Laudatur faciles inter Hamadryadas.
Tu canis Ascraei veteris praecepta poetae,
Quo seges in campo, quo viret uva iugo.
Tale facis carmen, docta testudine quale
Cynthius inpositis temperat articulis.
Non tamen haec ulli venient ingrata legenti,
Sive in amore rudis sive peritus erit.
Nec minor his animis aut, †si minor, ore canorus
Anseris indocto carmine cessit olor.
Haec quoque perfecto ludebat Iasone Varro,
Varro Leucadiae maxima flamma suae.
Haec quoque lascivi cantarunt scripta Catulli,
Lesbia quis ipsa notior est Helena.
Haec etiam docti confessast pagina Calvi,
Cum caneret miserae funera Quintiliae.
Et modo formosa quam multa Lycoride Gallus
Mortuus inferna vulnera lavit aqua!
Cynthia quin etiam versu laudata Properti,
Hos inter si me ponere Fama volet.

SEX. PROPERTII

ELEGIARVM

LIBER QVARTVS. III.

I.

Callimachi Manes et Coi sacra Philetae,
  In vestrum, quaeso, me sinite ire nemus.
Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos
  Itala per Graios orgia ferre choros.
Dicite, quo pariter carmen tenuastis in antro?
  Quove pede ingressi? quamve bibistis aquam?
A valeat, Phoebum quicumque moratur in armis!
  Exactus tenui pumice versus eat,
Quo me Fama levat terra sublimis, et a me
  Nata coronatis Musa triumphat equis,
Et mecum in curru parvi vectantur Amores,
  Scriptorumque meas turba secuta rotas.
Quid frustra missis in me certatis habenis?
  Non datur ad Musas currere lata via.
Multi, Roma, tuas laudes annalibus addent,
  Qui finem imperii Bactra futura canent.
Sed, quod pace legas, opus hoc de monte sororum
  Detulit intacta pagina nostra via.
Mollia, Pegasides, date vestro serta poetae:
  Non faciet capiti dura corona meo.
At mihi quod vivo detraxerit invida turba,
  Post obitum duplici fenore reddet Honos.
Omnia post obitum fingit maiora vetustas.
  Maius ab exequiis nomen in ora ve
Nam quis equo pulsas abiegno noscer
  Fluminaque Haemonio cominus i

Idaeum Simoenta Iovis cum prole Scamandro,
  Hectora per campos ter maculasse rotas?
Deiphobumque Helenumque et Polydamanta et in armis
  Qualemcumque Parin vix sua nosset humus.
Exiguo sermone fores nunc, Ilion, et tu
  Troia bis Oetaei numine capta dei.
Nec non ille tui casus memorator Homerus
  Posteritate suum crescere sensit opus.
Meque inter seros laudabit Roma nepotes:
  Illum post cineres auguror ipse diem.
Ne mea contempto lapis indicet ossa sepulcro,
  Provisumst Lycio vota probante deo.
Carminis interea nostri redeamus in orbem,
  Gaudeat in solito tacta puella sono.
Orphea delenisse feras et concita dicunt 2
  Flumina Threicia sustinuisse lyra:
Saxa Cithaeronis Thebas agitata per artem
  Sponte sua in muri membra coisse ferunt:
Quin etiam, Polypheme, fera Galatea sub Aetna
  Ad tua rorantes carmina flexit equos:
Miremur, nobis et Baccho et Apolline dextro,
  Turba puellarum si mea verba colit?
Quod non Taenariis domus est mihi fulta columnis,
  Nec camera auratas inter eburna trabes,
Nec mea Phaeacas aequant pomaria silvas,
  Non operosa rigat Marcius antra liquor;
At Musae comites et carmina cara legenti,
  Et defessa choris Calliopea meis.
Fortunata, meo siqua es celebrata libello!
  Carmina erunt formae tot monimenta tuae.
Nam neque pyramidum sumptus ad sidera ducti,
  Nec Iovis Elei caelum imitata domus,
Nec Mausolei dives fortuna sepulchri
  Mortis ab extrema condicione vacant.
Aut illis flamma aut imber subducet honores,
  Annorum aut ictu pondera victa ruent.

At non ingenio quaesitum nomen ab aevo
  Excidet: ingenio stat sine morte decus.

II [IIII].

Visus eram molli recubans Heliconis in umbra,
  Bellorophontei qua fluit umor equi,
Reges, Alba, tuos et regum facta tuorum,
  Tantum operis, nervis hiscere posse meis,
Parvaque tam magnis admoram fontibus ora,
  Vnde pater sitiens Ennius ante bibit,
Et cecini Curios fratres et Horatia pila,
  Regiaque Aemilia vecta tropaea rate,
Victricesque moras Fabii pugnamque sinistram
  Cannensem et versos ad pia vota deos,
Hannibalemque Lares Romana sede fugantes,
  Anseris et tutum voce fuisse Iovem;
Cum me Castalia speculans ex arbore Phoebus
  Sic ait aurata nixus ad antra lyra:
'Quid tibi cum tali, demens, est flumine? quis te
  Carminis heroi tangere iussit opus?
Non hinc ulla tibi sperandast fama, Properti:
  Mollia sunt parvis prata terenda rotis,
Vt tuus in scamno iactetur saepe libellus,
  Quem legat expectans sola puella virum.
Cur tua praescripto sevectast pagina gyro?
  Non est ingenii cymba gravanda tui.
Alter remus aquas, alter tibi radat harenas:
  Tutus eris: medio maxima turba marist.'
Dixerat, et plectro sedem mihi monstrat eburno,
  Qua nova muscoso semita facta solost.
Hic erat adfixis viridis spelunca lapillis,
  Pendebantque cavis tympana pumicibus.
Orgia mustarum et Sileni patris imago
  Fictilis et calami, Pan Tegeaee, tui,
Et Veneris dominae volucres, mea turba,
  Tingunt Gorgonio Punica rostra lacu.
Diversaeque novem sortitae rura

Exercent teneras in sua dona manus.
Haec hederas legit in thyrsos, haec carmina nervis
Aptat, at illa manu texit utraque rosam.
E quarum numero me contigit una dearum:
Vt reor a facie, Calliopea fuit:
'Contentus niveis semper vectabere cygnis,
Nec te fortis equi ducet ad arma sonus.
Nil tibi sit rauco praeconia classica cornu
Flare nec Aonium tinguere Marte nemus,
Aut quibus in campis Mariano proelia signo
Stent et Teutonicas Roma refringat opes,
Barbarus aut Suevo perfusus sanguine Rhenus
Saucia maerenti corpora vectet aqua.
Quippe coronatos alienum ad limen amantes
Nocturnaeque canes ebria signa fugae,
Vt per te clausas sciat excantare puellas,
Qui volet austeros arte ferire viros.'
Talia Calliope, lymphisque a fonte petitis
Ora Philetaea nostra rigavit aqua.

III [IIII].

Arma deus Caesar dites meditatur ad Indos,
Et freta gemmiferi findere classe maris.
Magna, viri, merces; parat ultima terra triumphos:
Tigris et Euphrates sub sua iura fluent:
Sera, sed Ausoniis veniet provincia virgis:
Adsuescent Latio Partha tropaea Iovi.
Ite agite, expertae bello date lintea prorae
Et solitum armigeri ducite munus equi.
Omina fausta cano. Crassos clademque piate:
Ite et Romanae consulite historiae.
Mars pater et sacrae fatalia lumina Vestae,
Ante meos obitus sit, precor, illa dies,
Qua videam spoliis oneratos Caesaris axes,
Ad vulgi plausus saepe resistere equos,
Inque sinu carae nixus spectare puellae
Incipiam et titulis oppida capta legam,

Tela fugacis equi et bracati militis arcus
  Et subter captos arma sedere duces.
Ipsa tuam serva prolem, Venus: hoc sit in aevum,
  Cernis ab Aenea quod superesse caput.
Praeda sit haec illis, quorum meruere labores:
  Me sat erit Sacra plaudere posse Via.

IIII [V].

Pacis Amor deus est, pacem veneramur amantes.
  Stant mihi cum domina proelia dura mea:
Nec tamen inviso pectus mihi carpitur auro,
  Nec bibit e gemma divite nostra sitis,
Nec mihi mille iugis Campania pinguis aratur,
  Nec miser aera paro clade, Corinthe, tua.
O prima infelix fingenti terra Prometheo!
  Ille parum cauti pectoris egit opus:
Corpora disponens mentem non vidit in arte.
  Recta animi primum debuit esse via.
Nunc maris in tantum vento iactamur, et hostem
  Quaerimus, atque armis nectimus arma nova.
Haut ullas portabis opes Acherontis ad undas:
  Nudus ad infernas, stulte, vehere rates.
Victor cum victis pariter miscebitur umbris:
  Consule cum Mario, capte Iugurtha, sedes.
Lydus Dulichio non distat Croesus ab Iro:
  Optima mors, Parcae quae venit acta die.
Me iuvat in prima coluisse Helicona iuventa
  Musarumque choris inplicuisse manus:
Me iuvat et multo mentem vincire Lyaeo
  Et caput in verna semper habere rosa.
Atque ubi iam Venerem gravis interceperit aetas,
  Sparserit et nigras alba senecta comas,
Tum mihi naturae libeat perdiscere mores,
  Quis deus hanc mundi temperet arte domum,
Qua venit exoriens, qua deficit, unde coactis
  Cornibus in plenum menstrua luna redit,
Vnde salo superant venti, quid flamine captet

Eurus, et in nubes unde perennis aqua,
Sit ventura dies, mundi quae subruat arces,
Purpureus pluvias cur bibit arcus aquas,
Aut cur Perrhaebi tremuere cacumina Pindi,
Solis et atratis luxerit orbis equis,
Cur serus versare boves et plaustra Bootes,
Pleiadum spisso cur coit igne chorus,
Curve suos fines altum non exeat aequor,
Plenus et in partes quatuor annus eat,
Sub terris sint iura deum et tormenta nocentum,
Tisiphones atro si furit angue caput,
Aut Alcmaeoniae furiae aut ieiunia Phinei,
Num rota, num scopuli, num sitis inter aquas,
Num tribus infernum custodit faucibus antrum
Cerberus, et Tityo iugera pauca novem,
An ficta in miseras descendit fabula gentes,
Et timor haut ultra quam rogus esse potest.
Exitus hic vitae superet mihi: vos, quibus arma
Grata magis, Crassi signa referte domum.

V [VI].

Dic mihi de nostra, quae sentis, vera puella:
Sic tibi sint dominae, Lygdame, dempta iuga.
Num me laetitia tumefactum fallis inani,
Haec referens, quae me credere velle putas?
Omnis enim debet sine vano nuntius esse,
Maioremque timens servus habere fidem.
Nunc mihi, siqua tenes, ab origine dicere prima
Incipe: suspensis auribus ista bibam.
Sicine eam incomptis vidisti flere capillis?
Illius ex oculis multa cadebat aqua?
Nec speculum strato vidisti, Lygdame, lecto?
Ornabat niveas nullane gemma manus?
At maestam teneris vestem pendere lacertis,
Scriniaque ad lecti clausa iacere pedes?
Tristis erat domus, et tristes sua pensa ministrae
Carpebant, medio nebat et ipsa loco,

Vmidaque inpressa siccabat lumina lana,
  Rettulit et querulo iurgia nostra sono?
'Haec te teste mihi promissast, Lygdame, merces?
  Est poenae servo rumpere teste fidem.
Ille potest nullo miseram me linquere facto,
  Aequalem multa dicere habere domo!
Gaudet me vacuo solam tabescere lecto.
  Si placet, insultet, Lygdame, morte mea.
Non me moribus illa, sed herbis inproba vicit:
  Staminea rhombi ducitur ille rota.
Illum turgentis ranae portenta rubetae
  Et lecta exectis anguibus ossa trahunt.
Et strigis inventae per busta iacentia plumae,
  Cinctaque funesto lanea vitta toro.
Si non vana canunt mea somnia, Lygdame, testor,
  Poena erit ante meos sera, sed ampla, pedes,
Putris et in vacuo texetur aranea lecto:
  Noctibus illorum dormiet ipsa Venus.'
Quae tibi si veris animis est questa puella,
  Hac eadem rursus, Lygdame, curre via
Et mea cum multis lacrimis mandata reporta.
  Iram, non fraudes esse in amore meo.
Me quoque consimili inpositum torquerier igni
  Iurabo et bis sex integer esse dies.
Quodsin e tanto felix concordia bello
  Extiterit, per me, Lygdame, liber eris.

VI [VII].

Ergo sollicitae tu causa, pecunia, vitae!
  Per te inmaturum mortis adimus iter.
Tu vitiis hominum crudelia pabula praebes:
  Semina curarum de capite orta tuo.
Tu Paetum ad Pharios tendentem lintea portus
  Obruis insano terque quaterque mari.
Nam dum te sequitur, primo miser excidit aevo
  Et nova longinquis piscibus esca natat,
Et mater non iusta piae dare debita terrae

Nec pote cognatos inter humare rogos,
Sed tua nunc volucres astant super ossa marinae,
Nunc tibi pro tumulo Carpathium omne marest.
Infelix Aquilo, raptae timor Orithyiae,
Quae spolia ex illo tanta fuere tibi?
Aut quidnam fracta gaudes, Neptune, carina?
Portabat sanctos alveus ille viros.
Paete, quid aetatem numeras? quid cara natanti
Mater in ore tibist? non habet unda deos.
Nam tibi nocturnis ad saxa ligata procellis
Omnia detrito vincula fune cadunt.
Sunt Agamemnonias testantia litora curas,
Quae notat Argynni poena Athamantiadae.
Hoc iuvene amisso classem non solvit Atrides,
Pro qua mactatast Iphigenia mora.
29 Ite, rates curvas et leti texite causas:
Ista per humanas mors venit acta manus.
Terra parum fuerat fatis, adiecimus undas:
Fortunae miseras auximus arte vias.
Ancora te teneat, quem non tenuere Penates?
Quid meritum dicas, cui sua terra parumst?
Ventorumst, quodcumque paras: haut ulla carina
Consenuit, fallit portus et ipse fidem.
Natura insidians pontum substravit avaris:
Vt tibi succedat, vix semel esse potest.
Saxa triumphales fregere Capharea puppes,
Naufraga cum vasto Graecia tracta salost.
Paulatim socium iacturam flevit Vlixes,
In mare cui soliti non valuere doli.
Quod si contentus patrio bove verteret agros,
Verbaque duxisset pondus habere mea,
Viveret ante suos dulcis conviva Penates,
Pauper, at in terra, nil ubi flare potest.
Non tulit hic Paetus stridorem audire procellae
Et duro teneras laedere fune manus,
Sed thyio thalamo aut Oricia terebintho
Et fultum pluma versicolore caput.
Huic fluctus vivo radicitus abstulit ungues,

Et miser invisam traxit hiatus aquam:
Hunc parvo ferri vidit nox inproba ligno.
Paetus ut occideret, tot coiere mala.
Flens tamen extremis dedit haec mandata querelis,
Cum moribunda niger clauderet ora liquor:
'Di maris Aegaei quos sunt penes aequora, Venti,
Et quaecumque meum degravat unda caput,
Quo rapitis miseros tenerae lanuginis annos?
Attulimus longas in freta vestra manus.
A miser alcyonum scopulis adfigar acutis:
In me caeruleo fuscina sumpta deost.
At saltem Italiae regionibus advehat aestus:
Hoc de me sat erit si modo matris erit.'
Subtrahit haec fantem torta vertigine fluctus;
Vltima quae Paeto voxque diesque fuit.
O centum aequoreae Nereo genitore puellae,
Et tu materno tacta dolore Theti
(Vos decuit lasso supponere brachia mento:
Non poterat vestras ille gravare manus),
Reddite corpus humo (positast in gurgite vita);
Paetum sponte tua, vilis arena, tegas;
Et quotiens Paeti transibit nauta sepulchrum,
Dicat 'et audaci tu timor esse potes.'
At tu, saeve Aquilo, numquam mea vela videbis:
Ante fores dominae condar oportet iners.

VII [VIII].

Dulcis ad hesternas fuerat mihi rixa lucernas,
Vocis et insanae tot maledicta tuae.
Cur furibunda mero mensam propellis et in me
Proicis insana cymbia plena manu?
Tu vero nostros audax invade capillos
Et mea formosis unguibus ora nota,
Tu minitare oculos subiecta exurere flamma,
Fac meo rescisso pectora nuda sinu.
Nimirum veri dantur mihi signa caloris:
Nam sine amore gravi femina nulla dolet.

Quae mulier rabida iactat convicia lingua,
Et Veneris magnae volvitur ante pedes,
Custodum gregibus circa seu stipat euntem,
Seu sequitur medias, Maenas ut icta, vias,
Seu timidam crebro dementia somnia terrent,
Seu miseram in tabula picta puella movet;
His ego tormentis animi sum verus aruspex,
Has didici certo saepe in amore notas.
Non est certa fides, quam non iniuria versat:
Hostibus eveniat lenta puella meis.
Inmorso aequales videant mea vulnera collo:
Me doceat livor mecum habuisse meam.
Aut in amore dolere volo aut audire dolentem,
Sive meas lacrimas sive videre tuas.
* * *
Tecta superciliis si quando verba remittis,
Aut tua cum digitis scripta silenda notas.
Odi ego, cum numquam pungunt suspiria somnos:
Semper in irata pallidus esse velim.
Dulcior ignis erat Paridi, cum Graia per arma
Tyndaridi poterat gaudia ferre suae.
Dum vincunt Danai, dum restat barbarus Hector,
Ille Helenae in gremio maxima bella gerit.
Aut tecum aut pro te mihi cum rivalibus arma
Semper erunt: in te pax mihi nulla placet.
Gaude, quod nullast aeque formosa: doleres,
Siqua foret: nunc sis iure superba licet.
At tibi, qui nostro nexisti retia lecto,
Sit socer aeternum nec sine matre domus.
Cui nunc siqua datast furandae copia noctis,
Offensa illa mihi, non tibi amica, dedit.

VIII [VIIII].

Maecenas, eques Etrusco de sanguine regum,
Intra fortunam qui cupis esse tuam,
Quid me scribendi tam vastum mittis in aequor?
Non sunt apta meae grandia vela rati.

Turpest, quod nequeas, capiti conmittere pondus
  Et pressum inflexo mox dare terga genu.
Omnia non pariter rerum sunt omnibus apta,
  Fama nec ex aequo ducitur ulla iugo.
Gloria Lysippost animosa effingere signa,
  Exactis Calamis se mihi iactat equis,
In Veneris tabula summam sibi ponit Apelles,
  Parrhasius parva vindicat arte locum,
Argumenta magis sunt Mentoris addita formae,
  At Myos exiguum flectit acanthus iter,
Phidiacus signo se Iuppiter ornat eburno,
  Praxitelen propria vindicat urbe lapis.
Est quibus Eleae concurrit palma quadrigae,
  Est quibus in celeres gloria nata pedes;
Hic satus ad pacem, hic castrensibus utilis armis:
  Naturae sequitur semina quisque suae.
At tua, Maecenas, vitae praecepta recepi,
  Cogor et exemplis te superare tuis.
Cum tibi Romano dominas in honore secures
  Et liceat medio ponere iura foro,
Vel tibi Medorum pugnaces ire per hastas
  Atque onerare tuam fixa per arma domum,
Et tibi ad effectum vires det Caesar et omni
  Tempore tam faciles insinuentur opes,
Parcis et in tenues humilem te colligis umbras:
  Velorum plenos subtrahis ipse sinus.
Crede mihi, magnos aequabunt ista Camillos
  Iudicia et venies tu quoque in ora virum,
Caesaris et famae vestigia iuncta tenebis:
  Maecenatis erunt vera tropaea fides.
Non ego velifera tumidum mare findo carina:
  Tuta sub exiguo flumine nostra morast.
Non flebo in cineres arcem sedisse paternos
  Cadmi nec septem proelia clade pari,
Nec referam Scaeas et Pergama Apollinis arces,
  Et Danaum decimo vere redisse rates,
Moenia cum Graio Neptunia pressit aratro
  Victor Palladiae ligneus artis equus.

Inter Callimachi sat erit placuisse libellos
Et cecinisse modis, Coe poeta, tuis.
Haec urant pueros, haec urant scripta puellas,
Meque deum clament et mihi sacra ferant.
Te duce vel Iovis arma canam caeloque minantem
Coeum et Phlegraeis Oromedonta iugis,
Celsaque Romanis decerpta palatia tauris
Ordiar et caeso moenia firma Remo,
Eductosque pares silvestri ex ubere reges,
Crescet et ingenium sub tua iussa meum,
Prosequar et currus utroque ab litore ovantes,
Parthorum astutae tela remissa fugae,
Castraque Pelusi Romano subruta ferro,
Antonique graves in sua fata manus.
Mollis tu coeptae fautor cape lora iuventae,
Dexteraque inmissis da mihi signa rotis.
Hoc mihi, Maecenas, laudis concedis, et a test,
Quod ferar in partes ipse fuisse tuas.

VIIII [X].

Mirabar, quidnam misissent mane Camenae,
Ante meum stantes sole rubente torum.
Natalis nostrae signum misere puellae
Et manibus faustos ter crepuere sonos.
Transeat hic sine nube dies, stent aere venti,
Ponat et in sicco molliter unda minas.
Aspiciam nullos hodierna luce dolentes,
Et Niobae lacrimas supprimat ipse lapis,
Alcyonum positis requiescant ora querelis,
Increpet absumptum nec sua mater Ityn;
Tuque, o cara mihi, felicibus edita pennis,
Surge et poscentes iusta precare deos.
Ac primum pura somnum tibi discute lympha
Et nitidas presso pollice finge comas:
Dein, qua primum oculos cepisti veste Properti,
Indue nec vacuum flore relinque caput,
Et pete, qua polles, ut sit tibi forma perennis,

Inque meum semper stent tua regna caput.
Inde coronatas ubi ture piaveris aras,
Luxerit et tota flamma secunda domo,
Sit mensae ratio, noxque inter pocula currat,
Et crocino nares murreus ungat onyx,
Tibia nocturnis succumbat rauca choreis,
Et sint nequitiae libera verba tuae,
Dulciaque ingratos adimant convivia somnos,
Publica vicinae perstrepat aura viae:
Sit sors et nobis talorum interprete iactu,
Quem gravibus pennis verberet ille puer.
Cum fuerit multis exacta trientibus hora,
Noctis et instituet sacra ministra Venus,
Annua solvamus thalamo sollemnia nostro,
Natalisque tui sic peragamus iter.

X [XI].

Quid mirare, meam si versat femina vitam
Et trahit addictum sub sua iura virum,
Criminaque ignavi capitis mihi turpia fingis,
Quod nequeam fracto rumpere vincla iugo?
Venturam melius praesagit navita mortem,
Volneribus didicit miles habere metum.
Ista ego praeterita iactavi verba iuventa:
Tu nunc exemplo disce timere meo.
Colchis flagrantes adamantina sub iuga tauros
Egit et armigera proelia sevit humo,
Custodisque feros clausit serpentis hiatus,
Iret ut Aesonias aurea lana domos.
Ausa ferox ab equo quondam oppugnare sagittis
Maeotis Danaum Penthesilea rates;
Aurea cui postquam nudavit cassida frontem,
Vicit victorem candida forma virum.
Omphale in tantum formae processit honorem,
Lydia Gygaeo tincta puella lacu,
Vt, qui pacato statuisset in orbe columnas,
Tam dura traheret mollia pensa manu.

Persarum statuit Babylona Semiramis urbem,
Vt solidum cocto tolleret aggere opus,
Et duo in adversum missi per moenia currus
Ne possent tacto stringere ab axe latus,
Duxit et Euphratem medium, qua condidit arces,
Iussit et imperio subdere Bactra caput.
Nam quid ego heroas, quid raptem in crimina divos?
Iuppiter infamat seque suamque domum.
Quid, modo quae nostris opprobria vexerat armis
Et famulos inter femina trita suos
Coniugii obscaeni pretium Romana poposcit
Moenia et addictos in sua regna patres!
Noxia Alexandria, dolis aptissima tellus,
Et totiens nostro Memphi cruenta malo,
Tres ubi Pompeio detraxit harena triumphos!
Tollet nulla dies hanc tibi, Roma, notam.
Issent Phlegraeo melius tibi funera campo,
Vel tua si socero colla daturus eras.
Scilicet incesti meretrix regina Canopi
(Vna Philippeo sanguine adusta nota)
Ausa Iovi nostro latrantem opponere Anubin,
Et Tiberim Nili cogere ferre minas,
Romanamque tubam crepitanti pellere sistro,
Baridos et contis rostra Liburna sequi,
Foedaque Tarpeio conopia tendere saxo,
Iura dare et statuas inter et arma Mari.
Quid nunc Tarquinii fractas iuvat esse secures,
Nomine quem simili vita superba notat,
Si mulier patienda fuit? cape, Roma, triumphum,
Et longum Augusto salva precare diem.
Fugisti tamen in timidi vaga flumina Nili:
Accepere tuae Romula vincla manus.
Brachia spectavi sacris admorsa colubris,
Et trahere occultum membra soporis iter.
'Non hoc, Roma, fui tanto tibi cive verenda'
Dixit 'et adsiduo lingua sepulta mero.'
Septem urbs alta iugis, toto quae praesidet orbi,

Femineas timuit territa Marte minas.
Hannibalis spolia et victi monimenta Syphacis
Et Pyrrhi ad nostros gloria fracta pedes

* * *

Curtius expletis statuit monimenta lacunis,
At Decius misso proelia rupit equo,
Coclitis abscissos testatur semita pontes,
Est cui cognomen corvus habere dedit.
Haec di condiderunt, haec di quoque moenia servant:
Vix timeat salvo Caesare Roma Iovem.
Nunc ubi Scipiadae classes, ubi signa Camilli,
Aut modo Pompeia Bospore capta manu?
Leucadius versas acies memorabit Apollo.
Tantum operis belli sustulit una dies.
At tu, sive petes portus seu, navita, linques,
Caesaris in toto sis memor Ionio.

XI [XII].

Postume, plorantem potuisti linquere Gallam,
Miles et Augusti fortia signa sequi?
Tantine ulla fuit spoliati gloria Parthi,
Ne faceres Galla multa rogante tua?
Si fas est, omnes pariter pereatis avari,
Et quisquis fido praetulit arma toro!
Tu tamen iniecta tectus, vesane, lacerna
Potabis galea fessus Araxis aquam.
Illa quidem interea fama tabescet inani,
Haec tua ne virtus fiat amara tibi,
Neve tua Medae laetentur caede sagittae,
Ferreus aurato neu cataphractus equo,
Neve aliquid de te flendum referatur in urna:
Sic redeunt, illis qui cecidere locis.
Ter quater in casta felix o Postume Galla,
Moribus his alia coniuge dignus eras.
Quid faciet nullo munita puella timore,
Cum sit luxuriae Roma magistra suae?

Sed securus eas: Gallam non munera vincent,
Duritiaeque tuae non erit illa memor.
Nam quocumque die salvum te fata remittent,
Pendebit collo Galla pudica tuo.
Postumus alter erit miranda coniuge Vlixes.
Non illi longae tot nocuere morae,
Castra decem annorum, et Ciconum manus, Ismara capta,
Exustaeque tuae mox, Polypheme, genae,
Et Circae fraudes, lotosque herbaeque tenaces,
Scyllaque et alternas scissa Charybdis aquas,
Lampeties Ithacis veribus mugisse iuvencos
(Paverat hos Phoebo filia Lampetie),
Et thalamum Aeaeae flentis fugisse puellae,
Totque hiemis noctes totque natasse dies,
Nigrantesque domos animarum intrasse silentum,
Sirenum surdo remige adisse lacus,
Et veteres arcus leto renovasse procorum,
Errorisque sui sic statuisse modum.
Nec frustra, quia casta domi persederat uxor.
Vincit Penelopes Aelia Galla fidem.

XII [XIIII].

Quaeritis, unde avidis nox sit pretiosa puellis,
Et Venere exhaustae damna querantur opes.
Certa quidem tantis causa et manifesta ruinis:
Luxuriae nimium libera facta viast.
Inda cavis aurum mittit formica metallis,
Et venit e rubro concha Erycina salo,
Et Tyros ostrinos praebet Cadmea colores,
Cinnamon et multi pastor odoris Arabs.
Haec etiam nymphas expugnant arma pudicas,
Quaeque gerunt fastus, Icarioti, tuos:
Matrona incedit census induta nepotum
Et spolia opprobrii nostra per ora trahit.
Nullast poscendi, nullast reverentia dandi,
Aut siquast, pretio tollitur ipsa mora.

Felix Eois lex funeris una maritis,
  Quos Aurora suis rubra colorat equis.
Namque ubi mortifero iactast fax ultima lecto,
  Vxorum fusis stat pia turba comis,
Et certamen habent leti, quae viva sequatur
  Coniugium: pudor est non licuisse mori.
Ardent victrices et flammae pectora praebent,
  Inponuntque suis ora perusta viris.
Hic genus infidum nuptarum, hic nulla puella
  Nec fida Euhadne nec pia Penelope.
Felix agrestum quondam pacata iuventus,
  Divitiae quorum messis et arbor erant.
Illis munus erat decussa Cydonia ramo
  Et dare puniceis plena canistra rubis,
Nunc violas tondere manu, nunc mixta referre
  Lilia virgineos lucida per calathos,
Et portare suis vestitas frondibus uvas
  Aut variam plumae versicoloris avem.
His tum blanditiis furtiva per antra puellae
  Oscula silvicolis empta dedere viris.
Hinulei pellis stratos operibat amantes,
  Altaque nativo creverat herba toro,
Pinus et incumbens lentas circumdabat umbras,
  Nec fuerat nudas poena videre deas,
Corniger atque dei vacuam pastoris in aulam
  Dux aries saturas ipse reduxit oves,
Dique deaeque omnes, quibus est tutela per agros,
  Praebebant vestris verba benigna focis:
'Et leporem, quicumque venis, venaberis, hospes,
  Et si forte meo tramite quaeris avem:
Et me Pana tibi comitem de rupe vocato,
  Sive petes calamo praemia, sive cane.'
At nunc desertis cessant sacraria lucis:
  Aurum omnes victa iam pietate colunt.
Auro pulsa fides, auro venalia iura,
  Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.
Torrida sacrilegum testantur limina Brennum,
  Dum petit intonsi Pythia regna dei:

At mons laurigero concussus vertice diras
Gallica Parnasus sparsit in arma nives.
Te scelus accepto Thracis Polymestoris auro
Nutrit in hospitio non, Polydore, pio.
Tu quoque, ut auratos gereres, Eriphyla, lacertos,
Dilapsis nusquamst Amphiaraus equis.
Proloquar, atque utinam patriae sim vanus aruspex!
Frangitur ipsa suis Roma superba bonis.
Certa loquor, sed nulla fides: neque enim Ilia quondam
Verax Pergameis Maenas habenda malis.
Sola Parin Phrygiae fatum conponere, sola
Fallacem patriae serpere dixit equum.
Ille furor patriae fuit utilis, ille parenti:
Expertast veros irrita lingua deos.

XIII [XIIII].

Multa tuae, Sparte, miramur iura palaestrae,
Sed mage virginei tot bona gymnasii,
Quod non infames exercet corpore ludos
Inter luctantes nuda puella viros,
Cum pila veloces fallit per brachia iactus,
Increpat et versi clavis adunca trochi,
Pulverulentaque ad extremas stat femina metas,
Et patitur duro volnera pancratio,
Nunc ligat ad caestum gaudentia brachia loris,
Missile nunc disci pondus in orbe rotat,
Gyrum pulsat equis, niveum latus ense revincit,
Virgineumque cavo protegit aere caput,
Qualis Amazonidum nudatis bellica mammis
Thermodontiacis turba lavatur aquis;
Et modo Taygeti, crines adspersa pruina,
Sectatur patrios per iuga longa canes;
Qualis et Eurotae Pollux et Castor harenis,
Hic victor pugnis, ille futurus equis,
Inter quos Helene nudis capere arma papillis
Fertur nec fratres erubuisse deos.

Lex igitur Spartana vetat secedere amantes,
  Et licet in triviis ad latus esse suae,
Nec timor aut ullast clausae tutela puellae
  Nec gravis austeri poena cavenda viri.
Nullo praemisso de rebus tute loquaris
  Ipse tuis: longae nulla repulsa morae.
Non Tyriae vestes errantia lumina fallunt,
  Est neque odoratae cura molesta comae.
At nostra ingenti vadit circumdata turba,
  Nec digitum angustast inseruisse via,
Nec quae sint facies nec quae sint verba rogandi,
  Invenias: caecum versat amator iter.
Quod si iura fores pugnasque imitata Laconum,
  Carior hoc esses tu mihi, Roma, bono.

XIIII [XV].

Sic ego non ullos iam norim in amore tumultus,
  Nec veniat sine te nox vigilanda mihi:
Vt mihi praetextae pudor est velatus amictu,
  Et data libertas noscere amoris iter,
Illa rudes animos per noctes conscia primas
  Imbuit heu nullis capta Lycinna datis.
Tertius haud multo minus est cum ducitur annus:
  Vix memini nobis verba coisse decem.
Cuncta tuus sepelivit amor, nec femina post te
  Vlla dedit collo dulcia vincla meo.
Testis erit Dirce tam vero crimine saeva,
  Nycteos Antiopen accubuisse Lyco.
A quotiens pulchros ussit regina capillos,
  Molliaque inmittens fixit in ora manus!
A quotiens famulam pensis oneravit iniquis,
  Et caput in dura ponere iussit humo!
Saepe illam inmundis passast habitare tenebris,
  Vilem ieiunae saepe negavit aquam.
Iuppiter, Antiopae nusquam succurris habenti
  Tot mala? corrumpit dura catena manus.
Si deus es, tibi turpe tuam servire puellam.

Invocet Antiope quem nisi vincta Iovem?
Sola tamen, quaecumque aderant in corpore vires,
Regales manicas rupit utraque manu.
Inde Cithaeronis timido pede currit in arces.
Nox erat, et sparso triste cubile gelu.
Saepe vago Asopi sonitu permota fluentis
Credebat dominae pone venire pedes.
Et durum Zethum et lacrimis Amphiona mollem
Expertast stabulis mater abacta suis.
Ac veluti, magnos cum ponunt aequora motus,
Eurus ubi adverso desinit ire Noto,
Littore si tacito sonitus rarescit harenae,
Sic (cadit inflexo lapsa puella genu)
Sera, tamen pietas: natis est cognitus error.
Digne Iovis natos qui tueare senex,
Tu reddis pueris matrem, puerique trahendam
Vinxerunt Dircen sub trucis ora bovis.
Antiope, cognosce Iovem: tibi gloria Dirce
Ducitur in multis mortem habitura locis.
Prata cruentantur Zetho, victorque canebat
Paeana Amphion rupe, Aracynthe, tua.
At tu non meritam parcas vexare Lycinnam:
Nescit vestra ruens ira referre pedem.
Fabula nulla tuas de nobis concitet aures:
Te solam et lignis funeris ustus amem.

XV [XVI].

Nox media, et dominae mihi venit epistula nostrae:
Tibure me missa iussit adesse mora,
Candida qua geminas ostendunt culmina turres,
Et cadit in patulos lympha Aniena lacus.
Quid faciam? obductis committam mene tenebris,
Vt timeam audaces in mea membra manus?
At si distulero haec nostro mandata timore,
Nocturno fletus saevior hoste mihi.
Peccaram semel, et totum sum pulsus in annum:

In me mansuetas non habet illa manus.
Nec tamen est quisquam, sacros qui laedat amantes:
Scironis media sic licet ire via.
Quisquis amator erit, Scythicis licet ambulet oris:
Nemo adeo, ut noceat, barbarus esse volet.
Luna ministrat iter, demonstrant astra salebras,
Ipse Amor accensas percutit ante faces,
Saeva canum rabies morsus avertit hiantes:
Huic generi quovis tempore tuta viast.
Sanguine tam puro quis enim spargatur amantis
Inprobus? ecce, suis fit comes ipsa Venus.
Quod si certa meos sequerentur funera casus,
Talis mors pretio vel sit emenda mihi.
Adferet haec unguenta mihi sertisque sepulchrum
Ornabit custos ad mea busta sedens.
Di faciant, mea ne terra locet ossa frequenti,
Qua facit adsiduo tramite volgus iter.
Post mortem tumuli sic infamantur amantum:
Me tegat arborea devia terra coma,
Aut humer ignotae cumulis vallatus harenae:
Non iuvat in media nomen habere via.

XVI [XVII].

Nunc, o Bacche, tuis humiles advolvimur aris:
Da mihi pacato vela secunda, pater.
Tu potes insanae Veneris conpescere fastus,
Curarumque tuo fit medicina mero.
Per te iunguntur, per te solvuntur amantes:
Tu vitium ex animo dilue, Bacchė, meo.
Te quoque enim non esse rudem testatur in astris
Lyncibus ad caelum vecta Ariadna tuis.
Hoc mihi, quod veteres custodit in ossibus ignes,
Funera sanabunt aut tua vina malum.
Semper enim vacuos nox sobria torquet amantes,
Spesque timorque animum versat utroque modo.
Quod si, Bacche, tuis per fervida tempora donis
Accersitus erit somnus in ossa mea,

Ipse seram vites pangamque ex ordine colles,
Quos carpant nullae me vigilante ferae.
Dum modo purpureo spument mihi dolia musto,
Et nova pressantes inquinet uva pedes,
Quod superest vitae per te et tua cornua vivam,
Virtutisque tuae, Bacche, poeta ferar.
Dicam ego maternos Aetnaeo fulmine partus,
Indica Nysaeis arma fugata choris,
Vesanumque nova nequiquam in vite Lycurgum,
Pentheos in triplices funera grata greges,
Curvaque Tyrrhenos delphinum corpora nautas
In vada pampinea desiluisse rate,
Et tibi per mediam bene olentia flumina Naxon,
Vnde tuum potant Naxia turba merum.
Candida laxatis onerato colla corymbis
Cinget Bassaricas Lydia mitra comas,
Levis odorato cervix manabit olivo,
Et feries nudos veste fluente pedes.
Mollia Dircaeae pulsabunt tympana Thebae,
Capripedes calamo Panes hiante canent,
Vertice turrigero iuxta dea magna Cybebe
Tundet ad Idaeos cymbala rauca choros.
Ante fores templi crater antistitis auro
Libatum fundens in tua sacra merum.
Haec ego non humili referam memoranda cothurno,
Qualis Pindarico spiritus ore tonat.
Tu modo servitio vacuum me siste superbo
Atque hoc sollicitum vince sopore caput.

XVII [XVIII].

Clausus ab umbroso qua ludit pontus Averno,
Fumida Baiarum stagna tepentis aquae,
Qua iacet et Troiae tubicen Misenus arena,
Et sonat Herculeo structa labore via,
Hic, ubi, mortalis dextra cum quaereret urbes,
Cymbala Thebano concrepuere deo:
At nunc invisae magno cum crimine Baiae,

Quis deus in vestra constitit hostis aqua?
His pressus Stygias voltum demisit in undas,
Errat et in vestro spiritus ille lacu.
Quid genus aut virtus aut optima profuit illi
Mater, et amplexum Caesaris esse focos?
Aut modo tam pleno fluitantia vela theatro
Et per maternas omnia gesta manus?
Occidit, et misero steterat vigesimus annus:
Tot bona tam parvo clausit in orbe dies.
I nunc, tolle animos et tecum finge triumphos,
Stantiaque in plausum tota theatra iuvent,
Attalicas supera vestes, atque omnia magnis
Gemmea sint ludis: ignibus ista dabis.
Sed tamen huc omnes, huc primus et ultimus ordo:
Est mala, sed cunctis ista terenda viast.
Exoranda canis tria sunt latrantia colla,
Scandendast torvi publica cymba senis.
Ille licet ferro cautus se condat et aere,
Mors tamen inclusum protrahit inde caput.
Nirea non facies, non vis exemit Achillen,
Croesum aut, Pactoli quas parit umor, opes.
Hic olim ignaros luctus populavit Achivos,
Atridae magno cum stetit alter amor.
At tibi, nauta, pias hominum qui traicis umbras,
Hoc animae portent corpus inane suae:
Qua Siculae victor telluris Claudius et qua
Caesar, ab humana cessit in astra via.

XVIII [XVIIII.]

Obicitur totiens a te mihi nostra libido:
Crede mihi, vobis imperat ista magis.
Vos, ubi contempti rupistis frena pudoris,
Nescitis captae mentis habere modum.
Flamma per incensas citius sedetur aristas,
Fluminaque ad fontis sint reditūra caput,
Et placidum Syrtes portum et bona littora nautis
Praebeat hospitio saeva Malea suo,

Quam possit vestros quisquam reprehendere cursus
Et rabidae stimulos frangere nequitiae.
Testis, Cretaei fastus quae passa iuvenci
Induit abiegnae cornua falsa bovis:
Testis Thessalico flagrans Salmonis Enipeo,
Quae voluit liquido tota subire deo.
Crimen et illa fuit patria succensa senecta
Arboris in frondes condita Myrrha novae.
Nam quid Medeae referam quo tempore matris
Iram natorum caede piavit amor?
Quidve Clytaemestrae, propter quam tota Mycenis
Infamis stupro stat Pelopea domus?
Tuque, o Minoa venundata Scylla figura,
Tondes purpurea regna paterna coma.
Hanc igitur dotem virgo desponderat hosti:
Nise, tuas portas fraude reclusit Amor.
At vos, innuptae, felicius urite taedas:
Pendet Cretaea tracta puella rate.
Non tamen inmerito Minos sedet arbiter Orci:
Victor erat quamvis, aequus in hoste fuit.

XVIIII [XX].

Credis eum iam posse tuae meminisse figurae,
Vidisti a lecto quem dare vela tuo?
Durus, qui lucro potuit mutare puellam!
Tantine, ut lacrimes, Africa tota fuit?
At tu, stulta, deos, tu fingis inania vera.
Forsitan ille alio pectus amore terat.
Est tibi forma potens, sunt castae Palladis artes,
Splendidaque a docto fama refulget avo,
Fortunata domus, modo sit tibi fidus amicus.
Fidus ero: in nostros curre, puella, toros.

XX.

Nox mihi prima venit: primae date tempora noctis:

Longius in primo, Luna, morare toro: 14
Tu quoque, qui aestivos spatiosius exigis ignes, 11
Phoebe, moraturae contrahe lucis iter. 12
Foedera sunt ponenda prius signandaque iura 15
Et scribenda mihi lex in amore novo.
Haec Amor ipse suo constringet pignera signo:
Testis sidereae tota corona deae.
Quam multae ante meis cedent sermonibus horae,
Dulcia quam nobis concitet arma Venus!
Namque ubi non certo vincitur foedere lectus,
Non habet ultores nox vigilanda deos,
Et quibus inposuit, solvit mox vincla libido:
Contineant nobis omina prima fidem.
Ergo, qui pactas in foedera ruperit aras,
Pollueritque novo sacra marita toro,
Illi sint quicumque solent in amore dolores,
Et caput argutae praebeat historiae,
Nec flenti dominae patefiant nocte fenestrae:
Semper amet, fructu semper amoris egens.

XXI.

Magnum iter ad doctas proficisci cogor Athenas,
Vt me longa gravi solvat amore via.
Crescit enim adsidue spectanti cura puellae:
Ipse alimenta sibi maxima praebet amor.
Omnia sunt temptata mihi, quacumque fugari
Possit: at ex omni me premit iste deus.
Vix tamen aut semel admittit, cum saepe negarit:
Seu venit, extremo dormit amicta toro.
Vnum erit auxilium: mutatis Cynthia terris
Quantum oculis, animo tam procul ibit amor.
Nunc agite, o socii, propellite in aequora navim,
Remorumque pares ducite sorte vices,
Iungiteque extremo felicia lintea malo:
Iam liquidum nautis aura secundat iter.
Romanae turres et vos valeatis amici,
Qualiscumque mihi tuque puella vale.

Ergo ego nunc rudis Adriaci vehar aequoris hospes,
Cogar et undisonos nunc prece adire deos.
Deinde per Ionium vectus cum fessa Lechaeo
Sedarit placida vela phaselus aqua,
Quod superest, sufferte pedes, properate laborem,
Isthmos qua terris arcet utrumque mare.
Inde ubi Piraei capient me littora portus,
Scandam ego Theseae brachia longa viae.
Illic aut stadiis animum emendare Platonis
Incipiam aut hortis, docte Epicure, tuis,
Persequar aut studium linguae, Demosthenis arma,
Libaboque tuos, scite Menandre, sales;
Aut certe tabulae capient mea lumina pictae
Sive ebore exactae seu magis aere manus;
Aut spatia annorum aut longa intervalla profundi
Lenibunt tacito volnera nostra sinu:
Seu moriar, fato, non turpi fractus amore;
Atque erit illa mihi mortis honesta dies.

XXII.

Frigida tam multos placuit tibi Cyzicus annos,
Tulle, Propontiaca qua fluit Isthmos aqua,
Dindymus et sacra fabricata e vite Cybebe,
Raptorisque tulit qua via Ditis equos;
Si te forte iuvant Helles Athamantidos urbes,
Nec desiderio, Tulle, movere meo.
Tu licet aspicias caelum omne Atlanta gerentem,
Sectaque Persea Phorcidos ora manu,
Geryonis stabula et luctantum in pulvere signa
Herculis Antaeique Hesperidumque choros,
Tuque tuo Colchum propellas remige Phasin,
Peliacaeque trabis totum iter ipse legas,
Qua rudis Argoa natat inter saxa columba
In faciem prorae pinus adacta novae,
Et sis, qua Ortygia et visenda est ora Caystri,
Et qua septenas temperat unda vias;

Omnia Romanae cedent miracula terrae:
Natura hic posuit, quidquid ubique fuit.
Armis apta magis tellus, quam commoda noxae:
Famam, Roma, tuae non pudet historiae.
Nam quantum ferro, tantum pietate potentes
Stamus: victrices temperat ira manus.
Hic Anio Tiburne fluis, Clitumnus ab Vmbro
Tramite, et aeternum Marcius umor opus,
Albanus lacus et socia Nemorensis ab unda,
Potaque Pollucis lympha salubris equo.
At non squamoso labuntur ventre cerastae,
Itala portentis nec fluit unda novis,
Non hic Andromedae resonant pro matre catenae,
Nec tremis Ausonias, Phoebe fugate, dapes,
Nec cuiquam absentes arserunt in caput ignes
Exitium nato matre movente suo,
Penthea non saevae venantur in arbore Bacchae,
Nec solvit Danaas subdita cerva rates,
Cornua nec valuit curvare in pelice Iuno
Aut faciem turpi dedecorare bove,

* * *

Arboreasque cruces Sinis et non hospita Grais
Saxa et curvatas in sua fata trabes.
Haec tibi, Tulle, parens, haec est pulcherrima sedes,
Hic tibi pro digna gente petendus honos,
Hic tibi ad eloquium cives, hic ampla nepotum
Spes et venturae coniugis aptus amor.

XXIII.

Ergo tam doctae nobis periere tabellae,
Scripta quibus pariter tot periere bona.
Has quondam nostris manibus detriverat usus,
Qui non signatas iussit habere fidem.
Illae iam sine me norant placare puellas
Et quaedam sine me verba diserta loqui.
Non illas fixum caras effecerat aurum:

Volgari buxo sordida cera fuit.
Qualescumque mihi semper mansere fideles,
Semper et effectus promeruere bonos.
Forsitan haec illis fuerint mandata tabellis:
'Irascor, quoniam's lente, moratus heri.
An tibi nescioquae visast formosior? an tu
Non bene de nobis crimina ficta iacis?'
Aut dixti: 'venies hodie, cessabimus una:
Hospitium tota nocte parabit Amor,'
Et quaecumque volens reperit non stulta puella
Garrula cum blandis dicitur hora dolis.
Me miserum, his aliquis rationem scribit avarus
Et ponit duras inter ephemeridas.
Quas siquis mihi rettulerit, donabitur auro.
Quis pro divitiis ligna retenta velit?
I puer, et citus haec aliqua propone columna,
Et dominum Esquiliis scribe habitare tuum.

XXIIII.

Falsast ista tuae, mulier, fiducia formae,
Olim oculis nimium facta superba meis.
Noster amor tales tribuit tibi, Cynthia, laudes:
Versibus insignem te pudet esse meis.
Mixtam te varia laudavi saepe figura,
Vt, quod non esses, esse putaret amor,
Et color est totiens roseo collatus Eoo,
Cum tibi quaesitus candor in ore foret:
Quod mihi non patrii poterant avertere amici,
Eluere aut vasto Thessala saga mari.
Haec ego, non ferro, non igne coactus, et ipsa
Naufragus Aegaea vera fatebar aqua.
Correptus saevo Veneris torrebar aheno:
Vinctus eram versas in mea terga manus.
Ecce coronatae portum tetigere carinae,
Traiectae Syrtes, ancora iacta mihist.
Nunc demum vasto fessi resipiscimus aestu,
Volneraque ad sanum nunc coiere mea.

Mens bona, siqua dea's, tua me in sacraria dono.
  Exciderunt surdo tot mea vota Iovi.

XXV.

Risus eram positis inter convivia mensis,
  Et de me poterat quilibet esse loquax.
Quinque tibi potui servire fideliter annos:
  Vngue meam morso saepe querere fidem.
Nil moveor lacrimis: ista sum captus ab arte;
  Semper ab insidiis, Cynthia, flere soles.
Flebo ego discedens, sed fletum iniuria vincet:
  Tu bene conveniens non sinis ire iugum.
Limina iam nostris valeant lacrimantia verbis,
  Nec tamen irata ianua fracta manu.
At te celatis aetas gravis urgeat annis,
  Et veniat formae ruga sinistra tuae.
Vellere tum cupias albos a stirpe capillos,
  A, speculo rugas increpitante tibi,
Exclusa inque vicem fastus patiare superbos,
  Et quae fecisti facta queraris anus.
Has tibi fatalis cecinit mea pagina diras.
  Eventum formae disce timere tuae.

SEX. PROPERTII

ELEGIARVM

LIBER QVINTVS. IV

I.

Hoc quodcumque vides, hospes, qua maxima Romast,
Ante Phrygem Aenean collis et herba fuit:
Atque ubi Navali stant sacra Palatia Phoebo,
Euandri profugae concubuere boves.
Fictilibus crevere deis haec aurea templa,
Nec fuit opprobrio facta sine arte casa,
Tarpeiusque pater nuda de rupe tonabat,
Et Tiberis nostris advena bubus erat.
Qua gradibus domus ista Remi se sustulit, olim
Unus erat fratrum maxima regna focus.
Curia, praetexto quae nunc nitet alta senatu,
Pellitos habuit, rustica corda, patres.
Bucina cogebat priscos ad verba Quirites:
Centum illi in prato saepe senatus erat.
Nec sinuosa cavo pendebant vela theatro,
Pulpita sollemnes non oluere crocos.
Nulli cura fuit externos quaerere divos,
Cum tremeret patrio pendula turba sacro,
Annuaque accenso celebrare Parilia faeno,
Qualia nunc curto lustra novantur equo.
Vesta coronatis pauper gaudebat asellis,
Ducebant macrae vilia sacra boves.
Parva saginati lustrabant compita porci,
Pastor et ad calamos exta litabat ovis.
Verbera pellitus setosa movebat arator,
Unde licens Fabius sacra Lupercus habet.

Nec rudis infestis miles radiabat in armis:
  Miscebant usta proelia nuda sude.
Prima galeritus posuit praetoria Lygmon,
  Magnaque pars Tatio rerum erat inter oves.
Hinc Titiens Ramnesque viri Luceresque coloni,
  Quatuor hinc albos Romulus egit equos.

* * *

Quippe suburbanae parva minus urbe Bovillae
  Atque ibi Fidenas longa erat isse via. 36
Et stetit Alba potens, albae suis omine nata, 35
  Et, qui nunc nulli, maxima turba Gabi. 34
Nil patrium nisi nomen habet Romanus alumnus:
  Sanguinis altricem non pudet esse lupam.
Huc melius profugos misisti, Troia, penates.
  En quali vectast Dardana puppis ave!
Iam bene spondebant tunc omina, quod nihil illam
  Laeserat abiegni venter apertus equi,
Cum pater in nati trepidus cervice pependit,
  Et veritast umeros urere flamma pios.
Tunc animi venere Deci Brutique secures,
  Vexit et ipsa sui Caesaris arma Venus,
Arma resurgentis portans victricia Troiae:
  Felix terra tuos cepit, Iule, deos;
Si modo Avernalis tremulae cortina Sibyllae
  Dixit Aventino rura pianda Remo,
Aut si Pergameae sero rata carmina vatis
  Longaevum ad Priami vera fuere caput:
'Dicam: Troia cades, et Troica Roma resurges, 87
  Et maris et terrae longa sepulchra canam. 88
Vertite equum, Danai! male vincitis: Ilia tellus
  Vivet, et huic cineri Iuppiter arma dabit.'
Optima nutricum nostris lupa Martia rebus,
  Qualia creverunt moenia lacte tuo!
Munere namque pio conor disponere versus:
  Ei mihi, quod nostrost parvus in ore sonus!
Sed tamen exiguo quodcumque e pectore rivi
  Fluxerit, hoc patriae serviet omne meae.
Ennius hirsuta cingat sua † dicta corona:

Mi folia ex hedera porrige, Bacche, tua,
Vt nostris tumefacta superbiat Vmbria libris,
Vmbria Romani patria Callimachi.
Scandentes quisquis cernet de vallibus arces,
Ingenio muros aestimet ille meo.
Roma, fave, tibi surgit opus, date candida cives
Omina, et inceptis dextera cantet avis.
Sacra diesque canam et cognomina prisca locorum:
Has meus ad metas sudet oportet equus.

* * *

'Quo ruis inprudens, vage, dicere fata, Properti?
Non sunt a dextro condita fila colo.
Aversis † lacrimis cantas, aversus Apollo:
Poscis ab invita verba pigenda lyra.
Certa feram certis auctoribus: haut ego vates
Nescius aerata signa movere pila.
Me creat Archytae soboles Babylonius Horops
Horon, et a proavo ducta Conone domus.
Di mihi sunt testes non degenerasse propinquos,
Inque meis libris nil prius esse fide.
Nunc pretium fecere deos et fallitur auro
Iuppiter, obliquae signa iterata rotae.
Felicesque Iovis stellas Martisque rapacis
Et grave Saturni sidus in omne caput,
Quid moveant Pisces animosaque signa Leonis,
Lotus et Hesperia quid Capricornus aqua,
Dixi ego, cum geminos produceret Arria natos
(Illa dabat natis arma vetante deo):
Non posse ad patrios sua pila referre Penates:
Nempe meam firmant nunc duo busta fidem.
Quippe Lupercus, equi dum saucia protegit ora,
Heu sibi prolapso non bene cavit equo:
Gallus at, in castris dum credita signa tuetur,
Concidit ante aquilae rostra cruenta suae.
Fatales pueri, duo funera matris avarae,
Vera, sed invito, contigit ista fides.
Idem ego, cum Cinarae traheret Lucina dolores
Et facerent uteri pondera lenta moram,

'Iunonis facito votum inpetrabile' dixi:
Illa parit: libris est data palma meis.
Hoc neque arenosum Libyae Iovis explicat antrum
Aut sibi conmissos fibra locuta deos,
Aut siquis motas cornicis senserit alas,
Vmbrave quae magicis mortua prodit aquis.
Adspicienda viast caeli verusque per astra
Trames et ab zonis quinque petenda fides.
Exemplum grave erit Calchas: namque Aulide solvit
Ille bene haerentes ad pia saxa rates:
Idem Agamemnoniae ferrum cervice puellae
Tinxit, et Atrides vela cruenta dedit:
Nec rediere tamen Danai: tu diruta fletum
Supprime et Euboicos respice, Troia, sinus.
Nauplius ultores sub noctem porrigit ignes,
Et natat exuviis Graecia pressa suis.
Victor Oiliade, rape nunc et dilige vatem,
Quam vetat avelli veste Minerva sua.
Hactenus historiae: nunc ad tua devehar astra:
Incipe tu lacrimis aequus adesse novis.
Vmbria te notis antiqua Penatibus edit,
(Mentior? an patriae tangitur ora tuae?)
Qua nebulosa cavo rorat Mevania campo,
Et lacus aestivis si tepet Vmber aquis,
Scandentisque Asisi consurgit vertice murus,
Murus ab ingenio notior ille tuo.
Ossaque legisti non illa aetate legenda
Patris et in tenues cogeris ipse Lares:
Nam tua cum multi versarent rura iuvenci,
Abstulit excultas pertica tristis opes.
Mox ubi bulla rudi demissast aurea collo,
Matris et ante deos libera sumpta toga,
Tum tibi pauca suo de carmine dictat Apollo
Et vetat insano verba tonare foro.
At tu finge elegos, fallax opus, haec tua castra,
Scribat ut exemplo cetera turba tuo.
Militiam Veneris blandis patiere sub armis
Et Veneris pueris utilis hostis eris.

Nam tibi victrices quascumque labore parasti,
Eludet palmas una puella tuas:
Et bene cum fixum mento discusseris uncum,
Nil erit hoc, rostro te premet ansa suo.
Illius arbitrio noctem lucemque videbis:
Gutta quoque ex oculis non nisi iussa cadet.
Nec mille excubiae nec te signata iuvabunt
Limina: persuasae fallere rima sat est.
Nunc tua vel mediis puppis luctetur in undis,
Vel licet armatis hostis inermis eas,
Vel tremefacta cavo tellus diducat hiatum,
Octipedis Cancri terga sinistra time.'

II.

Quid mirare meas tot in uno corpore formas?
Accipe Vertumni signa paterna dei.
Tuscus ego et Tuscis orior, nec paenitet inter
Proelia Volsunios deseruisse focos.
Haec me turba iuvat, nec templo laetor eburno:
Romanum satis est posse videre forum.
Hac quondam Tiberinus iter faciebat, et aiunt
Remorum auditos per vada pulsa sonos:
At postquam ille suis tantum concessit alumnis,
Vertumnus verso dicor ab amne deus.
Seu, quia vertentis fructum praecerpimus anni,
Vertumni rursus creditur esse sacrum.
Prima mihi variat liventibus uva racemis,
Et coma lactenti spicea fruge tumet.
Hic dulces cerasos, hic autumnalia pruna
Cernis et aestivo mora rubere die.
Insitor hic solvit pomosa vota corona,
Cum pirus invito stipite mala tulit.
Mendax fama noces: alius mihi nominis index:
De se narranti tu modo crede deo.
Opportuna meast cunctis natura figuris:
In quamcumque voles verte, decorus ero.
Indue me Cois, fiam non dura puella:

Meque virum sumpta quis neget esse toga?
Da falcem et torto frontem mihi conprime faeno:
Iurabis nostra gramina secta manu.
Arma tuli quondam et, memini, laudabar in illis:
Corbis in inposito pondere messor eram.
Sobrius ad lites: at cumst inposta corona,
Clamabis capiti vina subisse meo.
Cinge caput mitra, speciem furabor Iacchi:
Furabor Phoebi, si modo plectra dabis.
Cassibus inpositis venor: sed harundine sumpta
Faunus plumoso sum deus aucupio.
Est etiam aurigae species Vertumnus et eius,
Traicit alterno qui leve pondus equo.
Suppetat hoc, pisces calamo praedabor, et ibo
Mundus demissis institor in tunicis.
Pastorem ad baculum possum curare vel idem
Sirpiculis medio pulvere ferre rosam.
Nam quid ego adiciam, de quo mihi maxima famast,
Hortorum in manibus dona probata meis?
Caeruleus cucumis tumidoque cucurbita ventre
Me notat et iunco brassica vincta levi,
Nec flos ullus hiat pratis, quin ille decenter
Inpositus fronti langueat ante meae.
At mihi, quod formas unus vertebar in omnes,
Nomen ab eventu patria lingua dedit;
Et tu, Roma, meis tribuisti praemia Tuscis,
Vnde hodie vicus nomina Tuscus habet,
Tempore quo sociis venit Lycomedius armis
Atque Sabina feri contudit arma Tati.
Vidi ego labentes acies et tela caduca,
Atque hostes turpi terga dedisse fugae.
Sed facias, divum sator, ut Romana per aevum
Transeat ante meos turba togata pedes.
Sex superant versus: te, qui ad vadimonia curris,
Non moror: haec spatiis ultima meta meis.
Stipes acernus eram, properanti falce dolatus,
Ante Numam grata pauper in urbe deus.

At tibi, Mamurri, formae caelator ahenae,
Tellus artifices ne terat Osca manus,
Qui me tam dociles potuisti fundere in usus.
Vnum opus est, operi non datur unus honos.

III.

Haec Arethusa suo mittit mandata Lycotae,
Cum totiens absis, si potes esse meus.
Siqua tamen tibi lecturo pars oblita derit,
Haec erit e lacrimis facta litura meis:
Aut siqua incerto fallet te littera tractu,
Signa meae dextrae iam morientis erunt.
Te modo viderunt † iteratos Bactra per ortus,
Te modo munito Neuricus hostis equo,
Hibernique Getae, pictoque Britannia curru,
Vstus et Eoo decolor Indus equo.
Haecne marita fides et pactae gaudia noctis,
Cum rudis urgenti brachia victa dedi?
Quae mihi deductae fax omen praetulit, illa
Traxit ab everso lumina nigra rogo,
Et Stygio sum sparsa lacu, nec recta capillis
Vitta datast: nupsi non comitante deo.
Omnibus heu portis pendent mea noxia vota:
Texitur haec castris quarta lacerna tuis.
Occidat, inmerita qui carpsit ab arbore vallum
Et struxit querulas rauca per ossa tubas,
Dignior obliquo funem qui torqueat Ocno,
Aeternusque tuam pascat, aselle, famem.
Dic mihi, num teneros urit lorica lacertos?
Num gravis inbelles atterit hasta manus?
Haec noceant potius, quam dentibus ulla puella
Det mihi plorandas per tua colla notas.
Diceris et macie voltum tenuasse: sed opto,
E desiderio sit color iste meo.
At mihi cum noctes induxit vesper amaras,
Siqua relicta iacent, osculor arma tua.
Tum queror in toto non sidere pallia lecto,

Lucis et auctores non dare carmen aves.
Noctibus hibernis castrensia pensa laboro
  Et Tyria in radios vellera secta suos,
Et disco, qua parte fluat vincendus Araxes,
  Quot sine aqua Parthus milia currat equus,
Cogor et e tabula pictos ediscere mundos,
  Qualis et haec docti sit positura dei,
Quae tellus sit lenta gelu, quae putris ab aestu,
  Ventus in Italiam qui bene vela ferat.
Adsidet una soror, curis et pallida nutrix
  Peierat hiberni temporis esse moras.
Felix Hippolyte! nuda tulit arma papilla
  Et texit galea barbara molle caput.
Romanis utinam patuissent castra puellis!
  Essem militiae sarcina fida tuae,
Nec me tardarent Scythiae iuga, cum pater altas
  Aetheris in glaciem frigore nectit aquas.
Omnis amor magnus, sed aperto in coniuge maior:
  Hanc Venus, ut vivat, ventilat ipsa facem.
Nam mihi quo? Poenis tibi purpura fulgeat ostris
  Crystallusque meas ornet aquosa manus.
Omnia surda tacent, rarisque adsueta kalendis
  Vix aperit clausos una puella lares,
Glaucidos et catulae vox est mihi grata querentis:
  Illa tui partem vindicat una toro.
Flore sacella tego, verbenis compita velo,
  Et crepat ad veteres herba Sabina focos.
Sive in finitimo gemuit stans noctua tigno,
  Seu voluit tangi parca lucerna mero,
Illa dies hornis caedem denuntiat agnis,
  Succinctique calent ad nova lucra popae.
Ne, precor, ascensis tanti sit gloria Bactris,
  Raptave odorato carbasa lina duci,
Plumbea cum tortae sparguntur pondera fundae,
  Subdolus et versis increpat arcus equis.
Sed (tua sic domitis Parthae telluris alumnis
  Pura triumphantes hasta sequatur equos)
Incorrupta mei conserva foedera lecti.

Hac ego te sola lege redisse velim,
Armaque cum tulero portae votiva Capenae,
Subscribam 'salvo grata puella viro.'

IIII.

Tarpeium nemus et Tarpeiae turpe sepulchrum
Fabor et antiqui limina capta Iovis.
Lucus erat felix hederoso conditus antro,
Multaque nativis obstrepit arbor aquis,
Silvani ramosa domus, quo dulcis ab aestu
Fistula poturas ire iubebat oves.
Hunc Tatius fontem vallo praecingit acerno,
Fidaque suggesta castra coronat humo.
Quid tum Roma fuit, tubicen vicina Curetis
Cum quateret lento murmure saxa Iovis,
Atque ubi nunc terris dicuntur iura subactis,
Stabant Romano pila Sabina foro?
Murus erant montes: ubi nunc est curia saepta,
Bellicus ex illo fonte bibebat equus.
Hinc Tarpeia deae fontem libavit: at illi
Vrgebat medium fictilis urna caput.
Et satis una malae potuit mors esse puellae,
Quae voluit flammas fallere, Vesta, tuas?
Vidit arenosis Tatium proludere campis
Pictaque per flavas arma levare iubas:
Obstupuit regis facie et regalibus armis,
Interque oblitas excidit urna manus.
Saepe illa inmeritae causatast omina lunae,
Et sibi tinguendas dixit in amne comas:
Saepe tulit blandis argentea lilia Nymphis,
Romula ne faciem laederet hasta Tati:
Dumque subit primo Capitolia nubila fumo,
Rettulit hirsutis brachia secta rubis,
Et sua Tarpeia residens ita flevit ab arce
Volnera, vicino non patienda Iovi:
'Ignes castrorum et Tatiae praetoria turmae
Et formosa oculis arma Sabina meis,

O utinam ad vestros sedeam captiva Penates,
  Dum captiva mei conspicer ora Tati.
Romani montes et montibus addita Roma
  Et valeat probro Vesta pudenda meo.
Ille equus, ille meos in castra reponet amores,
  Cui Tatius dextras collocat ipse iubas.
Quid mirum in patrios Scyllam saevisse capillos,
  Candidaque in saevos inguina versa canes?
Prodita quid mirum fraterni cornua monstri,
  Cum patuit lecto stamine torta via?
Quantum ego sum Ausoniis crimen factura puellis,
  Inproba virgineo lecta ministra foco!
Pallados extinctos siquis mirabitur ignes,
  Ignoscat: lacrimis spargitur ara meis.
Cras, ut rumor ait, tota pugnabitur urbe:
  Tu cave spinosi rorida terga iugi.
Lubrica tota viast et perfida: quippe tacentes
  Fallaci celat limite semper aquas.
O utinam magicae nossem cantamina Musae!
  Haec quoque formoso lingua tulisset opem.
Te toga picta decet, non quem sine matris honore
  Nutrit inhumanae dura papilla lupae.

* * *

† Sic hospes pariamne tua regina sub aula,
  Dos tibi non humilis prodita Roma venit.
Si minus, at raptae ne sint inpune Sabinae:
  Me rape et alterna lege repende vices.
Conmissas acies ego possum solvere: nuptae,
  Vos medium palla foedus inite mea.
Adde Hymenaee modos, tubicen fera murmura conde:
  Credite, vestra meus molliet arma torus.
Set iam quarta canit venturam bucina lucem,
  Ipsaque in Oceanum sidera lapsa cadunt.
Experiar somnum, de te mihi somnia quaeram:
  Fac venias oculis umbra benigna meis.'
Dixit, et incerto permisit brachia somno,
  Nescia se furiis accubuisse novis.

Nam Vesta, Iliacae felix tutela favillae,
Culpam alit et plures condit in ossa faces.
Illa ruit, qualis celerem prope Thermodonta
Strymonis abscisso fertur aperta sinu.
Vrbi festus erat (dixere Parilia patres,
Hic primus coepit moenibus esse) dies,
Annua pastorum convivia, lusus in urbe,
Cum pagana madent fercula deliciis,
Cumque super raros faeni flammantis acervos
Traicit inmundos ebria turba pedes.
Romulus excubias decrevit in otia solvi
Atque intermissa castra silere tuba.
Hoc Tarpeia suum tempus rata convenit hostem:
Pacta ligat, pactis ipsa futura comes.
Mons erat ascensu dubius festoque remissus:
Nec mora, vocales occupat ense canes.
Omnia praebebant somnos: sed Iuppiter unus
Decrevit poenis invigilare tuis.
Prodiderat portaeque fidem patriamque iacentem,
Nubendique petit, quem velit ipse, diem.
At Tatius (neque enim sceleri dedit hostis honorem)
'Nube' ait 'et regni scande cubile mei.'
Dixit, et ingestis comitum super obruit armis.
Haec, virgo, officiis dos erat apta tuis.
A duce Tarpeia mons est cognomen adeptus:
O vigil, iniuste praemia sortis habes.

V.

Terra tuum spinis obducat, lena, sepulchrum,
Et tua, quod non vis, sentiat umbra sitim,
Nec sedeant cineri Manes, et Cerberus ultor
Turpia ieiuno terreat ossa sono.
Docta vel Hippolytum Veneri mollire negantem,
Concordique toro pessima semper avis,
Penelopen quoque neglecto rumore mariti
Nubere lascivo cogeret Antinoo.

Illa velit, poterit magnes non ducere ferrum
  Et volucris nidis esse noverca suis.
Quippe et, Collinas ad fossam moverit herbas,
  Stantia currenti diluerentur aqua.
Audax cantatae leges inponere lunae
  Et sua nocturno fallere terga lupo,
Posset ut intentos astu caecare maritos,
  Cornicum inmeritas eruit ungue genas,
Consuluitque striges nostro de sanguine et in me
  Hippomanes fetae semina legit equae.
Exorabat opus verbis, ceu blanda pererrat
  Saxosamque terit sedula lympha viam:
'Si te Eoa Dorozantum iuvat aurea ripa,
  Et quae sub Tyria concha superbit aqua,
Eurypylique placet Coae textura Minervae
  Sectaque ab Attalicis putria signa toris,
Seu quae palmiferae mittunt venalia Thebae,
  Murreaque in Parthis pocula cocta focis,
Sperne fidem, provolve deos, mendacia vincant,
  Frange et damnosae iura pudicitiae.
Et stimulare iram pretium facit: utere causis:
  Maior dilata nocte recurret amor.
Si tibi forte comas vexaverit utilis ira,
  Post modo mercata pace premendus erit.
Denique ubi amplexu Venerem promiseris empto,
  Fac simules puros Isidis esse dies.
Ingerat Apriles Iole tibi, tundat Amycle
  Natalem Mais Idibus esse tuum.
Supplex ille sedet: posita tu scribe cathedra
  Quidlibet: has artes si pavet ille, tenes.
Semper habe morsus circa tua colla recentes,
  Litibus alternis quos putet esse datos.
Nec te Medeae delectent probra sequacis
  (Nempe tulit fastus, ausa rogare prior),
Sed potius mundi Thais pretiosa Menandri,
  Cum ferit astutos comica moecha Getas.
In mores te verte viri: si cantica iactat,
  I comes et voces ebria iunge tuas.

Ianitor ad dantes vigilet: si pulset inanis,
  Surdus in obductam somniet usque seram.
Nec tibi displiceat miles non factus amori,
  Nauta nec attrita si ferat aera manu,
Aut quorum titulus per barbara colla pependit,
  Caelati medio cum saluere foro.
Aurum spectato, non quae manus adferat aurum.
  Versibus auditis quid nisi verba feres?
[Quid iuvat ornato procedere, vita, capillo
  Et tenues Coa veste movere sinus?]
Qui versus, Coae dederit nec munera vestis,
  Istius tibi sit surda sine aere lyra.
Dum vernat sanguis, dum rugis integer annus,
  Vtere, ne quid cras libet ab ore dies.
Vidi ego odorati victura rosaria Paesti
  Sub matutino cocta iacere Noto.'
His animum nostrae dum versat Acanthis amicae,
  Ossa inter tenues sunt numerata cutes.
Sed cape torquatae, Venus o regina, columbae
  Ob meritum ante tuos guttura secta focos.
Vidi ego rugoso tussim concrescere collo,
  Sputaque per dentes ire cruenta cavos,
Atque animam in tegetes putrem expirare paternas:
  Horruit algenti pergula curta foco.
Exequiae fuerunt rari furtiva capilli
  Vincula et inmundo pallida mitra situ,
Et canis in nostros nimis experrecta dolores,
  Cum fallenda meo pollice clatra forent.
Sit tumulus lenae curto vetus amphora collo:
  Vrgeat hunc supra vis, caprifice, tua.
Quisquis amas, scabris hoc bustum caedito saxis,
  Mixtaque cum saxis addite verba mala.

VI.

Sacra facit vates: sint ora faventia sacris,
  Et cadat ante meos icta iuvenca focos.

Serta Philetaeis certent Romana corymbis,
  Et Cyrenaeas urna ministret aquas.
Costum molle date et blandi mihi turis honores,
  Terque focum circa laneus orbis eat.
Spargite me lymphis, carmenque recentibus aris
  Tibia Mygdoniis libet eburna cadis.
Ite procul fraudes, alio sint aere noxae:
  Pura novum vati laurea mollit iter.
Musa, Palatini referemus Apollinis aedem:
  Res est, Calliope, digna favore tuo.
Caesaris in nomen ducuntur carmina: Caesar
  Dum canitur, quaeso, Iuppiter ipse vaces.
Est Phoebi fugiens Athamana ad litora portus,
  Qua sinus Ioniae murmura condit aquae,
Actia Iuleae pelagus monimenta carinae,
  Nautarum votis non operosa via.
Huc mundi coiere manus: stetit aequore moles
  Pinea, nec remis aequa favebat avis.
Altera classis erat Teucro damnata Quirino,
  Pilaque feminae turpiter apta manu:
Hinc Augusta ratis plenis Iovis omine velis
  Signaque iam patriae vincere docta suae.
Tandem acies geminos Nereus lunarat in arcus,
  Armorum radiis picta tremebat aqua,
Cum Phoebus linquens stantem se vindice Delon
  (Nam tulit iratos mobilis una Notos)
Astitit Augusti puppim super, et nova flamma
  Luxit in obliquam ter sinuata facem.
Non ille attulerat crines in colla solutos
  Ad testudineae carmen inerme lyrae,
Sed quali aspexit Pelopeum Agamemnona voltu,
  Egessitque avidis Dorica castra rogis,
Aut qualis flexos solvit Pythona per orbes
  Serpentem, inbelles quom tacuere lyrae.
Mox ait 'o longa mundi servator ab Alba,
  Auguste, Hectoreis cognite maior avis,
Vince mari: iam terra tuast: tibi militat arcus,
  Et favet ex umeris hoc onus omne meis.

Solve metu patriam, quae nunc te vindice freta
Inposuit prorae publica vota tuae.
Quam nisi defendes, murorum Romulus augur
Ire Palatinas non bene vidit aves.
En nimium remis audent prope: turpe Latinis
Principe te fluctus regia vela pati.
Nec te, quod classis centenis remiget alis,
Terreat: invito labitur illa mari:
Quodque vehunt prorae Centaurica saxa minantes
Tigna cava et pictos experiere metus.
Frangit et attollit vires in milite causa;
Quae nisi iusta subest, excutit arma pudor.
Tempus adest, conmitte rates: ego temporis auctor
Ducam laurigera Iulia rostra manu.'
Dixerat, et pharetrae pondus consumit in arcus:
Proxima post arcus Caesaris hasta fuit.
Vincit Roma fide Phoebi: dat femina poenas:
Sceptra per Ionias fracta vehuntur aquas.
At pater Idalio miratur Caesar ab astro:
'Sum deus; en nostri sanguinis ista fides.'
Prosequitur cantu Triton, omnesque marinae
Plauserunt circa libera signa deae.
Illa petit Nilum cymba male nixa fugaci,
Hoc unum, iusso non moritura die.
Di melius! quantus mulier foret una triumphus
Ductus erat per quas ante Iugurtha vias.
Actius hinc traxit Phoebus monimenta, quod eius
Vna decem vicit missa sagitta rates.
Bella satis cecini: citharam iam poscit Apollo
Victor et ad placidos exuit arma choros.
Candida nunc molli subeant convivia luco
Blanditiaeque; fluant per mea colla rosae,
Vinaque fundantur praelis elisa Falernis,
Terque lavet nostras spica Cilissa comas.
Ingenium potis inritet Musa poetis:
Bacche, soles Phoebo fertilis esse tuo.
Ille paludosos memoret servire Sycambros,

Cepheam hic Meroen fuscaque regna canat,
Hic referat sero confessum foedere Parthum:
'Reddat signa Remi, mox dabit ipse sua:
Sive aliquid pharetris Augustus parcet Eois,
Differat in pueros ista tropaea suos.
Gaude, Crasse, nigras siquid sapis inter harenas:
Ire per Euphraten ad tua busta licet.'
Sic noctem patera, sic ducam carmine, donec
Iniciat radios in mea vina dies.

VII.

Sunt aliquid Manes: letum non omnia finit,
Luridaque evictos effugit umbra rogos.
Cynthia namque meo visast incumbere fulcro,
Murmur ad extremae nuper humata viae,
Cum mihi somnus ab exequiis penderet amoris,
Et quererer lecti frigida regna mei.
Eosdem habuit secum, quibus est elata, capillos,
Eosdem oculos: lateri vestis adusta fuit,
Et solitum digito beryllon adederat ignis,
Summaque Lethaeus triverat ora liquor.
Spirantisque animos et vocem misit: at illi
Pollicibus fragiles increpuere manus:
'Perfide nec cuiquam melior sperande puellae,
In te iam vires somnus habere potest?
Iamne tibi exciderunt vigilacis furta Suburae
Et mea nocturnis trita fenestra dolis?
Per quam demisso quotiens tibi fune pependi,
Alterna veniens in tua colla manu!
Saepe Venus trivio conmissast, pectore mixto
Fecerunt tepidas pallia nostra vias.
Foederis heu taciti, cuius fallacia verba
Non audituri diripuere Noti.
At mihi non oculos quisquam inclamavit euntis:
Vnum inpetrassem te revocante diem:
Nec crepuit fissa me propter harundine custos,
Laesit et obiectum tegula curta caput.

Denique quis nostro curvum te funere vidit,
Atram quis lacrimis incaluisse togam?
Si piguit portas ultra procedere, at illuc
Iussisses, lectum lentius ire meum.
Cur ventos non ipse rogis, ingrate, petisti?
Cur nardo flammae non oluere meae?
Hoc etiam grave erat, nulla mercede hyacint
Inicere et fracto busta piare cado.
Lygdamus uratur, candescat lamina vernae:
Sensi ego, cum insidiis pallida vina bibi.
At Nomas arcanas tollat versuta salivas:
Dicet damnatas ignea testa manus.
Quae modo per viles inspectast puplica nocte
Haec nunc aurata cyclade signat humum
Et graviora rependit iniquis pensa quasillis,
Garrula de facie siqua locuta meast:
Nostraque quod Petale tulit ad monimenta coro
Codicis inmundi vincula sentit anus:
Caeditur et Lalage tortis suspensa capillis,
Per nomen quoniamst ausa rogare meum.
Te patiente meae conflavit imaginis aurum,
Ardente e nostro dotem habitura rogo.
Non tamen insector, quamvis mereare, Prope
Longa mea in libris regna fuere tuis.
Iuro ego Fatorum nulli revolubile carmen,
Tergeminusque canis sic mihi molle sonet,
Me servasse fidem. si fallo, vipera nostris
Sibilet in tumulis et super ossa cubet.
Nam geminast sedes turpem sortita per amn
Turbaque diversa remigat omnis aqua.
† Vna Clytaemestrae stuprum vehit, altera Cre
† Portat mentitae lignea monstra bovis.
Ecce coronato pars altera vecta phaselo,
Mulcet ubi Elysias aura beata rosas,
Qua numerosa fides, quaque aera rutunda Cybe
Mitratisque sonant Lydia plectra choris.
Andromedeque et Hypermestre sine fraude
ritae

Narrant historiae foedera nota suae:
Haec sua maternis queritur livere catenis
Brachia nec meritas frigida saxa manus:
Narrat Hypermestre magnum ausas esse sorores,
In scelus hoc animum non valuisse suum.
Sic mortis lacrimis vitae sanamus amores:
Celo ego perfidiae crimina multa tuae.
Sed tibi nunc mandata damus, si forte moveris,
Si te non totum Chloridos herba tenet:
Nutrix in tremulis nequid desideret annis
Parthenie: patuit, nec tibi avara fuit.
Deliciaeque meae Latris, cui nomen ab usust,
Ne speculum dominae porrigat illa novae.
Et quoscumque meo fecisti nomine versus,
Vre mihi: laudes desine habere meas.
Pelle hederam tumulo, mihi quae pugnante corymbo
Mollia contortis adligat ossa comis.
Pomosis Anio qua spumifer incubat arvis,
Et numquam Herculeo numine pallet ebur,
Hic carmen media dignum me scribe columna,
Sed breve, quod currens vector ab urbe legat:
'Hic Tiburtina iacet aurea Cynthia terra:
Accessit ripae laus, Aniene, tuae.'
Nec tu sperne piis venientia somnia portis:
Cum pia venerunt somnia, pondus habent.
Nocte vagae ferimur, nox clausas liberat umbras,
Errat et abiecta Cerberus ipse sera.
Luce iubent leges Lethaea ad stagna reverti.
Nos vehimur, vectum nauta recenset onus.
Nunc te possideant aliae: mox sola tenebo:
Mecum eris, et mixtis ossibus ossa teram.'
Haec postquam querula mecum sub lite peregit,
Inter conplexus excidit umbra meos.

VIII.

Disce, quid Esquilias hac nocte fugarit aquosas,
Cum vicina novis turba cucurrit agris.

Lanuvium annosi vetus est tutela draconis,
Hic ubi tam rarae non perit hora morae,
Qua sacer abripitur caeco descensus hiatu,
Qua penetrat (virgo, tale iter omne cave)
Ieiuni serpentis honos, cum pabula poscit
Annua et ex ima sibila torquet humo.
Talia demissae pallent ad sacra puellae,
Cum temere anguino creditur ore manus.
Ille sibi admotas a virgine corripit escas:
Virginis in palmis ipsa canistra tremunt.
Si fuerint castae, redeunt in colla parentum,
Clamantque agricolae 'fertilis annus erit.'
Huc mea detonsis avectast Cynthia mannis:
Causa fuit Iuno, sed mage causa Venus.
Appia dic, quaeso, quantum te teste triumphu
Egerit effusis per tua saxa rotis,
Turpis in arcana sonuit cum rixa taberna;
Si sine me, famae non sine labe meae.
Spectaclum ipsa sedens primo temone pependil
Ausa per inpuros frena movere locos.
Serica nam taceo volsi carpenta nepotis
Atque armillatos colla Molosa canes,
Qui dabit inmundae venalia fata saginae,
Vincet ubi erasas barba pudenda genas.
Cum fieret nostro totiens iniuria lecto,
Mutato volui castra movere toro.
Phyllis Aventinae quaedamst vicina Dianae,
Sobria grata parum: cum bibit, omne decet.
Altera Tarpeios est inter Teia lucos,
Candida, sed potae non satis unus erit.
His ego constitui noctem lenire vocatis,
Et Venere ignota furta novare mea.
Vnus erat tribus in secreta lectulus herba.
Quaeris concubitus? inter utramque fui.
Lygdamus ad cyathos vitrique aestiva supellex
Et Methymnaei Graeca saliva meri.
Nilotes tibicen erat, crotalistria Phyllis,
Et facilis spargi munda sine arte rosa,

Nanus et ipse suos breviter concretus in artus
  Iactabat truncas ad cava buxa manus.
Sed neque suppletis constabat flamma lucernis,
  Reccidit inque suos mensa supina pedes.
Me quoque per talos Venerem quaerente secundos
  Semper damnosi subsiluere canes.
Cantabant surdo, nudabant pectora caeco:
  Lanuvii ad portas, ei mihi, solus eram;
Cum subito rauci sonuerunt cardine postes,
  Et levia ad primos murmura facta Lares.
Nec mora, cum totas resupinat Cynthia valvas,
  Non operosa comis, sed furibunda decens.
Pocula mi digitos inter cecidere remissos,
  Pallueruntque ipso labra soluta mero.
Fulminat illa oculis et quantum femina saevit,
  Spectaclum capta nec minus urbe fuit.
Phyllidos iratos in voltum conicit ungues:
  Territa vicinas Teia clamat aquas.
Lumina sopitos turbant elata Quirites,
  Omnis et insana semita nocte sonat.
Illas direptisque comis tunicisque solutis
  Excipit obscurae prima taberna viae.
Cynthia gaudet in exuviis victrixque recurrit
  Et mea perversa sauciat ora manu
Inponitque notam collo morsuque cruentat,
  Praecipueque oculos, qui meruere, ferit.
Atque ubi iam nostris lassavit brachia plagis,
  Lygdamus ad plutei fulcra sinistra latens
Eruitur, geniumque meum prostratus adorat.
  Lygdame, nil potui: tecum ego captus eram.
Supplicibus palmis tum demum ad foedera veni,
  Cum vix tangendos praebuit illa pedes,
Atque ait 'admissae si vis me ignoscere culpae,
  Accipe, quae nostrae formula legis erit.
Tu neque Pompeia spatiabere cultus in umbra,
  Nec cum lascivum sternet arena forum.
Colla cave inflectas ad summum obliqua theatrum
  Aut lectica tuae sidat aperta morae.

Lygdamus in primis, omnis mihi causa querellae,
Veneat et pedibus vincula bina trahat.'
Indixit leges: respondi ego 'legibus utar.'
Riserat imperio facta superba dato.
Dein quemcumque locum externae tetigere puellae,
Suffit et pura limina tergit aqua,
Imperat et totas iterum mutare lacernas,
Terque meum tetigit sulphuris igne caput.
Atque ita mutato per singula pallia lecto
† Respondi, et toto solvimus arma toro.

VIIII.

Amphitryoniades qua tempestate iuvencos
Egerat a stabulis, o Erythea, tuis,
Venit ad eductos pecorosa Palatia montes,
Et statuit fessos fessus et ipse boves,
Qua Velabra suo stagnabant flumine quaque
Nauta per urbanas velificabat aquas.
Sed non infido manserunt hospite Caco
Incolumes: furto polluit ille Iovem.
Incola Cacus erat, metuendo raptor ab antro,
Per tria partitos qui dabat ora focos.
Hic, ne certa forent manifestae signa rapinae,
Aversos cauda traxit in antra boves,
Nec sine teste deo: furem sonuere iuvenci,
Furis et inplacidas diruit ira fores.
Maenalio iacuit pulsus tria tempora ramo
Cacus, et Alcides sic ait: 'ite boves,
Herculis ite boves, nostrae labor ultime clavae,
Bis mihi quaesitae, bis mea praeda, boves,
Arvaque mugitu sancite bovaria longo:
Nobile erit Romae pascua vestra forum.'
Dixerat, et sicco torret sitis ora palato,
Terraque non ullas feta ministrat aquas.
Sed procul inclusas audit ridere puellas.
Lucus ab umbroso fecerat orbe nemus,

Femineae loca clausa deae fontesque piandos,
  Inpune et nullis sacra retecta viris.
Devia puniceae velabant limina vittae,
  Putris odorato luxerat igne casa,
Populus et longis ornabat frondibus aedem,
  Multaque cantantes umbra tegebat aves.
Huc ruit in siccam congesta pulvere barbam
  Et iacit ante fores verba minora deo:
'Vos precor, o luci sacro quae luditis antro,
  Pandite defessis hospita fana viris.
Fontis egens erro circaque sonantia lymphis,
  Et cava succepto flumine palma sat est.
Audistisne aliquem, tergo qui sustulit orbem?
  Ille ego sum: Alciden terra recepta vocat.
Quis facta Herculeae non audit fortia clavae
  Et numquam ad vastas irrita tela feras,
Atque uni Stygias homini luxisse tenebras?
  [Accipite: haec fesso vix mihi terra patet.]
Quid, si Iunoni sacrum faceretis amarae?
  Non clausisset aquas ipsa noverca suas.
Sin aliquam voltusque meus saetaeque leonis
  Terrent et Libyco sole perusta coma,
Idem ego Sidonia feci servilia palla
  Officia et Lydo pensa diurna colo,
Mollis et hirsutum cepit mihi fascia pectus,
  Et manibus duris apta puella fui.'
Talibus Alcides, at talibus alma sacerdos,
  Puniceo canas stamine vincta comas:
'Parce oculis, hospes, lucoque abscede verendo:
  Cede agedum et tuta limina linque fuga.
Interdicta viris metuenda lege piatur,
  Quae se submota vindicat ara casa.
Magno Tiresias aspexit Pallada vates,
  Fortia dum posita Gorgone membra lavat.
Di tibi dent alios fontes: haec lympha puellis
  Avia secreti limitis una fluit.'
Sic anus: ille umeris postes concussit opacos,
  Nec tulit iratam ianua clausa sitim.

At postquam exhausto iam flumine vicerat aestum,
Ponit vix siccis tristia iura labris.
'Angulus hic mundi nunc me mea fata trahentem
Accipit: haec fesso vix mihi terra patet.
Maxima quae gregibus devotast ara repertis,
Ara per has' inquid 'maxima facta manus,
Haec nullis umquam pateat veneranda puellis,
Herculis eximii ne sit inulta sitis.'
Sancte pater salve, cui iam favet aspera Iuno:
Sancte, velis libro dexter inesse meo.
Huic, quoniam manibus purgatum sanxerat orbem,
Sic Sanctum Tatiae conposuere Cures.

X.

Nunc Iovis incipiam causas aperire Feretri
Armaque de ducibus trina recepta tribus.
Magnum iter ascendo, sed dat mihi gloria vires:
Non iuvat e facili lecta corona iugo.
Imbuis exemplum primae tu, Romule, palmae
Huius, et exuvio plenus ab hoste redis,
Tempore quo portas Caeninum Acronta petentem
Victor in eversum cuspide fundis equum.
Acron Herculeus Caenina ductor ab arce,
Roma, tuis quondam finibus horror erat.
Hic spolia ex umeris ausus sperare Quirini
Ipse dedit, sed non sanguine sicca suo.
Hunc videt ante cavas librantem spicula turres
Romulus et votis occupat ante ratis:
'Iuppiter, haec hodie tibi victima corruet Acron.'
Voverat, et spolium corruit ille Iovi.
Vrbis virtutisque parens sic vincere suevit,
Qui tulit e parvo frigida castra Lare.
Idem eques et frenis, idem fuit aptus aratris,
Et galea hirsuta compta lupina iuba.

Picta neque inducto fulgebat parma pyropo:
  Praebebant caesi baltea lenta boves.
Cossus at insequitur Veientis caede Tolumni,
  Vincere cum Veios posse laboris erat,
Nec dum ultra Tiberim belli sonus, ultima praeda
  Nomentum et captae iugera terna Corae.
Heu Vei veteres! et vos tum regna fuistis,
  Et vestro positast aurea sella foro:
Nunc intra muros pastoris bucina lenti
  Cantat, et in vestris ossibus arva metunt.
Forte super portae dux Veius astitit arcem
  Colloquiumque sua fretus ab urbe dedit:
Dumque aries murum cornu pulsabat aheno,
  Vinea qua ductum longa tegebat opus,
Cossus ait 'forti melius concurrere campo.'
  Nec mora fit, plano sistit uterque gradum.
Di Latias iuvere manus, desecta Tolumni
  Cervix Romanos sanguine lavit equos.
Claudius Eridanum traiectos arcuit hostes,
  Belgica cui vasti parma relata ducis
Virdomari. genus hic Rheno iactabat ab ipso,
  Nobilis † erectis fundere gaesa rotis.
Illi virgatas maculanti sanguine bracas
  Torquis ab incisa decidit unca gula.
Nunc spolia in templo tria condita: causa Feretri,
  Omine quod certo dux ferit ense ducem;
Seu quia victa suis umeris haec arma ferebant,
  Hinc Feretri dictast ara superba Iovis.

XI.

Desine, Paulle, meum lacrimis urgere sepulchrum:
  Panditur ad nullas ianua nigra preces.
Cum semel infernas intrarunt funera leges,
  Non exorato stant adamante viae.
Te licet orantem fuscae deus audiat aulae:
  Nempe tuas lacrimas littora surda bibent.

Vota movent superos: ubi portitor aera recepit,
Obserat umbrosos lurida porta rogos.
Sic maestae cecinere tubae, cum subdita nostrum
Detraheret lecto fax inimica caput.
Quid mihi coniugium Paulli, quid currus avorum
Profuit aut famae pignora tanta meae?
Num minus inmites habui Cornelia Parcas?
En sum, quod digitis quinque levatur, onus.
Damnatae noctes et vos vada lenta paludes,
Et quaecumque meos inplicat unda pedes,
Inmatura licet, tamen huc non noxia veni:
Det pater hic umbrae mollia iura meae.
Aut siquis posita iudex sedet Aeacus urna,
Is mea sortita vindicet ossa pila:
Adsideant fratres iuxta et Minoida sellam
Eumenidum intento turba severa foro.
Sisyphe, mole vaces, taceant Ixionis orbes,
Fallax Tantaleo corripere ore liquor,
Cerberus et nullas hodie petat inprobus umbras
Et iaceat tacita lapsa catena sera.
Ipsa loquar pro me: si fallo, poena sororum
Infelix umeros urgeat urna meos.
Sicui fama fuit per avita tropaea decori,
Afra Numantinos regna loquuntur avos:
Altera maternos exaequat turba Libones,
Et domus est titulis utraque fulta suis.
Mox, ubi iam facibus cessit praetexta maritis,
Vinxit et † acceptas altera vitta comas,
Iungor, Paulle, tuo sic discessura cubili:
In lapide huic uni nupta fuisse legar.
Testor maiorum cineres tibi, Roma, verendos,
Sub quorum titulis, Africa, tonsa iaces,
† Et Persen proavi simulantem pectus Achillis
† Quique tuas proavus fregit Achille domos,
Me neque censurae legem mollisse nec ulla
Labe mea nostros erubuisse focos.
Non fuit exuviis tantis Cornelia damnum:

Quin erat et magnae pars imitanda domus.
Nec mea mutatast aetas, sine crimine totast:
Viximus insignes inter utramque facem.
Mi natura dedit leges a sanguine ductas,
Ne possem melior iudicis esse metu.
Quaelibet austeras de me ferat urna tabellas:
Turpior adsessu non erit ulla meo,
Vel tu, quae tardam movisti fune Cybeben,
Claudia, turritae rara ministra deae,
Vel cui, conmissos cum Vesta reposceret ignes,
Exhibuit vivos carbasus alba focos.
Nec te, dulce caput, mater Scribonia, laesi:
In me mutatum quid nisi fata velis?
Maternis laudor lacrimis urbisque querelis,
Defensa et gemitu Caesaris ossa mea.
Ille sua nata dignam vixisse sororem
Increpat, et lacrimas vidimus ire deo.
Et tamen emerui generosos vestis honores,
Nec mea de sterili facta rapina domo.
Tu, Lepide, et tu, Paulle, meum post fata levamen,
Condita sunt vestro lumina nostra sinu.
Vidimus et fratrem sellam geminasse curulem;
Consul quo factus tempore, rapta soror.
Filia, tu specimen censurae nata paternae,
Fac teneas unum nos imitata virum.
Et serie fulcite genus: mihi cymba volenti
Solvitur aucturis tot mea fata meis.
Haec est feminei merces extrema triumphi,
Laudat ubi emeritum libera fama rogum.
Nunc tibi commendo communia pignora natos:
Haec cura et cineri spirat inusta meo.
Fungere maternis vicibus, pater: illa meorum
Omnis erit collo turba fovenda tuo.
Oscula cum dederis tua flentibus, adice matris:
Tota domus coepit nunc onus esse tuum.
Et siquid doliturus eris, sine testibus illis!
Cum venient, siccis oscula falle genis!

Sat tibi sint noctes, quas de me, Paulle, fatiges,
  Somniaque in faciem reddita saepe meam:
Atque ubi secreto nostra ad simulacra loqueris,
  Vt responsurae singula verba iace.
Seu tamen adversum mutarit ianua lectum,
  Sederit et nostro cauta noverca toro,
Coniugium, pueri, † laudate et ferte paternum:
  Capta dabit vestris moribus illa manus.
Nec matrem laudate nimis: collata priori
  Vertet in offensas libera verba suas.
Seu memor ille mea contentus manserit umbra
  Et tanti cineres duxerit esse meos,
Discite venturam iam nunc lenire senectam,
  Caelibis ad curas nec vacet ulla via.
Quod mihi detractumst, vestros accedat ad annos:
  Prole mea Paullum sic iuvet esse senem.
Et bene habet: numquam mater lugubria sumpsi:
  Venit in exequias tota caterva meas.
Causa peroratast. flentes me surgite, testes,
  Dum pretium vitae grata rependit humus.
Moribus et caelum patuit: sim digna merendo,
  Cuius honoratis ossa vehantur avis.

Perisse quaedam ex Propertii libris satis constat: quamquam fragmenta quae tuto possis referre ad carmina deperdita non extant. Nam Fulgentii nugas [563, 7. 564, 27] non moror. Nec id mirum; quoniam non minus raro quam Tibulli eius fit mentio apud veteres.

I. INDEX CARMINVM.

II. INDEX NOMINVM.

III. INDEX GRAMMATICVS.

NVMERI CARMINVM ET VERSVVM BVRMANNIANI COMPARANTVR CVM VVLPIANIS ET LACMANNIANIS.

BVRM.	VVLP.	LACMANNI.
LIB. I.	LIB. I.	LIB. I.
VIII, 27—46	VIII, 27—46	IX
IX—XXII	IX—XXII	X—XXIII
[XV, 15. 16	[XV, 15. 16	[XVI, 21. 22
17—22	17—22	15—20
XIX, 17. 18	XIX, 17. 18	XX, 19. 20
19. 20]	19. 20]	17. 18]
LIB. II.	LIB. II.	LIB. II.
I, 5. 6	I, 5. 6	I, 9. 10
9. 10	9. 10	5. 6
49. 50	III, 45. 46	IV, 1. 2
51—72	I, 49—70	I, 49—70
73—80	IV, 7—14	IV, 17—24
81—88	I, 71—78	I, 71—78
II, 1—4	III, 1—4	III, 1—4
5. 6	II, 1. 2	II, 1. 2
7—10	III, 5—8	III, 5—8
11—18	47—54	IV, 3—10
19—54	9—44	III, 9—44
[39. 41]	[29. 31]	[31. 29]
55—68	II, 3—16	II, 3—16
III, 1—6	IV, 1—6	IV, 11—16
7—14	15—22	25—32
IV—VI	V—VII	V—VII
[V, 15—32	[VI, 23—40	[VI, 23—40
VI, 21. 22]	41. 42]	41. 42]
VII, 1—6	VIII, 1—6	VIII, 1—6
	LIB. III.	LIB. IV.
7—8	XVIII, 29. 30	XVII, 29. 30
	LIB. II.	LIB. II.
9—16	VI, 15—22	VI, 15—22
17—28	VIII, 29—40	IX, 13—24
29. 30	9. 10	VIII, 9. 10
31. 32	7. 8	7. 8
33—34	IX, 1. 2	X, 1. 2
35—40	VIII, 11—16	VIII, 11—16
41—78	IX, 3—40	X, 3—40

BVRM.	VVLP.	LACMANNI.
LIB. II.	LIB. II.	LIB. II.
VII, 79—90	VIII, 17—28	IX, 1—12
91—98	IX, 41—48	X, 41—48
VIII, 1—4	49—52	49—52
		LIB. III.
5—30	X	I
31—36	XI	27—32
IX	XII	II
X	XIII	III. IV
XI. XII	XIV. XV	V. VI
[XII, 3—8	[XV, 5—10	[VI, 5—10
9. 10]	3. 4]	3. 4]
XIII, 1—56	XVI	VII
57—74	XVII	VIII
XIV, 1—4	XVIII, 1—4	IX, 1—4
5. 6	21. 22	21. 22
7—22	5—20	5—20
23. 24	33. 34	X, 11. 12
25. 26	23. 24	1. 2
27. 28	31. 32	5. 6
29. 30	25. 26	3. 4
31—34	27—30	7—10
35—38	35—38	13—16
XV—XVII	XIX—XXI	XI—XIII
XVIII, 1—42	XXII, 1—42	XIV
43—50	43—50	XV, 1—8
51—58	XXIII, 1—8	9—16
59—64	XXIV, 11—16	XVI, 11—16
65—80	XXIII, 9—24	XV, 17—32
81—90	XXIV, 1—10	XVI, 1—10
XIX, 1—16	17—32	XVII, 1—16
17. 18	47. 48	31. 32
19—32	33—46	17—30
33—36	49—52	33—36
37—46	XXV, 1—10	XVIII, 1—10
47—50	35—38	35—38
51—74	11—34	11—34
75—84	39—48	39—48
XX, 1—20	XXVI, 1—20	XIX
21—58	21—58	XX
59—74	XXVII	XXI
XXI, 1—46	XXVIII, 1—46	XXII
[3. 4	[33. 34	[33. 34
5—34]	3—32]	3—32]

BVRM.	VVLP.	LACMANNI.
LIB. II.	LIB. II.	LIB. III.
XXI, 47—62	XXVIII, 47-62	XXIII
XXII	XXIX	XXIV
XXIII, 1—16	XXXI	XXVII
17—20	XXX, 27—30	XXVI, 5—8
21. 22	XXXII, 1. 2	XXVIII, 1. 2
23. 24	XXX, 31. 32	XXVI, 9. 10
25—28	23—26	1—4
29—36	33—40	11—18
37—40	XXXII, 7—10	XXVIII, 7—10
41—44	3—6	3—6
45—52	11—18	11—18
53—64	XXX, 1—12	XXV, 1—12
65—68	19—22	19—22
69—80	XXXII, 19—30	XXVIII, 19—30
81—86	XXX, 13—18	XXV, 13—18
87—118	XXXII, 31—62	XXVIII, 31—62
XXIV. XXV	XXXIII. XXXIV	XXIX. XXX
[XXV, 31—40	[XXXIV, 31—40	[XXX, 31—40
41. 42	41. 42	43. 44
43. 44	43. 44	41. 42
45. 46	45. 46	49. 50
47—50	47—50	45—48
51—66	51—66	51—66
67—82	67—82	69—84
83. 84	83. 84	67. 68
85—94]	85—94]	85—94]
LIB. III.	LIB. III.	LIB IV.
I, 1—40	I	I, 1—40
41—68	II	41—68
II	III	II
III, 1—22	IV	III
23—70	V	IV
IV—XVII	VI—XIX	V—XVIII
[V, 9—20	[VII, 55—66	[VI, 55—66
21—24	17—20	17—20
25—32	9—16	9—16
33—36	67—70	67—70
37—46	25—34	25—34
47. 48	37. 38	37. 38
49. 50	35. 36	35. 36
51—54	21—24	21—24
55—58	39—42	39—42
59. 60	53. 54	53. 54

BVRM.	VVLP.	LACMANNI.
LIB. III.	LIB. III.	LIB. IV.
V, 61—66	VII, 47—52	VI, 47—52
67—70]	43—46]	43—46]
[VII, 47—58	[IX, 47—58	[VIII, 49—60
59. 60]	59. 60]	47. 48]
[IX, 36	[XI, 36	[X, 40
40]	40]	36]
[47—58	[47—58	[49—60
59. 60	67. 68	47. 48
61—68]	59—66]	61—68]
[XII, 13. 14	[XIV, 15. 16	[XIII, 15. 16
15. 16]	13. 14]	13. 14]
[XVI, 29—32]	[XVIII, 31—34]	[XVII, 31—34]
XVIII	XX, 1—10	XIX
XIX, 1. 2	13. 14	XX, 1. 2
3. 4	11. 12	3. 4
5. 6	15. 16	7. 8
7. 8	19. 20	5. 6
9. 10	17. 18	9. 10
11—20	21—30	11—20
XX—XXII	XXI—XXIII	XXI—XXIII
XXIII, 1—20	XXIV	XXIV, 1—20
21—38	XXV	21—38
LIB. IV.	LIB. IV.	LIB. V.
I, 71. 72	I, 87. 88	I, 87. 88
73—84	71—82	71—82
85—104	89—108	89—108
105—108	83—86	83—86
III, 35. 36	III, 37. 38	III, 37. 38
37. 38	35. 36	35. 36
IV, 17—90	IV, 19—92	IV, 19—92
91. 92	17. 18	17. 18
VII, 21. 22	VII, 25. 26	VII, 21. 22
23—26	21—24	23—26
35—42	39—46	39—46
43—46	35—38	35—38
X, 23. 24	X, 25. 26	X, 25. 26
25. 26	23. 24	23. 24

ADDENDA VEL CORRIGENDA.

Inter elegiacos Augusto aequales, de quibus aliquid certi constet, similis fuit Propertii Proculus ille quem et ipsum Callimachi molle iter tenuisse auctor est Naso, sed magis C. Cornelius Gallus, de cuius vita et scriptis praeter alios exposuere Voelkerus in dissertationibus Bonnae et Elberfeldae annis 1840 vel 1844 editis et Beckerus initio fabulae Milesiae quam Galli nomine inscripsit. Is Euphorionem secutus, cuius etiam carmina transtulisse eum narrat Servius ad ecl. 6, 72; 10, 1, quattuor libris cecinit Lycorin quam Cytherin M. Antonii meretricem fuisse quidam existimant, sicut visum Porphyrioni ad Hor. ep. III, 8, vix recte, cum mos ille ficta vocabula veris substituendi in quantum constat non nisi in Romanis nominibus adhibitus sit a poetis Latinis, ut Lesbia pro Clodia, Metella pro Perilla, Licymnia pro Terentia, Canidia pro Gratidia, Mida pro Nerone, alia. Ceterum ex carminibus Galli, quae omni laude celebrant Vergilius, Ovidius, Martialis quaeque ipse Quintilianus componit cum Tibulli Propertii Ovidii, licet duriorem his fuisse adserat illum, unus tulit aetatem versiculus:

uno tellures dividit amne duas.

Vibius Sequester p. 5 ed. Bursiani: Hypanis Scythiae qui ut ait Gallus 'uno' e. q. s. Asiam enim ab Europa separat.

Quod legitur apud Nonium pg. 133 s. v. 'laboriosum': Gallus poematis 'durum rus fugite laboriosum', scribendum esse Gaius Calvus apparet ex Gellii VIIII, 12, 10.

V, 2, 4 leg. *Volsanios.*

Praef. pg. XXVII l. 24 post 'arida' addendum: sed illud tuentur Charisius et auctor de dubiis nominibus [gr. lat. I, 89. V, 588].

B. G. Teubners

Schulausgaben griechischer und lateinischer Klassiker mit deutschen erklärenden Anmerkungen.

Die mit * bezeichneten Bände sind auch gebunden zu haben.

M. ₰

…chylos' Agamem. v. *Enger*. 2. Aufl. 2.25
– Perser von *Teuffel*. 3. Aufl. v. *Wecklein* 1.20
– Prometheus v. *Wecklein*. 2. Aufl. 1.80
– – v. *Schmidt* 1.20
…istophanes, die Wolken v. *Teuffel*. 2. Aufl. von *Kaehler* 2.70
…rian's Anabasis v. *Abicht*. I. Heft 1.80
– – II. Heft 2.25
…chholz, Anthologie. I. 4. Aufl. 1.80
– – II. 3. Aufl. 1.80
…esar de bello Gallico von *Doberenz-Dinter*. 9. Aufl. Heft 1 —.90
Heft 2 —.75
de bello civili von *Doberenz-Dinter*. 5. Aufl. 2.40
…restomath. Ciceron. von *Lüders*. 2. Aufl. 2.70
…icero de officiis von *Müller* 2.25
— Cato maior v. *Meißner*. 3. Aufl. —.60
— de finibus bonorum v. *Holstein* 2.70
— Somnium Scipionis v. *Meißner*. 3. Aufl. —.45
Laelius v. *Lahmeyer*. 4. Aufl. —.60
v. *Meißner* —.60
pro Plancio v. *Köpke*. 3. Aufl. von *Landgraf* 1.20
— Rede f. Sestius v. *Koch*. 2. Afl. 1.—
— für Roscius v. *Richter*. 3. Aufl. v. *Fleckeisen*. —.90
— für Milo v. *Richter* u. *Eberhard* 3. Aufl. —.90
— für Murena von *Koch-Landgraf* 2. Aufl. —.90
— für Sulla v. *Richter-Landgraf*. 2. Aufl. —.75
— Rede gegen Verres. IV. Buch von *Richter*. 3. Aufl. v. *Eberhard* 1.50
— — V. Buch. 2. Afl. v. *Eberhard* 1.20
— Catilinar. Reden von *Richter*. 5. Aufl. v. *Eberhard* 1.—
— Rede für Marcellus etc., v. *Richter*, 3. Aufl. von *Eberhard* —.90
— divinatio in Caecil. v. *Richter*, 2. Aufl. v. *Eberhard* —.45
— I. u. II. Philippische Rede v. *Koch* u. *Eberhard*. 2. Aufl. —.90
1., 4. u. 14. Philippische Rede von *Gast* —.60
für Archias v. *Richter*, 3. Aufl. v. *Eberhard* —.45
— Rede über das Imperium v. *Richter*, 4. Aufl. v. *Eberhard* —.60
Briefe von *Frey*. 4. Aufl. 2.25
Tusculanen v. *Heine*. 3. Afl. 2.70
Heft I Buch I. II. 1.20
II III—V 1.50
de oratore v. *Piderit* Kpl. 5. Afl. 4.50
Einzeln
— — 6. Aufl. von *Harnecker*.
1. Heft. Buch I 1.80
2. — *Buch II* 1.50
3. — *Buch III* 1.50
partitiones oratoriae v. *Piderit* 1.—

M. ₰

Ciceros Brutus von *Piderit*. 3. Aufl. 2.25
— Orator von *Piderit*. 2. Aufl. 2.—
— de legibus von *Du Mesnil* 3.90
— de natura deorum v. *Goethe*. 2.40
*Cornelius Nepos v. *Siebelis*. 11. Afl. 1.20
von *Ebeling* —.75
*— von *Ordmann*. 4. Aufl. 1.—
*Curtius Rufus v. *Vogel*. I. Band. 3. Aufl. 2.10
*— II. Band. 2. Aufl. 2.25
*Demosthenes v. *Rehdantz* u. *Blaß*. I. Teil. I. Heft. 7. Aufl. 1.20
*— — II. Heft. I. Abt. 5. Aufl. 1.50
— — II. Heft. II. Abt. 4. Aufl. 1.80
— — II. Teil 2.10
Euripides v. *Kinkel*. I. Phoenissae —.75
von *Wecklein*. I. Medea. 2. Aufl. 1.80
II. Iphigenia in Tauris. 2. Aufl. 1.50
— — III. Bacchen 1.50
— — IV. Hippolytos. 1.50
*Herodot von *Abicht*. I. Bd. 1. Hft. Buch I. 4. Aufl. 1.80
*— I. Band. 2. Heft. Buch II. 3. Afl. 1.50
*— II. Band. 1. Heft. Buch III. 3. Aufl. 1.50
*— II. Band. 2. Heft. Buch IV. 3. Aufl. 1.50
*— III. Band. Buch V und VI. 3. Aufl. 1.80
*— IV. Band. Buch. VII. 3. Aufl. 1.80
*— V. Band. Buch. VIII u. IX. 3. Aufl. 1.80
Homers Odyssee von *Ameis-Hentze*.
* I. Band. 1. Heft. (Ges. I—VI.) 9. Aufl. 1.35
* I. Band. 2. Heft. (VII—XII.) 8. Aufl. 1.35
*II. Band. 1. Heft. (XIII—XVIII.) 7. Aufl. 1.35
*II. Band. 2. Heft. (XIX—XXIV.) 7. Aufl. 1.35
Anhang. 1. Heft. 4. Aufl. 1.50
— 2. — 3. Aufl. 1.20
— 3. — 2. Aufl. 1.20
— 4. — 2. Aufl. 1.20
— Ilias v. *Ameis-Hentze*.
* I. Band. 1. Heft. 4. Aufl. —.90
* I — 2. — 4. Aufl. —.90
* I — 3. — 3. Aufl. 1.20
* I — 4. — 3. Aufl. 1.20
*II. — 1. — 2. Aufl. 1.20
*II. — 2. — 2. Aufl. 1.20
*II. — 3. — 2. Aufl. 1.20
*II. — 4. — 2. Aufl. 1.50
Anhang. 1. Heft. 2. Aufl. 1.50
— 2. — 2. Aufl. 1.50
— 3. — 2. Aufl. 1.80
— 4. — 2. Aufl. 1.20
— 5. — 1.20
— 6. — 1.50
— 7. — 1.50
— 8. — 1.80

M. ₰

*Homers Ilias von *La Roche*. 6 Teile.
*Teil I. Ges. 1—4. 3. Aufl. 1.50
* — II. — 5—8. 3. Aufl. 1.50
* — III. — 9—12. 2. Aufl. 1.50
* — IV. — 13—16. 2. Aufl. 1.50
* — V. — 17—20. 2. Aufl. 1.50
* — VI. — 21—24. 2. Aufl. 1.50
*Horaz' Oden von *Nauck*. 13. Aufl. 2.25
*—— Satiren u. Episteln v. *Krüger*.
I. Satiren. 12. Aufl. 1.50
II. Episteln. 12. Aufl. 1.50
— Sermonen von *Fritzsche*. I. . 2.40
II. . . . . 2.—
Jacoby, Anthologie I. u. II. . . à 1.50
—— Beide Teile in 1 Band . . . 1.80
Isokrates v. *Schneider*. I. Bd. 3. Aufl. 1.20
—— —— II. Bändchen. 3. Aufl. . 1.80
Livius, Buch 1. Von *M. Müller*. 2. Aufl. 1.50
—— Buch 2 von *M. Müller* 1.50
—— Buch 3 von *Luterbacher* . . . 1.20
—— Buch 4 von *Luterbacher* . . . 1.20
—— Buch 5 von *Luterbacher* . . . 1.20
—— Buch 6 von *Luterbacher* . . . 1.20
—— Buch 7 von *Luterbacher* . . . 1.20
—— Buch 8 von *Luterbacher* . . . 1.20
—— Buch 21 von *Wölfflin*. 4. Aufl. von *Luterbacher*. 1.20
*—— Buch 22 von *Wölfflin*. 2. Aufl. 1.20
*—— Buch 23 v. *Wölfflin-Luterbacher* 1.20
*—— Buch 24 von *H. J. Müller*. . 1.—
—— Buch 25 von *H. J. Müller* . . 1.20
—— Buch 26 von *Friedersdorff* . . 1.20
—— Buch 27 von *Friedersdorff* . . 1.20
—— Buch 28 von *Friedersdorff* . . 1.20
Lucian v. *Jacobitz*. I. Bdchn. 2. Aufl. 1.20
— II. Bändchen. 2. Aufl. . 1.20
— III. Bändchen 1.20
Lykurgs Rede g. Leokrat. v. *Rehdantz* 2.25
Lysias' Reden v. *Frohberger*. I. Bd. 2. Aufl. v. *Gebauer* 4.50
— II. Band 1.50
— III. Band 1.50
*— — kleinere Ausgabe . . . 3.—
Auch in 2 Heften . . . . . à 1 50
1. Heft. 2. Aufl. v. *Gebauer*.
Orationes ex Sallusti, Livi, Curti Taciti libris selectae Ed. *Vogel* 2.40
*Ovids Metamorphosen v. *Siebelis* u. *Polle*. I. Heft. 14. Aufl. 1.50
*—— —— —— II. Heft. 12. Aufl. 1.50
Fasten von *Peter*. I. 3. Aufl. 2.70
— II. 3. Aufl. . . . —.90
Phaedrus v. *Siebelis-Polle*. 6. Aufl. —.75
*Platons Schriften. I. Bdchn.: Die Vertheidigungsrede d. Sokrates u. Kriton von *Cron*. 9. Aufl. 1.—
*—— —— II. Bändchen. Gorgias von *J. Deuschle*. 4. Aufl. v. *Cron* 2.10
*—— —— II. Bändchen. Anhang v. *Deuschle* . . . . —.90
*—— III. Bändchen. 1. Heft: Laches von *Cron*. 4. Aufl. —.75
*—— III. Bändchen. 2. Heft: Euthyphron v. *Wohlrab*. 3. Aufl. —.45
*—— IV Bändchen.: Protagoras v. *J. Deuschle*. 4. Afl. v. *Cron* 1.50
*—— V. Bändchen.: Symposion von *Hug*. 2. Aufl. . . . . . 3.—

*Platons Schriften. VI. Bänd chen.: Phaedon von *Wohlra* 2. Aufl. . . . .
*Plautus' Komöd. von *E. J. Bri*
I. Bdchn. Trinumm. 4. Auf
II. — Captivi. 4. Aufl.
III. — Menaechmi. 3. Af
IV. — Miles glor. 2. Auf
Plutarch's Biographien. I. Phil poemen u. Flamininus v. *Siefe* 2. Aufl. von *Blafs* . . . . .
— II. Timoleon und Pyrrh 2. Aufl. von *Blafs* . . . . .
— III. Themistokles u Perikles von *Blafs*. 2. Aufl. .
—— —— IV. Aristides und Ca von *Blafs* . . . .
— V. Agis und Kleomen von *Blafs* . . . .
— VI. Tiberius et Ga Gracchus von *Blafs* . . . .
Quintilian. X. Buch. Von *G. T. A* *Krüger*. 3. Aufl . . . . . .
*Sophokles v. *Wolff* u. *Bellerman*
I. Ajax. 4. Aufl. . . . . . .
*—— II. Electra. 3. Aufl. . . .
*—— III. Antigone. 4. Aufl. . . .
*—— IV. König Oidipus. 3. Aufl
*—— V. Oidipus auf Kolonos. . .
Supplement. lect. graec. v. *Hoffm*
*Tacitus Histor. v. *Heraeus*. I. 4. A
*—— II. 3. Aufl.
*—— Annalen v. *Draeger* I. 5. Au
*—— II. 3. Aufl. . . .
*—— Agricola von *Draeger*. 4. Au
dialogus von *Andresen*. 2. Au
Terentius Hauton Timorumen von *Wagner*. [Vergr.]
— Phormio von *Dziatzko*. 2. Au
—— Adelphoe von *Dziatzko* . .
Testamentum, novum, graece, v *Zelle*. I. Matthäus. . . . . .
Theokrit v. *Fritzsche*. 3. Au
*Thukydides v. *Böhme* u. *Widman*
I. Band. 1. Heft. 5. Aufl. v.
*I. — 2. — 4. Aufl. v.
*II. — 1. — 4. Aufl. v.
*II. — 2. — 3. Aufl. . .
*Vergils Aeneis von *Kappes*. I. H 4. Aufl. . . . .
*—— —— —— II. 3. Aufl. . .
*—— —— —— III. 2. Aufl. . .
*—— —— —— IV. 2. Aufl. . .
—— Bucolica u. Georgica v. *Kap*
*Xenophons Anabasis v. *Vollbrec* 1. Bdchn. 8., 2 Bdchn. 7 Aufl
*—— Memorabilien von *R. Kühn* 5. Aufl. . . .
*—— Cyropädie von *Breitenba* 1 Heft. 4. Aufl. v. *Büchsenschüt*
*—— —— —— 2. Heft. 3. A
*—— Griechische Geschichte v *Büchsenschütz*. I. Bändch 5. Aufl. . . . .
*—— —— —— II. Bdchn. 4. A
—— Agesilaus v. Güthling . . .

	M. ₰
Homeri carm ed. *Dindorf*. Ed. IV.	
Cum Sengebuschii dissert Ilias	2.25
— — Odyssea	2.25
— — Ed. V cur. *Hentze*. Ilias	1.50
Utraque pars	—.75
— — — Odyssea	1.50
Utraque pars	—.75
— — ed. *Ludwich*. Odyss. 2 voll.	
Ed. min. Utrumque vol.	—.75
Horatius ed. *Müller*. Ed. II maior	1.—
— — Ed. II minor	—.75
Hyginus Gromaticus ed. *Gemoll*	—.75
Hymni Homerici ed. *Baumeister*	—.75
Hyperides ed. *Blass*. Ed. II.	1.35
Iamblichi Protrepticus ed. *Pistelli*.	1.80
— — de mathem. scient. ed. *Festa*	1.80
Iliadis carmina ed. *Koechly*	3.—
Incerti auctoris lib. de Constantino	
Magno ed. *Heydenreich*	—.60
Iosephus, Fl., ed. *Naber*. Vol. I. II	6.—
Isaeus ed. *Scheibe*	1.20
Isocrates edd. *Benseler-Blass*. Ed. II.	
2 voll.	2.70
Iuliani imp. op. ed. *Hertlein*. 2 voll.	6.75
Iurisprudentiae anteiustinianae reliquiae ed. *Huschke*. Ed. V	6.75
— — — Indices ed. *Fabricius*	1.80
— — Supplementum (Bruchstücke a.	
Schrift. röm. Jurist. Von *Huschke*)	—.75
Iustiniani institut. ed. *Huschke*	1.—
— novellae ed. *Zachariae*. 2 voll.	10.50
— — appendix I. M. —.60 II	1.20
Iustinus ed. *Jeep*. Editio minor	—.90
— — ed. *Rühl*	1.50
Iuvenalis ed. *Hermann*	—.45
Iuvenci libb. evang. ed. *Marold*	1.80
Livius edd. *Weissenborn-Müller*. 6 voll.	
(Vol. I—IV = 8 fascc.)	6.—
Singuli fasciculi	—.60
— — lib. I et II	—.45
Lucianus ed. *Jacobitz*. 3 vll. (=6 partes)	6.30
Singulae partes	1.05
Lucretius ed. *Bernays*	1.50
Lycophron ed. *Kinkel*	1.80
Lycurgus ed. *Scheibe*	—.60
Lydus ed. *Wachsmuth*	2.70
Lysias ed. *Scheibe*. Ed. II	1.20
Macrobius ed. *Eyssenhardt*	5.40
Manethon ed. *Koechly*	1.50
Marcellus ed. *Helmreich*	3.60
Martialis ed. *Gilbert*	2.40
Martianus Capella ed. *Eyssenhardt*	4.50
Maximus et Ammon ed. *Ludwich*	1.80
Minucius Felix ed. *Baehrens*	1.35
Nicephori opusc. hist. ed. *de Boor*.	3.30
Nicomachus ed. *Hoche*	1.80
Nonnus ed. *Koechly*. 2 voll.	9.—
— — paraphrasis ed. *Scheindler*	4.50
Onosandros ed. *Koechly*	1.20
Orosius ed. *Zangemeister*	3.—
Ovidius edd. *Merkel-Ehwald*. 3 voll.	2.90
tristia M. —.45 — Fasti	—.60
— — metamorphoseon del. ed. *Polle*	—.60
Panegyrici latini XII ed. *Baehrens*	3.60
Pausanias ed. *Schubart*. 2 voll.	3.60
Persius ed. *Hermann*	—.30

	M. ₰
Phaedrus ed. *Müller*	—.30
Philodemus de musica ed. *Kemke*.	1.50
Philostratus ed. *Kayser*. 2 voll	3.25
Pindarus ed. *Christ*	1.—
Plato edd. *Hermann-Wohlrab*. 6 voll.	
(= 15 fascc.)	10.50
Plautus ed. *Fleckeisen*. Vol. I. II.	2.70
Singulae comoediae	—.45
Plini epistolae ed. *Keil*	1.20
— natur. historia ed. *Jan*. 6 voll.	13.20
Plinius et Gargilius Mart. ed. *Rose*	2.70
Plotinus ed. *Volkmann*. 2 voll.	9.—
Plutarchi vitae ed. *Sintenis*. 5 voll.	
(= 14 fascc.)	8.40
— mor. ed. *Bernardakis*. Vol. I–III à	3.—
Poetae lat. min. ed. *Baehrens*. 6 voll.	20.10
Poetarum Rom. fragm. ed. *Baehrens*	4.20
Polemon ed. *Hinck*	1.—
Polyaenus edd. *Wölfflin-Melber*. Ed. II	7.50
Polybius edd. *Büttner-Dindorf*. 4 voll.	12.60
Pomponii Melae de chorographia	
libri tres rec. *Frick*	1.20
Porphyrion ed. *Meyer*	4.20
Porphyrii op. sel. ed. *Nauck*. Ed. II.	3.—
Proclus ed. *Friedlein*	6.75
Propertius ed. *Müller*	—.60
Quintiliani inst. ed. *Bonnell*. 2 voll	2.40
— — lib. X ed. *Halm*	—.30
— — declamationes ed. *Ritter*	4.80
Quintus Smyrn. ed. *Zimmermann*	3.60
Rerum naturalium script. Graeci.	
ed. *Keller*. Vol. I	2.70
Rhetores Graeci ed. *Spengel*. 3 voll.	
Vol. I, 1 ed. *Roemer*. M. 2.10, II. III. à	3.—
Rutilius Namatianus ed. *Müller*	—.75
Sallustius ed. *Eussner*	—.45
Scholia in Sophoclis tragoedias	
vetera ed. *Papageorgius*	4.80
Scribonii Largi conp. ed. *Helmreich*	1.80
Scriptores historiae Augustae ed.	
Peter. 2 voll. Ed. II.	7.50
— — metrici Graeci ed. *Westphal*. Vol. I	2.70
— — erotici Graeci ed. *Hercher*. 2 voll.	7.50
— — metrologici ed. *Hultsch*. 2 voll.	5.10
Senecae op. philos. ed. *Haase*. 3 voll.	7.80
— — trag. edd. *Peiper* et *Richter*	4.50
— — scripta rhetor. ed. *Kiessling*	4.50
Silii Italici Punica ed. *Bauer*. Vol. I.	2.40
Sillographi Graeci v.: Corpusculum.	
Simeo Sethus ed. *Langkavel*	1.80
Sophocles edd. *Dindf-Mekler*. Ed. VI	1.50
Singulae tragoediae	—.30
Soranus ed. *Rose*	4.80
Statius edd. *Baehrens* et *Kohlmann*.	
2 voll.	7.35
Stobaei floril. ed. *Meineke*. 4 voll.	9.60
— — eclogae ed. *Meineke*. 2 voll.	6.—
Strabo ed. *Meineke*. 3 voll.	6.—
Suetonius ed. *Roth*	1.50
Tacitus ed. *Halm*. 2 voll. Ed. IV.	2.40
Vol. I. (Annal.) uterque fasc.	—.75
Germania, Agricola, dialogus	—.45
Terentius ed. *Fleckeisen*	1.20
Testamentum, novum, Graece ed.	
Buttmann. Ed. IV.	2.25
Themistius ed. Spengel. 2 voll.	6.—

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

